





DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.



14/- nett 1417

8/6 / 5/42 JJ

B. H. Bright

12 [illegible]

CAROLI OGERII
EPHEMERIDES, SIVE ITER DANICVM, SVECICVM, POLONICVM.

Cum esset in comitatu Illustriss. CLAVDII MEMMII Comitis Auauxij, ad Septentrionis Reges Extraordinarij Legati.

Accedunt NICOLAI BORBONII ad eumdem Legatum Epistolæ hactenus ineditæ.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud PETRVM LE PETIT, Regis Typographum, via Iacobæa, sub signo Crucis aureæ.

M. DC. LVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO VIRO
IOAN. IACOBO MEMMIO
IN SVPREMA GALLIÆ
CVRIA SENATORI,
AC INFVLATO PRÆSIDI
DESIGNATO, COMITI DE AVAVX.

Franciſcus Ogerius. S.

DVBITAVI fateor, Vir Illuſtriſſime, Tibi-ne an Patri tuo Summo Viro, Summoque Præſidi, opus iſtud Ephemeridum ac itinerum Fratris mei nuncuparem. Plurimum ſanè debuit Frater illi Parenti tuo, in cuius beneuolentia, non ſibi minus eſſe præſidij quam voluptatis, ſæpè ac libenter prædicabat: Plurimum illi & Ego debeo qui, vt cætera eius erga me ſingularis beneuolentiæ argumenta in præſens omittam, maximam fortunarum mearum partem, à

communi Campaniæ clade immunem esse voluit. Verebar itaque ne duplici causa accusarer vt ingratus, qui neque memoriam Fratris absoluere, neque nomen meum liberare vellem; ea re maximè in solutum data, qua & mihi alieno labore obuenisset & iam Creditori tot nominibus esset oppignerata. Ad quem enim potiori iure, pertinere debuit Historia Legationum atque rerum gestarum Claudij Memmij, quam ad ipsius Carissimum Fratrem Ioannem Antonium, bonorum non magis quam virtutum heredem? Verum enim verò, quandò Vir Illustriss. Pater tuus Te, quod erat præcipuum in illa Patrui hereditate cernere voluit, Comitis Auauxij titulum; quidquid etiam ad mensuram tanti nominis implendam conferre potest, vnà transcripsisse mihi videtur. Quibus autem artibus id cumulatiùs præstare possis, quam si vestigiis tanti Viri pressiùs insistas; arcana rimeris, publica priuataque gesta manu diurna nocturnaque euoluas? Idcircò Tibi præ cæteris hanc Ephemeridem consecrandam putaui, quam vtilissimam iuxtà ac gratissimam Tibi fore certò scio: Non quidem quà Fratris mei casus, fortunas, atque etiam, si Superis placet, nænias & ægri-somnia continet; etsi ea quoque pars non iniucunda est; verum quà

Magnum Auxium exhibet, domi forisque spectabilem. Potuisti quidem ex Actis publicis, ex temporum nostrorum Historiis, ex ipsius denique Excellentissimi Legati, quæ apud Te asseruantur monumentis; ea quæ in luce hominum, ad Rempublicam pertinentia, sapienter prudenterquè gessit, perdiscere; priuatam hominis vitam, familiares, vt ita dicam, & domesticas virtutes, mores, studia, non potes alibi quam hìc, propiùs ac penitiùs contemplari. Ac vereor, ne tua intersit magis, quæ in secreto cubiculo, in cottidiano conuictu & sermone fecerit aut dixerit, quam quæ in Consessibus Principum & Conuentibus Legatorum, legere ac imitari. Facile est enim, vel mediocribus ingeniis alieno labore subleuatis, ea magnificè proferre in publico, quæ Vmbraticus aliquis Doctor clam suggesserit: Facile est personam aliquam dignitatis liberalitatis, prudentiæ, comitatis, velut in theatrum inducere, quam mox domi deponas, ad sordes & innata vitia reuolutus: Verum ea pertinaci studio, noctu meditari, quæ interdiu pronunties; Tibi ipsi præsto esse ab Epistolis Latinis, Italicis, Germanicis, Gallicis; easdem virtutum imagines, quas publicè ostentes, priuatim religiosè colere; incorrupto Legationis-honore, cum omni-

bus de comitate certare ; denique omnibus bene velle, plurimis bene facere, id demum est Auauxium esse. Quamobrem durior profectò mihi visa est tua conditio, cum tantæ spei appellationem in Te suscepisti. Est enim Tibi grauis aduersaria constituta & parata, incredibilis quædam ab isto nomine exspectatio, quam tamen vna re facillimè vinces, si hoc statueris, in his artibus Tibi esse laborandum, quarum gloriam Illustriss. Patruus adamauit & consecutus est. His verò cum ab ineunte ætate, illo ipso duce, strenuè insudaueris ac porro insudes, magna spes me tenet, Te, cuius nomen geras, famam etiam ac laudem propediem consecuturum. Poteras quidem tuo genio atque indole fretus, optimis Doctoribus eruditus, speciosis opibus instructus, ad omnia summa niti, Magistratus amplissimos, pro dignitate Gentis Memmiæ gerere: At quod honores infra virtutem habeas, opes infra gloriam; quod in magna fortuna eas dotes maximè consecteris, quas nec illa dare nec eripere potest; quod à prima adolescentia, Te virum, iudicio, fide, animi magnitudine, moribus præstiteris; profectò, si verum fatebere, hoc debes præcipuè Magni Educatoris tui præceptis & exemplis. Memini illum, cum Te Monasterium Vvestfa-

lorum euocasset, grauioribus philosophiæ & iurisprudentiæ studiis, in sinu suo erudiendum; non modo optimos Professores, & Antecessores suo experimento delegisse, sed se ipsum eximium Moralis atCiuilis SapientiæMagistrum exhibuisse. Hominem certè mirabar, tot negotiis, ac vt ita loquar, rerum fluctibus obrutum, cui noctu diuque, cum exterorum sollertia, Popularium suorum inuidentia colluctandũ erat; cottidiè penè, statis horis, adeo tranquillè & doctè tecum de Philosophia aut de jure disputantem. Vrgebat quidem ad eum laborem suscipiendum Στοργὴ φυσικὴ, *quæ mirum quantum, excitata atque efficax, fuit in eo viro; sed inuitabat magis viuida illa indoles tua quæ, velut aruum felix, votis Agricolæ respondebat, quæque iam par ferendo quidquid imposuisses, videbatur. Hauriebas auidè ex eius ore, quam fundebat sapientiam ac intimo pectore recondebas, quam aliquando in vsum patriæ profunderes: Auscultabas præcepta mira verborum dulcedine condita: Exemplis excitabaris, quæ se vltrò ad miraculum, omnium oculis ingerebant. At ille, quæ ipsius modestia fuit, alienis, in Te instituendo, vtebatur, illustribus illis quidem, nec longè petitis. Aderant quippè in isto celeberrimo Conuentu lectissima*

ex orbe toto capita, exercitatissimi rebus gerendis omnium ferè Christianorum Principum Legati; tot Ingenijs, virtute, doctrinâ, solertia præstantibus, nō ad usum modo, sed ad æmulationem, succincti. Diceres, quidquid prudentiæ, litterarum, acuminis, humanitatis, amænitatis, tota Europa diffunditur, ceu riuos in vnum alueum confluxisse. Hos Tibi homines, vt quisq; peculiari dote ac facultate eminebat, acerrimus virtutum æstimator, spectandos proponebat atque imitandos. In hoc fidem & candorem; in illo elegantiam vimq; dicendi promptam; alterius cunctatiorem prudentiam & pectus rebus eloquens; alterius rerum diuinarum studium; pietatemque in Deū ac Patriam præcipuè commendabat. Quoties verò omnia laudū argumenta in vno homine, ac quantum virtus eniti potest, ostentare vellet, scis Vir Illustriss. nil me ad gratiam fingere: Nosti, inquam, quod exemplar, non Tibi modo, verum etiam sibi proponeret. Magnum videlicet FABIVM *illum* CHISIVM, *quem iam tum Deus Opt. Max. Principem Legatorum, in istis Principum Christianorū Comitijs, Orbis, quà Christianus est, imperio proludere volebat. Hic est Alexander ille, qui nō insani iuuenis, per cædes & latrocinia quæsito titulo; sed diuinarum hu-*

manarumque virtutū nomine; ob seruatos Ciues, pacem procuratam, Ecclesiam pristinæ dignitati redditā, Magnus & est, & dici ab omni posteritate merebitur. Fatebor hic quod res est, Vir Illustriss. ægre in procliui impetum me sustinere, sponte & tanquam pondere in laudes tanti Pontificis ruentē: Sed tamen reprimo me, ne videar Optimum longe Principū, cuius amplissimis virtutibus vnus orbis non sufficit, in vnius tamquam annuli spatio velle concludere. Vnum addam, quod ad rem nostram facit; nullum me vidisse vmquā aut legisse par virtutum similius, tamque bene compositum, quā fuerint inter se CHISIVS *&* AVAVXIVS, *quos idem de religione, de Republica, de pace, de litteris sensus, artissimo necessitudinis vinculo coniunxerat. Quamobrē fortunæ satis magnas habere gratias non queo, quod eo me tandem pæne inuitum ire cōpulit, vbi Heroüm istorum, alterius familiaritate, alterius beneuolentia, ne quid elatius dicam, cohonestatus sum. Quo minus ab amicis videor reprehendendus, si cum se in peregrinationibus aliquid supra fidem eximij, atque admirandi vidisse iactāt; istud ex antiquo Rhetore, de Roma & Theodosio vicissim regero.* Ego vero Chisiū vidi, Auauxium vidi & vtrumq; simul vidi. *At alterum non amplius*

videndum abstulit mors inuida, tanto amissi desiderio, vt nullum dolẽdi finem mihi statuendum pridem professus sim, nisi quis illum felix Genius & Sospitator meis oculis, rediuiuum stitisset. Quod verò numquam bona fide fieri posse putaram, id magnam partem confectum esse, & vnicè miror & vehementer gaudeo. Enimuero, quotiescumq; Te Vir Illustriss. magnis passibus ad virtutem grassantem cõspicio; quoties mores compositos, animum ad magna erectum, æquitatem in iure dicundo summam; amorem tuum denique eximium cogito erga litteras Litteratosque, toties Excellentiss. Patruum tuum mihi videre videor, viuum penè ac spirantem. Illius quidem Effigiem adumbraui potius quam expressi, in Elogio, quod Concionibus meis panegyricis præfixi: Frater item meus in istis Commentarijs nonnullos colores ac lineamenta adiecit, quæ ad exprimendam hominis similitudinem multum conferant; aderit & forsan felicior aliquis Artifex qui ex ambobus meliorem dabit: Integram perfectamque, nullus dederit nisi Tu, Vir Illustriss. qui totum, quantus quantus fuit, Auauxium fide, pietate, prudentia, bonis artibus; Regi, Galliæ, Senatui, Literatorum Ordini, mihi denique repræsentabis. Vale. Lut. Paris. Anno exeunte CIↃ.IↃC.LV.



LECTORI. S.

QVOD publico legauerat moriens Frater, id fidei meæ concreditum, qua possum optima, repræsento. Et quidem non eo primum consilio scripserat, vt ea peregrinationum suarum Commentaria in vulgus ederentur. Longè alia mens fuit, quod sæpius ab ipso accepi. Nimirum sibi tantùm Musisque scribebat; tum vt ratio otij constaret, tum vt infirmam & male-fidam memoriam adjuuaret, possetque aliquando grata tot rerum, in longinquis ac variis locis, aut visarum aut gestarum, recordatione perfrui. Cum verò Illustriss. Claud. Memmius Comes Auauxius, quo clam nihil rerum agebat, ac ne cogitabat quidem, cottidie scriptitantem obseruasset, mirificè delectatus est & scriptionis genere & narrationis facilitate & venustate sermonis. Itaque hominem hortatus est, vt eò diligentius omnia perscribe-

ret, quò faciliùs id exequebatur; se arbitrari eiuscemodi scripta posteritati ingrata non fore, pergeret porro, olim suo tempore editurus. Huic tanto suffragio accessit, qua non potuit in re litteraria maior esse, Nicolai Borbonij auctoritas. Ille Fratri, cuius genium in scribendo benè nouerat, elegantissimâ Epistolâ, seriò suadet vt Legationis Memmianæ Historiam conscribat, proposito etiam Augerij Busbequij nomine & exemplo; in altero videlicet omen, in altero rationem bene scribendi ostentans. Tantis sponsoribus tamque locupletibus, quorum etiam in sententiam concessêre, quotquot Viri Docti hoc Itinerarium curiosiùs oculis emensi sunt; decreuerat Carolus Ogerius, simul ac in Galliam rediit, opus illud in lucem edere. Verum qui primus & scribendi & edendi Auctor fuerat, intercessit Auauxius. Quæ autem fuerint causæ mutandi consilij, has fermè accipio. Nolebat Vir singularis virtutis & modestiæ, onerari verecundiam suam tot laudibus; gliscente iam maximè in animis æmulorum inuidia, quæ

postmodum, crescente rerum gestarum gloria, latiùs etiam virus suum diffudit. Nolebat etiam, quam ego vel præcipuam, differendæ in aliud tempus editionis, rationem existimo, consilia Legationis euulgari: Quamquam enim hic Commentarius prima fronte, Ephemeridum solummodò aut Itinerarij nomine censeri posse videatur, tantumque itus, reditus, pompas ac vana Legationum & vt verbo dicam, ἐξωτέρικα complecti, subsunt tamen arcana rerum, haud temerè vulganda ab interioris admissionis comite. Nouerat quippe prudentissimus Legatus, optimum agendarum rerum vinculum, esse silentium, verebaturque, ne quis sagacioris ingenij Lector, nonnulla obseruaret, quæ nesciri tunc temporis Reipublicæ intererat. Itaque roganti, in quot annos editionem istius libri differri vellet, respondit admodum viginti; si tamen, inquit, viuus vmquam passurus sum librũ vllum edi, cuius vtramque paginam laudes meæ faciant. Paruit monenti Patrono Cliens obsequentissimus, ac demum post annos vi-

ginti, Auauxio etiam magno Bonorum mœrore è viuis sublato, seriò de edendo libro cogitauit. Nimirum cum arcanis Imperij satis cautum esset tot annorum lapsu, quo effectum est vt arcana esse desierint; satis etiam superquè consultum Excellentiss. Legati modestiæ, ipsius morte, quæ & inuidiæ pallorem vtcumque diluere & verecundiæ ruborem omnino demere posset. His cogitationibus intento Fratri, ac opus cuius curam pridem abjecerat, iamiam edendum recensenti, interuenit morbus sonticus, qui hominem per menses nouem lecto affixit, ac tandem varijs grauibúsque cruciatibus tortum, addixit morti. Patieris æquo animo procul dubio, Humanissime Lector, vt cuius in mortem incidi, per occasionem istius Operis, eius Scriptoris tibi vitam paucis commemorem. Enimvero si hominis hîc Effigiem ex ære chartæ illitam, quod in plerisque fieri solet, proponerem; non posses profectò tibi temperare, quin vultum conspiceres, ac ex illius ductibus & lineamentis, nonnihil de Fratris ingenio coniicere velles. At

quantò plura, veriora, addo & vtiliora, ex vitæ eius imagine percipies; quam tamen, ne properanti ac iam ad iter istud Boreale accincto moram iniiciat, tamquam in tabula contractiori exhibeo.

Natus est Carolus Ogerius Lutetiæ, Patre Petro Cognitore Curiæ Paris. supremæ, matre Maria Doleta, sub finem anni nonagesimi quinti superioris Sæculi. Auarici Biturigum posito litterarum tirocinio, in Academiam Parisiensem euocatus est, vt grauioribus studiis erudiretur. Ibi in Græcis, Georgium Critonium Scotum; in Criticis, Theodorum Marcilium Belgam; in Rhetoricis, Ioannem Grangerium Campanum; in Philosophicis Nicolaum Volincherium Lingonensem, professores ætatis suæ celeberrimos, Præceptores habuit. Exinde Valentiam Segalaunorum vt iuri ciuili, sub Antecessore Iulio Pacio, operam daret, missus est. Verum cùm eo fermè tempore diem suum obiisset Clarissimus Iureconsultus, iis Doctoribus, qui eius disciplinæ maximè innutriti fuerant, se

erudiendum dedit; eo profectu vt post annum publicè ad adipiscendam Doctoris lauream de iure responderet. Demum, relatus in album Aduocatorum Senatus Parisf. caussas egit ac scripsit adeo accuratè, vt magnam sui spem in omnium animis & maximè Virorum Pragmaticorum excitaret, è quorum numero complures illum sibi generum exoptarunt. Sed cum genio quodam à litibus & à conjugio, quod litium genus nocentissimum vocitabat, abhorreret, circumspiciebat subinde, vbi industriam suam magis ex animi sententia, collocaret. Et quidem cum esset infirma memoria; expeditissimo verò & paratissimo ad scribendum, vtraque lingua, calamo, se felicius partes illas implere posse, in quibus plura essent scribenda quam dicenda, meritò arbitrabatur. Itaque cum Amplissimus & eruditissimus Præses Henricus Memmius ad Venetos Legatus, profectionem adornaret, noster vltro se obtulit [illegible]ndum, qui à secretis foret. Neque [illegible]genij acerrimi, qui non modo cu[illegible] sed & anxio delectu, virum legebat

bat eiusmodi negotiis aptum, alium inuestigare aut inuenire potuit, in quo magis conquiescerer. Legatione interim, ob certas causas recusata, opperienda fuit Fratri alia occasio, quæ demum post annos aliquot, ex eadem domo occurrit. Magnus ille Claudius Memmius Henrici Frater, cuius fama sub Comitis Auauxij nomine Orbem Christianum peruagatur, Italica legatione feliciter obita, ad Septentrionis Reges legabatur à Rege Christianissimo. Nuptiæ Danicæ prætendebantur; cæterum suberat maius ac seuerius negotium: Ardebat bellum inter Polonos ac Suecos: Illud componi nostrarum partium maximè intererat; ne armis Suecicis, quæ tantum sui terrorem in Germania sparserant, post Gustauum extinctum pugnamque ad Norlingam malè pugnatam, aliò auocatis, occasionem suam facerent Austriaci, omnibusque viribus in nos incumberent. Verum bellicosissimis gentibus, pertinacissima contentione dimicantibus, quærendus erat eximius aliquis Artifex, qui posset ferocibus animis, aliis pacem suadere,

erudiendum dedit; eo profectu vt post annum publicè ad adipiscendam Doctoris lauream de iure responderet. Demum, relatus in album Aduocatorum Senatus Paris. caussas egit ac scripsit adeo accuratè, vt magnam sui spem in omnium animis & maximè Virorum Pragmaticorum excitaret, è quorum numero complures illum sibi generum exoptarunt. Sed cum genio quodam à litibus & à conjugio, quod litium genus nocentissimum vocitabat, abhorreret, circumspiciebat subinde, vbi industriam suam magis ex animi sententia, collocaret. Et quidem cum esset infirma memoria; expeditissimo verò & paratissimo ad scribendum, vtraque lingua, calamo, se felicius partes illas sustinere posse, in quibus plura essent scribenda quam dicenda, meritò arbitrabatur. Itaque cum Amplissimus & eruditissimus Præses Henricus Memmius ad Venetos Legatus, profectionem adornaret, noster vltro se obtulit vtendum, qui à secretis foret. Neque vir ingenij acerrimi, qui non modo curioso, sed & anxio delectu, virum legebat

bat eiusmodi negotiis aptum, alium inuestigare aut inuenire potuit, in quo magis conquiesceret. Legatione interim, ob certas causas recusata, opperienda fuit Fratri alia occasio, quæ demum post annos aliquot, ex eadem domo occurrit. Magnus ille Claudius Memmius Henrici Frater, cuius fama sub Comitis Auauxij nomine Orbem Christianum peruagatur, Italica legatione feliciter obita, ad Septentrionis Reges legabatur à Rege Christianissimo. Nuptiæ Danicæ prætendebantur; cæterum suberat maius ac seuerius negotium: Ardebat bellum inter Polonos ac Suecos: Illud componi nostrarum partium maximè intererat; ne armis Suecicis, quæ tantum sui terrorem in Germania sparserant, post Gustauum extinctum pugnamque ad Norlingam malè pugnatam, aliò auocatis, occasionem suam facerent Austriaci, omnibusque viribus in nos incumberent. Verum bellicosissimis gentibus, pertinacissima contentione dimicantibus, quærendus erat eximius aliquis Artifex, qui posset ferocibus animis, aliis pacem suadere,

aliis vtiliora bella oſtentare, iſque delectus eſt Auauxius. Quid ibi rerum egerit, quàm feliciter induciæ annorum viginti ſex, eius ex ſententia pactæ ſint, quantæ animis omnium admirationi fuerit, quiſue vſus Ogerij in tota iſta peregrinatione, dicere ſuperuacaneum eſt. Hoc enim, non quidem ſolum, ſed præcipuè agitur, in iſta quam damus narratione. Fatendum quippe, quod res eſt; hîc multa eſſe leuicula, vulgaria ac nugatoria, quæ iter facientibus cottidiè occurrunt, quæque auſtero Lectori, faſtidio eſſe poſſint. Non ita contempſit poſteritatem Frater, vt illius intereſſe exiſtimaret, quid cum mulierculis Gedanenſibus fabulatus fuerit; quo frigore in extrema Suecia percuſſus, aut ſi eſſedo excuſſus aberrauerit à via: Sed cum Diarium Legati ſuumque ſcriberet, non potuit ea prætereire, quorum memoriam ſibi aliquando iucundam fore arbitrabatur. Nos ita judicauimus: Præterquàm quòd complures ex iſtis fabellis ad Clariſſ. Auauxium pertinent, cuius etiam ægri-ſomnia aliquo loco habenda putarem; ea

omnia tanto sermonis nitore, facilitate ac quadam peculiari venustate conscripta esse, vt è re litteraria sit, non aboleri. Alioqui si rebus cottidianis ac vulgaribus, nullus honos ex dicendi facultate, valeant Plautus ac Terentius, qui non modo tritissima quæque, sed & falsa sæpius docuerunt. Reuersus peracta Legatione in Galliam Carolus, grauissimo morbo conflictatus est, adeo vt pro deposito haberetur: siue fuit hæc ætatis, in corpore parum firmo iam fatiscentis inclinatio; seu vires hactenus vmbraticæ & vrbanæ vitæ assuetæ, tot itinerum laboribus ac inclementiori cælo perculsæ, tādem cesserunt. Quidquid sit, numquam bona deinceps fide conualuit; incubuit quidem vis maior morbi in oculum sinistrum, quem sine vlla tamen deformitate, suggillauit; sed & caput acutissimis per interualla doloribus, pulmonem lenta tabe afflixit. Cum ergo se iam vitæ isti desultoriæ & negotiosæ ineptum videret, statuit sibi reliquum vitæ, quod tamen ad annos viginti protraxit, viuere. Capiti vt plurimum ægro & priuatis studiis

vacanti, silentio ac quiete opus erat; quæ cum in domo paterna, obstrepentibus subinde petulantissimis è vicinia seruulis, non posset consequi, aliò quærere coactus est. Secessit itaque in Victorianum Suburbium, vbi complures annos hæsit, inuitante maximè Iacobo Fauerello, acerrimi ingenij Senatore, huius regionis ciue, qui cùm poëticâ summè delectaretur, aleam ad insaniam deperiret, in vtroque censorem egregium Ogerium expertus est. Mirum est inter homines, excepto litterarum cõmercio, adeò indole ac moribus dissidentes; tantam coaluisse necessitudinem. Sed remittebat paulatim ardor ille animi in Iacobo; Iouemque suum Saturno Caroli frangi vtcumque patiebatur, donec deferuescentibus, qui adhuc in viro vigebant, iuuentutis affectibus, præmatura morte, sed omnino Christiana, in manibus amici exspiraret. At Noster, moderatæ cui jampridem assueuerat vitæ, ac ad seueriorem normam exactæ, insistendum fortiùs ratus, cum negotiosis hominibus ac huius, quod vocant, sæculi curis inuolu-

tis, omnem pæne familiaritatem abrupit: Nec nisi, vbi ciuilia officia aut cognatæ caritates necessariò poscebant, temerè se illis immiscebat. Religiosos viros, qui maxime pietatem cum doctrina coniunxissent, cuiuscumque Ordinis, habitus, Instituti forent, venerabatur, colebat; eos sibi amicos, omni quo poterat, officiorum genere demerebatur. Quod si per ætatem & valetudinem licuisset, nomen dedisset vtique piæ alicui Sodalitati: Cartusiensium præcipuè Ordinem, ob solitudinis ac silentij amorem, amplectebatur atque suspiciebat. Quod potuit, apud Sodales S. Genouefæ, qui & ipsi procul à vulgi strepitu remoti diuinis rebus vacant, domicilium fixit. Illic aut orando, aut legendo, aut virorum piorum allocutionibus, aut aliquid prosa, versu, scriptitando denique, ægrum, ex morbo corporis animum demulcebat: Donec inualescente morbo, in domum paternam se referri passus est, vt commodiùs à me & à Sororibus curaretur, sępius tamen caram suam Patronam respectans, quod & paucis ante obitum

erudiendum dedit; eo profectu vt post annum publicè ad adipiscendam Doctoris lauream de iure responderet. Demum, relatus in album Aduocatorum Senatus Paris. caussas egit ac scripsit adeo accuratè, vt magnam sui spem in omnium animis & maximè Virorum Pragmaticorum excitaret, è quorum numero complures illum sibi generum exoptarunt. Sed cum genio quodam à litibus & à conjugio, quod litium genus nocentissimum vocitabat, abhorreret, circumspiciebat subinde, vbi industriam suam magis ex animi sententia, collocaret. Et quidem cum esset infirma memoria; expeditissimo verò & paratissimo ad scribendum, vtraque lingua, calamo, se felicius partes illas sustinere posse, in quibus plura essent scribenda quam dicenda, meritò arbitrabatur. Itaque cum Amplissimus & eruditissimus Præses Henricus Memmius ad Venetos Legatus; profectionem adornaret, noster vltro se obtulit vtendum, qui à secretis foret. Neque vir ingenij acerrimi, qui non modo curioso, sed & anxio delectu, virum legebat

bat eiusmodi negotiis aptum, alium inuestigare aut inuenire potuit, in quo magis conquiescerer. Legatione interim, ob certas causas recusata, opperienda fuit Fratri alia occasio, quæ demum post annos aliquot, ex eadem domo occurrit. Magnus ille Claudius Memmius Henrici Frater, cuius fama sub Comitis Auauxij nomine Orbem Christianum peruagatur, Italica legatione feliciter obita, ad Septentrionis Reges legabatur à Rege Christianissimo. Nuptiæ Danicæ prætendebantur; cæterum suberat maius ac seuerius negotium: Ardebat bellum inter Polonos ac Suecos: Illud componi nostrarum partium maximè intererat; ne armis Suecicis, quæ tantum sui terrorem in Germania sparserant, post Gustauum extinctum pugnamque ad Norlingam malè pugnatam, aliò auocatis, occasionem suam facerent Austriaci, omnibusque viribus in nos incumberent. Verum bellicosissimis gentibus, pertinacissima contentione dimicantibus, quærendus erat eximius aliquis Artifex, qui posset ferocibus animis, aliis pacem suadere,

aliis vtiliora bella oſtentare, iſque dele-ctus eſt Auauxius. Quid ibi rerum ege-rit, quàm feliciter induciæ annorum viginti ſex, eius ex ſententia pactæ ſint, quantæ animis omnium admirationi fuerit, quiſue vſus Ogerij in tota iſta peregrinatione, dicere ſuperuacaneum eſt. Hoc enim, non quidem ſolum, ſed præcipuè agitur, in iſta quam damus narratione. Fatendum quippe, quod res eſt; hîc multa eſſe leuicula, vulga-ria ac nugatoria, quæ iter facientibus cottidiè occurrunt, quæque auſtero Lectori, faſtidio eſſe poſſint. Non ita contempſit poſteritatem Frater, vt il-lius intereſſe exiſtimaret, quid cum mulierculis Gedanenſibus fabulatus fuerit; quo frigore in extrema Suecia percuſſus, aut ſi eſſedo excuſſus aberra-uerit à via: Sed cum Diarium Legati ſuumque ſcriberet, non potuit ea præ-terire, quorum memoriam ſibi aliquan-do iucundam fore arbitrabatur. Nos ita judicauimus: Præterquàm quòd com-plures ex iſtis fabellis ad Clariſſ. Auau-xium pertinent, cuius etiam ægri-ſom-nia aliquo loco habenda putarem; ea

omnia tanto sermonis nitore, facilitate ac quadam peculiari venustate conscripta esse, vt è re litteraria sit, non aboleri. Alioqui si rebus cottidianis ac vulgaribus, nullus honos ex dicendi facultate, valeant Plautus ac Terentius, qui non modo tritissima quæque, sed & falsa sæpius docuerunt. Reuersus peracta Legatione in Galliam Carolus, grauissimo morbo conflictatus est, adeo vt pro deposito haberetur: siue fuit hæc ætatis, in corpore parum firmo iam fatiscentis inclinatio; seu vires hactenus vmbraticæ & vrbanæ vitæ assuetæ, tot itinerum laboribus ac inclementiori cælo perculsæ, tãdem cesserunt. Quidquid sit, numquam bona deinceps fide conualuit; incubuit quidem vis maior morbi in oculum sinistrum, quem sine vlla tamen deformitate, suggillauit; sed & caput acutissimis per interualla doloribus; pulmonem lenta tabe afflixit. Cum ergo se iam vitæ isti desultoriæ & negotiosæ ineptum videret, statuit sibi reliquum vitæ, quod tamen ad annos viginti protraxit, viuere. Capiti vt plurimum ægro & priuatis studiis

vacanti, silentio ac quiete opus erat; quæ cum in domo paterna, obstrepentibus subinde petulantissimis è vicinia seruulis, non posset consequi, aliò quærere coactus est. Secessit itaque in Victorianum Suburbium, vbi complures annos hæsit, inuitante maximè Iacobo Fauerello, acerrimi ingenij Senatore, huius regionis ciue, qui cùm poëticâ summè delectaretur, aleam ad insaniam deperiret, in vtroque censorem egregium Ogerium expertus est. Mirum est inter homines, excepto litterarum cõmercio, adeò indole ac moribus dissidentes; tantam coaluisse necessitudinem. Sed remittebat paulatim ardor ille animi in Iacobo; Iouemque suum Saturno Caroli frangi vtcumque patiebatur, donec deferuescentibus, qui adhuc in viro vigebant, iuuentutis affectibus, præmatura morte, sed omnino Christiana, in manibus amici exspiraret. At Noster, moderatæ cui jampridem assueuerat vitæ, ac ad seueriorem normam exactæ, insistendum fortiùs ratus, cum negotiosis hominibus ac huius, quod vocant, sæculi curis inuolu-

tis, omnem pæne familiaritatem abrupit: Nec nisi, vbi ciuilia officia aut cognatæ caritates necessariò poscebant, temerè se illis immiscebat. Religiosos viros, qui maxime pietatem cum doctrina coniunxissent, cuiuscumque Ordinis, habitus, Instituti forent, venerabatur, colebat; eos sibi amicos, omni quo poterat, officiorum genere demerebatur. Quod si per ætatem & valetudinem licuisset, nomen dedisset vtique piæ alicui Sodalitati: Cartusiensium præcipuè Ordinem, ob solitudinis ac silentij amorem, amplectebatur atque suspiciebat. Quod potuit, apud Sodales S. Genouefæ, qui & ipsi procul à vulgi strepitu remoti diuinis rebus vacant, domicilium fixit. Illic aut orando, aut legendo, aut virorum piorum allocutionibus, aut aliquid prosa, versu, scriptitando denique, ægrum, ex morbo corporis animum demulcebat: Donec inualescente morbo, in domum paternam se referri passus est, vt commodiùs à me & à Sororibus curaretur, sæpius tamen caram suam Patronam respectans, quod & paucis ante obitum

diebus, hoc Epigrammate testatus est.

Inuitus, Genonefa, tuo de monte recedo,
Inuitus; testor Te cineresque tuos.
Ad patrios æger cogor remeare penates,
Tractari vt cura commodiore queam.
Mors est hic discessus. Habe Tibi, Diua meum cor,
Sicca modo ad Medicos ossa cutemque fero.

Illic per nouem menses, acutis conflictatus doloribus, quos raro patientiæ exemplo pertulit; Sacramentis identidem procuratus ac Seruatorem Christum ad extremum spiritum inuocans, inter manus suorum decessit, pridie Ecleipsis solis, vndecima Augusti, anno 1654. ætatis 59. Vir fuit omnino, qui inter bonos censeri mereatur; ab omni ambitione, liuore, auaritia remotissimus, quem & perfectum Philosophum dicerem, ni morositas, nonnihil ex ista laude detereret: Inquietioris porro animi, spe aut specie quietis adipiscendæ; quam tandem, ita sperare jubet misericordiarum Pater, in cælo consecutus est. Hoc & de se est professus, Epitaphio, quod sibi ipse scripsit, carmine,

quodque inter ipsius Scidas repertum, hîc commodùm apponam.


PIO VIATORI.

Perlege, parua mora est; tumulo decūbit in isto
Carolus Ogerius
Natus Parisiis, Mederici fonte renatus.
Prima elementa puer
Parisiis didicit. Humanis artibus illum
Instituit Biturix.
Inde Valentinâ, studiis non segnibus, hausit
Iura latina, scholâ.
Parisio demum exercens vtcumque Senatu,
Munera Causidici; (vertit
Heu fata! heu leuitas! mutatur & ad noua
Illico consilia.
Ergo abit ad Danos, ad Suecos atque Polonos;
Memmiademque sequens
Per mare per terras, vires amisit eundo:
Atque sinistro oculo
Captus; scribendis animum, quæ plurima vidit,
Appulit historiis.
Fors sortem mutasset adhuc, fixisset in isto
Hunc nisi mors tumulo.

Sepultus est in Æde B. Ioannis Por-

tuensis, appositusque ad parentes suos; prope monumentum Clariss. & Doctiss. Virorum Ioan. Baptistæ Menilij & Antonij Oisellij, quorum cineres, Fratris cinerum meorumque, cum Deus volet, viciniam fortasse non dedignabuntur.






AD FRANCISCVM OGERIVM DE FRATRIS OBITV CAROLI OGERII ELEGIA.

O Francisce, mei dulcissime Frater amici,
Quem rapuit lentâ Parca seuera nece.
Quid fore te nobis deinceps profiteris amicum,
Fraternamque paras velle subire vicem?
Et pensare, graui patimur quæ damna ruina,
Affectusque pari mente fouere pares?
Desine. Neu quæras à me, seu frater, amari,
Neu me, seu frater, tu quoque amare velis.
Si nescis, amor est noster fatalis, & , omen
Vnde habet, incertum; triste, sed omen habet.
Magno emimur viles, nimis & constamus amati,
Me miserum! quisquis diligit, inde perit.
Aspice, quot paucis perierunt corpora in annis,
Nuper amicitiæ fœdere iuncta mea.
Sunt elegi testes, quos horum ducere iussi
Funera, & imparibus flere subinde modis.

Heu mihi, quàm veros ea verti carmina in vsus!
A gemitu per me quàm bene nomen habent!
Assiduè cum læti aliis cantentur amores,
Est mihi pro cantu quid, nisi mœstus amor?
Nec satis est factum, neque luximus omnia chara:
Nullo, Balsaci, carmine dicte, jaces.
Quamuis & fidos non vltimus inter amicos,
Dignus & in Scriptis qui legerere meis.
Nempe sumus fessi lugubria sæpe canendo,
Mens fdet, à què suis tentat abesse malis.
Haud tamen indictum versu te, Carole, nostro,
Nec meritâ Manes laude carere sinam.
Quem potius Vatum memorem? quis plura locutus
Funera, tot claros misit in astra viros?
Indecorem, neque adhuc fletum jacuisse Poëtam,
Pierides, vestrum crimen; Apollo tuum est.
At non ille sua Phœbo Musisque pudendus
Arte: Nec ingenij vena maligna fuit.
Nunc quoque fraternis proles quæ posthuma curis
Exit, opus dignum nonne parente suo?
Quamquã vita placet Scriptis magis omnibus vna,
In patriam pietas gratior, inque Deum.
Hinc procul empta malis, vt fit, suffragia laudum,
Artibus, auctori displicuere meo.
Hic ara tibi, Simplicitas non rustica, certa.
Hic & erant, Candor Gallice, templa tibi.
Visque animi morbo major longoque grauique:
Morsque diu siccis proxima visa genis.
Fallor, an hos cœlum mores, atque hæc bona terris
Inuidet atque ad se non diuturna rapit?
Inuidet: hæc causa est, superas cur raptus in oras

Carolus: hîc meus est crimine liber amor.
Ac neque amicorum quisquam mihi læsus amando.
Orbus & infœlix, sed sine labe fui.
Si quid eis nocuit, fraudi bona magna fuere.
Inuidiam Superûm quòd meruere, jacent.
Eximiis igitur fratrem quòd dotibus æquas,
Hoc, Francisce, mali est, hac tibi parte time.
Me securus ames, impune licebit ameris,
Inuideant terris dum mala fata nihil.
Nec quidquam peccabit amor, peccaueris in te
Clarior, & meritis inuidiose tuis.

FRANC. VAVASSOR
è Soc. Iesv.



DE DOCTISSIMO ELOQVENSSIMOQVE VIRO FRANCISCO OGERIO CAROLI OGERII FRATRIS SVI OPERA VVLGANTE

Dodecastichon.

O Geri, patriis non inficiende Camœnis
Nec minus in Latia suspiciende Lyra.
Tu mores populorum, Arctoaque regna notâras,
Dum peragras gelidæ littora longa plagæ.
Gestaque mandâras chartis Sapientis Auallî,
Huic tu Legato dum latus vsque tegis.
Quæ nunc in tenebris orbata parente jacerent,
Ni Fratris pietas ederet illa tui:
Fratris, inexhausto fundens qui pectore flumen
Eloquij, docto detinet ore Viros.
Huic igitur debes, toto quod in orbe legêre,
Et post fata, tui parte, superstes eris.

HADRIANVS VALESIVS.

CAROLO OGERIO VIRO DOCTISSIMO,

N. BORBONIVS S.

BIENNIVM est, cùm te nondum de facie notum amo & suspicio, commendatione Scriptorum tuorum quæ publici saporis minimè visa sunt, sensibus meis mirificè conciliatum. Atqui magis votum quàm spes fuit propioris notitiæ & contrahendæ tecum familiaritatis, videlicet ætate hac præcipiti & labefactato incredibilibus malis ingenio; cum homine vegetæ solidæque eruditionis, dignoque adeò, quem è modestiæ suæ latebris in solem eductum, orbi Litterarum fama ostendat. Nec dubitaui tamen, quin candor & humanitas pariter in te cum doctrina certarent. Sed postquam intellexi te in comitatu esse Illu-

ſtriſſimi Claudij Memmij ad Septentrionum Reges pro inuictiſſimo noſtro Ludouico profecti, viſus ſum illicò mihi, vel eo nomine amorem tuum lucrifeciſſe, qui me deinceps judicij tui, quòd aliàs veritus fuiſſem, ſecuriorem præſtaret. Atque hæc, ad cætera ejus Excellentiæ in me promerita, quæ multa magnaque extant, non mediocris facta eſt acceſſio. Legi ſumma cum voluptate in veſtro Gedanum appulſu, occurſus ſalutationes & honorificas Procerum Reipublicæ ad Illuſtriſſimum Legatum allocutiones, obuiaſque aliorum quamplurium gratulationes; identidem vim præſentis animi atque expeditam vberemque illius viri facundiam admiratus, qui licet de longa maris jactatione feſſus, tot tamque diuerſis nationum ingeniis vno tempore ſatisfecerit. Subiit etiam illa cogitatio, quanto vſui & præſidio vobis fuerit apud illas gentes, quæ tam neglecta jacet apud nos, Latinitas. Certè laudatur hîc ab omnibus efficax Legati virtus ac dexteritas, qui negotium penè deſperandum, vt pax inter Suecos &

Polonos conueniret, confectum dederit; & Suecis quibus maximè cautum volebat, ad pacem stabiliendam persuaserit, vt tot arcibus, oppidis, portubus & locis munitis decederent, quod omnino non facturos multorum opinio erat. Sed præcipuè quod ab iisdem magna contentione extorserit, vt Catholici ritus in Liuonia permitterentur, conjunctis hac in re cum Polono sensibus ac studiis, cum suæ ipsius pietati ac religioni conuenienter fecisse; tum magnoperè Christianiss. Regis existimationi consuluisse censetur. Ita futurum reor, vt homines prius defessi sint eum laudando (quod Sallustius ad Cæsarem ait) quam ille gloria digna faciendo. Nam & ex hac tractandæ pacis felicitate, cæteraque in magnis rebus prudentia; iam crebris bonorum sermonibus & votis destinatur Constantiam ad Brigantinum lacum, quò conuenturos Cæsaris, Galliæ, Hispaniæque Regum de pace Legatos, fama est. Sed vt seorsim te compellem, Vir Doctissime, noli frustrari spes nostras: Expectamus à te Commentarium de

toto itinere vestro, & de Suecica Legatione, quem nisi vtilitati publicæ & gloriæ tuæ inuides, dabis. Nosti luculentum scriptorem & ferè tibi cognominem Augerium Busbequium, qui de legatione Turcica & itinere Amasiano aliquot Epistolas edidit. Me sponsore efficies in hoc genere scriptionis vt nec primus nec solus sit, eoque magis demereberis curiosos, quod vulgatiora sunt quæ de Turcis & Asia minore narrantur, quàm quæ de Suecia & remotis ad Boream populis referri possunt ab homine poly-histore, qualem te esse certò scio. Etiam quæ ludicra tibi & comitibus acciderunt, voluptate perfundent non insulsum Lectorem, vt quod teipsum jeiunio mulctaueris Calmariæ, dum cæteri prandérent; quod à sacris bis abfuisses, aliaque id genus: nec non satis seria, vt quòd penè fueris enectus frigore, dum in vlteriorem Sueciam versus Polum, ad secturas ærarias penetrare non piget; multaque de moribus gentis, & de rebus naturæ adhuc incognita, magno herclè plausu audienda. Persuasum enim habeo;

habeo; nihil ibi memorabile esse, quod te virum perspicacem præterierit, & vt talia deessent, solus in opere tuo, vtramque paginam faceret Memmius, qui Reginas Sueciæ & Gothorum Proceres quò nemo alius potuisset, oratione inflexit; qui Sarmatorum ora in se conuertit & Palatinum Belsensem, cùm suæ prudentiæ præclarum æstimatorem, tùm præcipuum facundiæ admiratorem habuit, his versibus qui veteri Latio quàm Sarmatia videntur digniores.

Quid faciet ferrum Domini quod dextera vibrat,
Cùm tanta in verbis pondera Seruus habet?

Et libenter successum Legationis gratularer, nisi dare ad duos, vno tempore, eadem de re litteras, fatiscentis animi tarditas abnueret, vnaque scriptione exhaustus & sterilis deficerem. Et ille quidem majore cura mihi est adeundus, cujus judicio meritò verear excidere, nisi propensa in me & constans in amore voluntas permaneat. Epistolæ tuæ describendæ copiam sibi fieri petierunt & impetrauerunt, Pu-

teani fratres, Episcopus Carnutensis & frater ejus Stampensis magni Consilij Præses, Abbas Noallius, Dominus d'Herbault Regi ab Epistolis, Theodoricus Seuinus magni Consilij Senator, Corderius, Lemouix; ac demum qui publicus nouarum auscultationum institutor à gaza nomen accepit; omnes tum iucunda maximarum rerum narratione, tum stili tui elegantia capti. Itaque certemus ego & tu deinceps, non alia re quam erga Illustriss. Memmium obseruantia, huius vnius affectus riuales & æmuli, sed vnanimes, & quam tanto Auctore auspicati sumus amicitiam, mutua voluntate & quibus par erit officiis colamus: Hoc de se religiosè spondet Borbonius jam planè tuus, qui tibi scribendo cedit, non cedit amando. Vale. Lutetiæ Kalend. Decembris anno S. 1635.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis à M. FRANÇOIS OGIER Prestre, Docteur en Theologie, de faire imprimer & distribuer par tel Libraire ou Imprimeur que bon luy semblera, vn Liure composé par feu M. CHARLES OGIER son frere, Conseiller & Historiographe de sa Majesté; intitulé, *Caroli Ogerij Ephemerides, siue iter Danicum, Suecicum, Polonicum, &c.* Et ce pendant le temps & espace de quinze années consecutiues, auec defenses à tous Libraires & Imprimeurs d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure, sous quelque pretexte que ce soit, sans la permission dudit Ogier, à peine de confiscation, & de l'amende portée par ledit Priuilege. Donné à Paris le 25. Decembre 1655. Signé, Par le Roy en son Conseil.

HEBERT.



CAROLI OGERII ITER DANICUM.

Quod felix, faustum fortunatumque sit!



ANNO millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, Iulij vndecima, meridie, in comitatu Illustrissimi CLAUDII DE MESMES, Comitis *d'Avaux*, Lutetiâ Parisiorum profectus sum. Erat Ille ad Septemtrionis Reges à LUDOVICO XIII. Christianissimo Rege, extra ordinem Legatus: Primùm quidem ad CHRISTIANUM IV, Daniæ Regem, tum vt grauiora quædam negotia pro tranquillitate Germaniæ pertractaret, tum vt celebritati

nuptiarum interesset Christiani Quinti, primogeniti ipsius filij, iam ad Regnum designati; qui Magdalenam Sibyllam, Electoris Saxoniæ filiam, vxorem ducebat: quas quidem ad nuptias vniuersi Europæ Reges ac Principes inuitati fuerant, diesque ad decimam quintam Augusti condicta. Legabatur deinde in Sueciam, tum vt Reginæ virgini Christinæ, cuius nunc est per orbem terrarum tam procul peruagata gloria, de nouo ad Coronam gratularetur aduentu: tum vt Reginam Matrem, Mariam Eleonoram de Brandeburgo, super acerba Gustaui Adolphi, coniugis sui, morte solaretur, tum etiam vt inita à nobis cum Suecis fœdera firmius adstringeret, eorumque animos, belli Germanici pertæsos, & ad Polonicum, quod imminebat, iam conuersos, à rebus nouandis averteret. Postremò in Poloniam destinabatur, Vladislaum Quartum pro suo itidem iucundo ad Coronam aduentu officiose salutaturus. At præcipuum, majorisque momenti, totius legationis caput erat, vt dissidium magnum inter Polonos ac Suecos componeret, cuius disceptandi arbitrium Rex Christianissimus cum Rege Angliæ, Electore Brandeburgico, & Hollandis receperat.

Itaque, post propinquorum amicorumque complexus, quorum nonnulli, ob insuetaræ ab hominibus Gallis peregrinationis difficultatem, triste nobis exitium vaticinabantur, dimissis illis, per Dionysiacam portam Vrbe

sumus egressi: ac paulò post obtulit se nobis Sancti Dionysij fanum, quà transeuntes, præsens illud Galliarum numen, ex intimo animorum sensu, ad auxilium nostrum vocauimus, vnusquisque suo more; ego vero his extemporaneis versibus, dabimus aliquando fortasse meliores.

Adspira inceptis, Deus Optime Maxime, nostris:
Pande vias, nimbos comprime, sterne mare.
Rex Francorum agitur. Francæ ô tutela Coronæ,
Huc ades, & precibus sis, Dionyse, fauens.
Ista nec immeritò tibi condita templa: nec ara
Nequicquam assiduo plurima thure calet.
Augurium hinc Franci consuerunt poscere Reges,
Seu bellum, seu pax constituenda foret.
Sumpserit hinc etiam felix si Memmius omen,
Adiutus tantâ lætior ibit ope.
Si tua forte iuuant solos suffragia Reges,
Nec te cura potest sollicitare minor:
Memmius his animis Rex est, vt cætera desint,
Me fouet; huic faueas postulo; Rex meus est.

In D. Brixij pago, qui quatuor milliaribus Lutetiâ distat, quadrigæ nostræ pabulo recreatæ sunt. Perreximus inde Bellomontum supra Oesiam siue Isaram. Illius oppidi dominus est Liancurtius, cuius hîc nomen pro quâ est ille virtute, libentissimè commemoro. Ab illa die Latinè inter nos loqui cœpimus; scilicet vt illius linguæ, quæ totius peregrinationis nostræ interpres esse debebat, facultatem nobis compararemus. In prima hac mansione, dum cæna pararetur, lectum est nobis à Legato ele-

gantissimum Poema Nicolai Borbonij, quod *Poëta Creditor* nuncupatum est. Inter cœnam aduenerunt Noyerius & Theodoricus; alter legati fidus ab antiquo secretarius: alter militiæ, peregrinationum, ac præsertim linguæ Polonæ apprimè callens, nonnullique alii ex legationis comitatu, quibuscum de itinere in sequentem diem ineundo actum est. Huc allatæ sunt literæ quibus de Ratisbonæ obsidione quædam nuntiabantur: nimirum à centum quinquaginta tormentis verberari, & à quinque millibus exterorum militum, tribusque Ciuium millibus gnauiter propugnari: eodemque fasciculo allatum est exemplum Orationis à Marchione Feuquierio, Legato, in Comitiis Francofurtensibus habitæ.

XII. Bellouaci pransi sumus, quæ ciuitas Bellomonto septem milliaribus distat. Ibi conspicienda est Ecclesia Episcopalis magnificæ structuræ; imperfectæ tamen, nimirum ea solùm pars, quam Chorum vulgò vocamus, absoluta est. Sacerdotia ibi sunt magni reditus. Ibi Episcopus, qui vnus est è Comitibus ac Paribus Franciæ, ciuitatis dominus est, eiusque nomine ius redditur. Illo die Synodum sui cleri indixerat. Ibi panni conficiuntur, vnde alitur plebecula; venduntur in macello verueces stupendæ magnitudinis, ac pinguedinis. Pomeridie quatuor milliaria confecimus, mansimusque in pago nuncupato, Crepacordum, *Crevecœur*, quod Marchionis Bonniueti est, qui statim Legatum salutatum

in hospitium venit, eumque ad Castellum comiter deduxit, ibique noctem transigere compulit.

Postridie qui XIII. Iulij fuit, à dicto Marchione, lautissimo ientaculo excepti sumus: vidimusque longam latamque porticum, in quâ permulti ex illius auis, Gusierij scilicet aliique, tabulis inæqualibus depicti sunt: summa fuit illius, vxorisque, & venustissimæ filiæ erga Legatum comitas, quam ille suâ vicissim compensans, suauissimo quem secum ducebat cantore, hospites suos demulsit, longiúsque sui desiderium reliquit. Pransum inde iuimus ad pagum Pixium, *Poix*, qui est Mareschalli Crequii. Transiuimus dehinc per alium n. Arenas, quem Somona alluit; & est Longo-villæ Ducis. Pernoctauimus in pago Ponte-dormio, cuius Crequius Dominus est. Castellum ibi est non inelegans, nisi quod vetustate omnes fere diætæ collapsæ sunt. Profectus amœnus, ager ferax; multâ præsertim cannabe. Locus ille celebris est memoriâ Iulij Cæsaris, qui ad Somonæ ripam olim castra metatus est: Indicantur hodiéque illic fossæ, & aggeres ab illo facti; vocaturque locus vulgò *Le Champ de Cesar*. Ad illius conspectum, tametsi locum accuratiùs inuestigare, per itineris necessitatem nobis non licuerit, nescio qua vetustatis reuerentiâ tentati sumus.

XIV. Iulii transiuimus per Abbatis-villam, quæ item Somonâ alluitur; Vrbs est optimè

munita, muris quippe lateritiis, tum fossis latis, altissimàque aqua, quæ vniuersam ambit: A suis Ciuibus solis custodiebatur, nec vllum externum militem tunc admittebat. Ampla est illa, ac permultis artificibus, & mercatoribus, qui suæ libertatis admodum studiosi sunt, referta; septem milliaribus Bellouaco distat. Prandimus deinde in pago qui vocatur Bernayum, vbi impedimenta nostra curribus imposita attigimus, quibus se addiderant currus Regis Daniæ, multâ veste, omnique alia supellectile onusti, quam pro Filij nuptiis Parisiis comparari iusserat. Monterolium sub vesperum appulimus, vrbs illa munitissima est trium nempe murorum ordine, atque ambitu cum profundis fossis. Erat illic tunc temporis Præsidium mille quingentorum militum sub præfectura Comitis Lanouij. Cum ad primam portam venimus, sclopeti nostri, atque id genus ignea, quæ vocamus, arma, militibus tradi iussa dum in diuersorium perueniremus, quò statim relata sunt. Incidimus in id tempus, quo tota illa ciuitas ab Episcopo Ambianensi interdicto damnata erat, ob vim quam sibi illatam ab Ciuibus, criminabatur; eo quod Sanctorum reliquias, quæ in æde S. Salui seruabantur, aliò transportare, sine populi consensu, voluerat. Atque vt de ea re inquireretur, deputatus erat à Rege D. *de Miromenil*, Magister Libellorum supplicum, qui quidem cum vrbis præfecto, Comite *de Lanoy*, Legatum nostrum, honoris causa salutatum

venit. Inferiorem Monterolij vrbem alluit Cancius, vulgo *Canche*, quem ponte ibi traiecimus: isque fluuius Hesdino procedit, quæ quatuor circiter miliaribus Monterolio distat.

XV. Iulij, iter continuauimus, atque post tria confecta milliaria, Oceanus tum primùm à me conspectus est. Continuò exilij è rheda, atque ob insolitum spectaculum, siue is horror, siue lætitia fuit, erupi in Dei Optimi Maximi laudes, aliquot Dauidicos Psalmos immurmurans: *Mirabiles elationes maris. Qui fecit terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, &c.* ad hanc enim ætatem (pudet id dicere) mare non videram: neque tamen desidiosè nimis inter lares domesticos educatus sum, qui statim post infantiam ad Bituriges Cubos toto quinquennio, ac deinde biennio Valentiam Allobrogum studiorum causa relegatus sum. Prandimus in pago, qui Nouum Castellum nuncupatur, vulgo *Neuf-Chastel*, vbi iniucundissimo pane vsi sumus. Indicatus est nobis, inde Mons Hullinus, quem à dextra reliqueramus. Prætериimus deinde à sinistra Hardelotium, quod contra Anglorum incursiones extructum olim fuerat, dum illi vicinam Prouinciam obtinebant, nimirum Gessoriacos Morinos, vnde à Francisco Lothareno, fortissimo duce, ingenti Galliæ bono expulsi sunt. Sub vesperum Bononiam ingressi sumus, vbi portus est maritimus. Vrbs illa duorum mœnium ambitu

cingitur, atque exteriori terræ vallo, quod vniuersa mœnia ab ictu tormentorum defendere, ac tegere potest. In mediâ vrbe, tametsi præalta sit, fontes vberrimi exiliunt. Domus satis bene fabricatæ, ac fere totæ ex lapide, aut silice; longè firmiores quam Monterolij aut Bellouaci. Præfectus illius erat Aumontius Eques torquatus cum præsidio septem cohortium. Sedes ibi est Episcopalis, non ea quidem ab antiquo, sed ex quo Terouennæ siue Taruennæ Episcopatus dissipatus est. Stat ibidem in littore maris turris altissima, & antiquissima; quæ à Iulio Cæsare ædificata creditur vulgò, vocaturque turris Ordinis, quæ Nautis viciniam terræ monstrat, impositoque lumine noctu, procul conspicitur.

XVI. Quæ Dominica erat, post Missam ritè auditam Bononiâ profecti sumus, Calesium versus, transiuimusque per pagum Marquisiam, qui Bononiâ quatuor milliaribus distat. Calesium propius accedentes, Castellum, siue propugnaculum vidimus, nuncupatum *de Nieulay*, quo aquæ maris obiicibus & commatis retinentur, quæ in planiciem latè, si forte vrbs obsideatur, mitti possint, & sex circiter milliaria inundare. Statim atque vrbem ingressi sumus, ad portum me contuli; nam qui terrestre vrbis latus conspexeram, vt vniuersam animo complecterer, placuit eodem momento latus etiam maritimum contemplari, atque vt est illa vrbs totius plagæ

facile Princeps ac ſuapte naturâ & ſitu præſtantiſſima, limes quippe eſt Imperij Gallici aduerſus Britannos, atque Belgas, Oceanumque ipſum; ita diligenti arte, ingentique hactenus ſumptu munita eſt. Ab vna parte mare illi prætenditur, reliquam lacunæ & planicies cingunt. Nouem illa cum arce propugnaculis, quæ regia vocant, vallatur. Portus ad commodiorem nauium appulſum, duobus ſeptis manufactis includitur, quæ in duorum brachiorum ſimilitudinem naues amplectuntur. In extremitate ſiniſtri Caſtellum eſt, Riſbanium nuncupatum, ſub cuius potiſſimum tutelâ naues in portu tutæ ſunt. Duo illa ſepta palis, vt par eſt, firmiſſimis conſtant, ac ſaxis intus repleta tignis ac ſudibus tranſuerſis connectuntur.

Ad dextri finem perueni vnde naues ad portum appellentes conſpicere, iucundiſſimum eſt: verumtamen, tametſi tranquilla ſatis tunc eſſet tempeſtas, ibi præ vi ventorum vix conſiſtere poteramus. Vidi ego inde cum admiratione ſummâ atque ſtupore, infinita aquarum ſpacia tam vaſta atque longa, vt oculorum acies quam intentiſſimam hactenus habueram, victam ſe tum demum fateretur, ſeque non amplius obiectarum ſpecierum remorâ atque metâ, ſed ſuâ ipſius debilitate terminaret. Parte alia libebat in Angliam diuagari oculis, præaltoſque aggeres, vnde Albion olim dicta eſt, albeſcentes intueri. O præſtantiſſimum totius organici cor-

poris organum, Ocule, cùm tua viget acies! quàm est tua vis efficax, atque potens! Pes mihi in Gallia consistit, & Angliam tanto discrimine, atque obice dissitam vsurpas, maria diuagaris, aërem penetras, cœlum ipsum attingis, atque stellas! O me infelicem, cui hæc facultas per hos gratuitos labores nunc hebetior est, ac propè iam extincta! Cæterùm in illo portu visuntur instructissimæ naues, cum omni apparatu maritimo; iucundum est in summis malis diuersorum regum, & populorum insignia, & vexilla intueri: Anglicæ istæ sunt quibus sal exportatur: sunt illæ Danicæ, quæ asseres & scandulas è Noruegia apportant: aduexere istæ Dantisco triticum; illæ cuprum Stocholmo. Hærent interim ad vadum bellicæ Batauorum naues, quæ fretum illud Britannicum totumque latè Oceanum à Dunkercanorum latrociniis, & incursione defendunt; Regisque Christianissimi vsibus præsto sunt, si forte Legatos suos aliquò destinare paret: Inter quas eminebat illa quæ nostro commeatui deputata fuerat, cuius statim Navarchus ad Legatum nostrum, audito eius aduentu, aduolauit. Nouum mihi vtique fuit videre discursantes, secus portum, nautas; hominum genus tam à communi abhorrens, quàm terra ab Oceano, quàm à piscibus, quadrupedes. Illis non manus modo, aut pedes, sed etiam vultus ipsi, atque oculi ob solis, & tempestatum patientiam callo induruerunt; color infuscatus; barba, & ca-

pillus obriguit : amplæ illis caligæ, breues pilei, togæ oblongæ : Cæterum quibus os graue olet continuo tabaci fœtore atque suffitu. A portu in interiorem vrbem redeo : ibi notanda est in primis ingens platea fere quadrata, cui duæ præcipuæ basilicæ prætenduntur; altera vbi lites priuatorum; altera vbi res ciuitatis agitantur. Res ciuitatis politiamque totam Maior cum Scabinis, iudicia Præses, res mercatorum, Consul disceptat. Erat vrbis totiusque ditionis præfectus Mareschallus Brezeus; illique viginti duæ militum cohortes ex variis regimentis, siue legionibus suberant; ciues etiam ipsi præter hoc militare præsidium custodias mediâ vrbe agunt, quibus ipsi adesse, cùm periculi metus est, in propria persona tenentur : alioquin vicariâ vti possunt.

XVII. Arcis præfectus Legatum nostrum in hospitium salutatum venit, inuitauitque vt arcem, cum luberet, inuiseret.

XVIII. Summo mane impedimenta nostra ad nauim delata sunt; comparauimus interim nobis nauticas vestes, quas nostris tuendis superinduceremus aduersus picem, aliasque nauigiorum sordes : tam illæ festiuæ erant, ac variegatæ coloribus, vt cum per tranquillitatem maris foros insisteremus, videretur comœdorum scena. Quid si etiam, ad fallendum malaciæ tædium, Mimos interdum, Comœdosque egimus, tribueturne nobis vitio, atque infamiæ, hoc præsertim sæculo!

XIX. Interfuimus sacris in æde Diuæ Ma-

riæ, quæ Ecclesia Parochialis est: vbi est eximium altare marmoreum, quod non ita pridem ædificatum est: at Ecclesia ante ducentos annos ab Anglis extructa est, quemadmodum ex insculptis eorum insignibus dignoscitur. Ad Capucinos exinde iuimus, à quibus didicimus, Eleemosynas, quas in liberationem votorum periclitantes in mari faciunt, non solum sufficere illis ad suos vsus, sed etiam ad Monasteriorum, quæ in Prouincia sunt, subsidia redundare: Certior etiam ab iis factus sum de impio facinore, quod ante paucos annos Calesij patratum fuisse nimis inconstanti fama acceperam, duodecim nimirum Capucinos nefario quorumdam ciuium scelere, medicato vino necatos fuisse, inter quos erat insignis pietate pariter atque doctrina Augustinus Casaubonus, doctissimi illius Isaacij Casauboni filius. Immane factum! nulla hactenus neque priuata, neque publica vindicta expiatum.

XX. Decem è comitatu Legati apud PP. Minimos, quò securius pericula maris adiremus, sacratissimo Dominici Corporis Viatico nos muniuimus: idem fecere sequenti die vniuersi famuli, ipseque piissimus Legatus, qui portum deinde, quem nondum viderat, perlustrauit. Comitatus est illum Agens in rebus Batauorum, qui illi omnia ad Nauigationem & Commercium pertinentia recensuit, retexitque Belgarum-Hispanorum dolos, qui vt Batauorum manus effugiant, si forte in mari capiantur, se Calesienses Ciues accepto à

Calesij præside, in eam rem testimonio, quod gratuitum non est, profitentur. Cuius rei querelam apud Regem instituere Dominos suos velle Agens dicebat.

XXI. Legatus diem totum pietati insumpsit, & quasi è Stoïcorum familia foret, qui omnes dies Sapienti festos esse dicebant, in ea per totum peregrinationis nostræ cursum, perstitit, hactenusque, vt audio, perseuerat.

XXII. Aduenit in hospitium nostrum nobilis Polonus Palatini Russiæ Filius, salutauitque Legatum prior; resalutauit illum post sesquihoram Legatus, dederuntque inuicem litteras Legatus quidem ad fratrem Præsidem; Polonus ad patrem. Ex Anglia reuertebatur iste Parisios, vbi iam per decem menses fuerat, auebatque Mottæ in Lotharingia obsidionem videre, vti Mastrici viderat: dicam postea, qua comitate & magnificentia ab illius parente in Polonia excepti fuimus. Corrector Minimorum (sic suum illi Antistitem vocant) Legatum inuisit, ac inter cætera, quæ in sermonem inciderunt, dixit se per quindecim annos in Belgio fuisse ad Conuentus instituendos: scireque se, quo tempore Dux Aurelianensis res nouas in Occitania agitare cœpit, octodecim vrbium Belgicarum Præfectos, ab Hispanica dominatione, defectionem parasse, vt in Gallicas partes transirent; quorum inter præcipuos fuerat Bouchini præfectus, & frater eius Decanus Cameracensis. Hoc etiam tempore omnes fere Belgas in Regem Galliæ

propensos esse, nimirum quod contra eorum pacta Rex Hispaniæ alienos illis daret Gubernatores, cùm è Belgio, vel ex sua ipsius familia, dare deberet. Dicebat etiam, se primam reditus sui partem vnumquemque è Belgio regi soluere compelli, istudque tam ingens tributum nobilibus æque, ac populo impositum; æquè populo, ac nobilibus displicere. Addebat, nuper ex Hispania in Belgium mille & quingentos milites nauibus fuisse delatos, tam miseros tamque laceros, vt vniuersæ eorum vestes apud interpolatores Antuerpienses, octoginta tantum libris licuerint.

XXIII. Adij Ecclesiam Parochialem, audiuique Parochum explicantem Euangelium, *Attendite à falsis Prophetis*; interdicentemque omnino subditis suis colloquio, & salutatione hæreticorum; quod decretum quemadmodum illi in tanta peregrinorum frequentia & commercij necessitate obseruare possent, non videbam. Post prandium comitati Legatum sumus in arcem, cum ille maturè Præfectum de aditu suo præmonuisset. Ad primam portam excubitor subsistere nos iussit, vocato centurione suo, à quo introducti sumus; obuiusque statim factus est arcis Præfectus, qui Legatum per omnem arcem circumduxit. Arx illa tam est ampla, quam vrbs ipsa, vallis terreis, & lapideis, vndique cincta, alluitur mari, cingitur fossis, & lacunis, quæ, vti superius dictum est, aqua maritima, si opus

ſit inundari poſſunt: nouem illa cum tota vrbe propugnaculis exterioribus vallatur. Mœnium pinnis, ſiue cortinis, innixa ſunt & diſpoſita tormenta bellica æquis interuallis, quorum alia in vrbem, alia in mare, alia in campos diriguntur. Facies illa arcis quæ vrbem reſpicit, quáque aditus eſt, longo muro prætenditur lataque foſſa ac duobus propugnaculis ſemiluniis. Intus plurima ſunt ædificia, in quibus milites cum vxoribus habitant, plurimique horti ſeparati, quaſi illi qui in Monachorum clauſtris viſuntur. Præfecto ſua item domus eſt, vbi in parietibus picturæ antiquæ ſunt, Anglorum opus: Eſt item in arce Eccleſia Parochialis, nec exigua nec inuenuſta. Quod præcipuum eſt, ampla ibi ſunt horrea, in quadri figuram, longa octoginta paſſus, lata duodecim. Superiores diætæ tritico aſſeruando; quæ ſolo æquantur, furnis ac molendinis; inferiores, quæ fornicatæ ſunt, vino, lignis condendis aliiſque vſibus inſeruiunt. In medio ciſterna eſt capaciſſima. Quadringenti milites arcis cuſtodiæ deputati ſunt. Sarciendo aggeri, quo ad Riſbanum aditur, qui non ita longus eſt, duodecim librarum millia quotannis impenduntur: atque vt tam arx, quam vniuerſa vrbs perfectè munita ſit, adhuc ingentes ſumptus faciendi ſunt; opima ſcilicet iis, ad quos ea cura pertinet, impoſterum præda.

XXIV. In arenam vnde æſtus maris diſceſſerat, deſcendi: hæſique meditabundus,

ac pene stupens, cum cogitarem ab altero littore iacere Americam, hominibus nostris incognitam per tot annos; cuius vicissim incolæ de nobis Europæis audierant nunquam. Iucundum mihi erat eodem fluctu pedem mihi blandè contingi, qui alium orbem tetigerat, ac dum ille leniter accederet, recederetque, mucrone ensis metam illi suam circumscribere, quatenus perueniret. Tum vero deflectenti paulisper oculos in Angliam, abruptos illos aggeres iubebat intueri, ad quos etiamnũ videbatur mihi Iulius Cæsar, cum sua classe niti, & adrepere, tum ab his cogitationibus animum reuocans, omnis generis, & coloris cochleas & animalcula maritima rimabar & palpabam, stellas nimirum, & cancros aliaque huiusmodi ludibria & crepundia Naturæ. Cùm redirem Risbanum versus, ostendi veteranum militem, qui exonerandis vehiculis, quibus arena è fossa Risbani effodiebatur, præerat: quem cùm ego super sua sorte interrogarem, dicebat, se sub Arquiano meruisse, quem ego fortissimũ Ducem quia familiariter noui, eius hic laudandi occasionem libentissimè arripio. Vixit ille ad summam senectutem animo semper vegeto, ac militarem ensem à latere dimittebat numquam, siue ambularet, siue mensæ discumberet, nec sinebat iuniores nobiles ire discinctos. Audiui illum sæpe iactantem, se si in præfectura Calesij mansisset, passurum fuisse numquam, vt amplius Philippi, quod vocãt, Fortalitiũ muniretur: satisque, vt id impediret,
suos

suos presidiarios milites futuros. Fuit ille cum fratre Mareschallo Montinio è fidissimis Henrici IV. cujus partes, vniversa rebellante Gallia, in Aurelianensi, ac Bituricensi Provincia tenuerunt, celebremque illic nominis sui famam & recordationem reliquerunt. Huic ego Clarissimo Viro, cui plurimum pro sua beneuolentia debebam, hęc paucula pro sua summa virtute libens impendo.

XXVI. Legatus Ecclesiam parochialem, ac deinde Parochi domum, & pusillam bibliothecam adiit, inciditque in chorum Senecæ: *Audax nimium qui freta primus rate tam fragili perfida rupit*, &c. gratumque illi fuit audire Parochum cum Vicario suo de Itio portu disputantes, cum alter de Calesio, alter de Bononia intelligi debere affirmaret: nam ista contentio per totum prandium, quo eos Legatus excepit, protracta est: at illam interrupit derepente nuntius, quo significatum est Legato, nihil tunc tale expectanti, per tempestatem vtcumque licere, vt nauim conscenderet. nulla mora relicto Itio portu semesisque dapibus, crudi ad mare cucurrimus, ne forte nos ęstus deficeret, aut mutaretur quiqui erat, ille ventus. ingens statim populi multitudo se nobis circumfundens, ad portum vsque comitata est: nam quia per hos dies magna tempestas mari incubuerat, nec dum vndæ resederant, permulti Legatum à profectione tam incommoda dehortabantur; ominosumque erat, tres Sacerdotes duosque Monachos nobiscum permixtos esse, quasi ad

mortem damnatos deducerent : ipse enim nauta qui dromonem suum, quem bilandrum vocant, nobis locauerat, quo ad nauim nostram bellicam perueniremus, vndis se committere formidabat, seque abdiderat, causatus per id periculum nauigare non posse. oportuit vt præfectus arcis patibulum ni id faceret, illi minaretur. At Legatus, spretis fortiter tutioribus consiliis, nauiculam prior ingressus, meque respiciens antiquo illo tam generoso apophthegmate vsus est, opus esse vt iremus porrò, non vt viueremus. Sani omnes atque alacres desilieramus in nauiculam, necdum illa remi longitudine à terra aberat, media pars vectorum languebamus nausea: pars alios irridebat, pars solabatur, ii nimirum qui languori propiores se sentiebant ; at non aberamus à littore duorum lapidum iactu, cum & ipsi vegetiores prostrati sunt, tametsi plures ex illis sæpius iam mare experti essent. Constantem vbique se gessit Legatus animumque despondit numquam ; & ipse tamen Neptuno vectigal suum dependit, rogabatque deinde, quemadmodum singuli haberent. Duo ex omni turba incolumes perstiterunt, Varennus scilicet, atque Bardonus, quorum alter iam mare expertus fuerat, alter ne attigerat quidem. Tandem post horam in illo tam laborioso traiectu insumptam, ad nauim quæ nos ad vadum expectabat, appulimus. Nauis illa siue potius oppidum natans, stupendæ magnitudinis anchoris, cum ingentium funium vinculis, reti-

nebatur; fluctuabat tamen, alternisque prora & puppis efferebantur: imminebat illa nauigio nostro ruituræ, atque oppressuræ similis, timebantque in tanta præsertim iactatione ipsi remiges, qui nos vexerant, ne allidi & euerti possent: qui timor, quæ perturbatio, vectoribus jam ex stomachi euersione afflictis atque perculsis, qui clamor hinc remigum, inde nautarum, vix fando explicari potest. Demittuntur interea funes ex altissima navi, quorum ope niti ad superiores foros possimus, auxiliantibus nautis. Legatus ipse succollantiū & impellentium remigum auxilio piceum funē prehendens, funambuli in morem sublatus est. Expugnationem vrbis dixisses, adeo strenuè adrepimus & ascendimus; confertimque Legati cubiculum intrantes, alius scamno, alius humi incubuit, ebriis similes; cum alii male concoctos cibos, fœtidamque crapulam; quidam etiam cruorem evomerent. Diversa deinde nobis nautarum cubilia conduximus. Credi non potest, quàm multæ, & pro loci conditione commodæ, ibi sint, condendis hominibus apothecæ, quæ in arculæ aut armarii similitudinem clauduntur. Quotiescumque in has ego me angustias conjiciebam, videbar mihi inducere sarcophagum, adeo justa illic erat corporis humani mensura. Mihi ac Theologo nostro, in puppis castello mansio fuit, vbi duorum rectorum lectos conduximus, in quibus summo mane, olido hospitum nostrorum jentaculo, quod ex butyro, salpa, & halece muriatica

constabat, perfundebamur; totâ verò noctê, continuo tabaci suffitu. Alius alium nidum sibi delegit; plures in sanctæ Barbaræ cubiculo, sic armamentarium vocant, se receperunt. Rhedam Legati Alegotius occupavit, rhedâque per medium mare in Daniam vsque gestatus est. Carinæ fundum, vbi minima iactatio est, Molano subire placuit. Molanum per tres dies non vidimus, nec quò diuertisset, potuimus addiscere. Quid ergo vescebatur, dicet quispiam? non edebat, nec bibebat quicquã, ac vix etiam aërem per apothecæ suæ rimam respirabat. noctẽ quæ secuta est, siue is torpor, siue somnus fuit, non adeo infeliciter transegimus.

XXVII. In nauseam atque in vertiginem euigilauimus. Per duos, aut tres primos dies exiguum iter fecimus, reflante scilicet vento: nec nisi cum recedente maris æstu vehi licebat, qui cum rediret, anchora iaciebatur. Interim hęrebamus in conspectu Grauelingæ & Dunkerquii, considerãtes ingentes naues Batauas quæ exitum Hispanarum, vt eas aggrederentur, expectabant. Gestiebat auebatque mirum in modum Nauarchus noster si forte in Hispanos pugnandi occasio daretur: iactabatque gloriosus miles vel vnius brachii amputatione atque iactura hanc gloriam se cupere mercari: ego vero, inquibam apud me tacitus, ne pilo quidem vno mihi honorẽ illum participari velim: satis est nunc nobis negotii cum Neptuno, quondam etiam cum Marte depugnabimus seorsim, si fors tulerit.

XXVIII. & sequenti exiguũ iter confecimus, proximéq; ad Hollãdiam accessimus, ac Rheni ostia prætervecti, duo castra, quorum alterum *Goere*, alterum *Briel* nominatur, conspeximus, his diebus cum per languorum remissionem licebat, vespertinarum precum cantu nos solabamur. Nam & ipsi nautæ ac milites, qui Calviniani erant, mane & vesperi suas precationes ac psalmos linguâ vulgari sedulò concinebant, quorum æmulatione ad pietatem inflammabamur vehementius.

XXX. quæ Dominica fuit, ingens ventus in puppim adspirans, tam nos succussit, vt patientiam penè excuteret. Incusabamus Æolum atque Oceanum novitii navigatores, rudes adhuc tempestatum ac periculorum; neque enim ad eas incitas deveneramus, in quibus Horatianus mercator exclamabat, *Militia est potior*. Experiemur istud ad 19. Novembris. Biduo postea quietiùs lati sumus, vltima nimirum Iulii & primâ Augusti.

II. die Augusti ad Chersonesum Cimbricam, quæ nunc Iutlandia vocatur, accessimus, terræ aspectu vehementer lætati præsertimque tuguriorum, vbi plagæ illius pastores, & piscatores habitant. Ad hanc diem in Boream rectà cursum direxeramus; flexímus ibi in Orientem vsque ad Promontorium *Scagen*, Norvegiamque à sinistris habuimus: atque ab illo promontorio mare Danicum ingressi, in meridiem tetendimus. Mira nautarum sive ars sive experientia, qui mediâ & intempestâ nocte

cursus suos teneant ac flectant tam certò atque constanter, vt quid cavere, quid sequi debeant, quasi meridie cognoscant: Illum præsertim qui clavum tenet, si consideres, indutum oblongâ penulâ, acus maritimæ, quam præ se habet, motus & circuitus rimantem, excipientemque ventos, interdumque obluctantem gubernaculi convulsione atque impulsu; Magum credas, qui tempestatibus tam potenter imperet.

III. Augusti de nocte paulò ante diem prætervecti sumus periculosissimam rupem, quæ mari eminet, atque per hunc totum ferè diem vehementer quassati fuimus.

IV. Tandem dies lætissima nobis illuxit: sub Auroram Promontorium Collense, quod è Scandinaviæ parte est, & conspeximus & rasimus: tum verò displosum est è navi tormentum bellicum, exortus nautarum plausus, cui nos è lecto erumpentes cuncti acclamavimus. Est hoc in more positum, eoque ludicro atque lucroso, vt hoc freto primùm prætervecti, cum ad hoc Promontorium acceditur, mari debeant immergi; quod *baptisari* vocant; vel pretio se ab hac fortuna redimere. Nullum hoc remigibus ac nautis operæ-pretium, quibus tam intrepidè Oceanus, quam solida tellus initur; Itaque tyrones, tam nautas, quàm milites, implicato sub brachiis & pectore fune ad antennam attollunt, laxatoque fune, in mare labi sinunt, retrahuntque statim ad tres vsque vices: tum vero Connestabilis, qui bellicis machinis præest, comiter ad Legatum accedens

solennemq; ipsi morem denuntians, stipem honestissimã impetravit: nos itẽ singuli qui in comitatu eramus, thalerum Imperialẽ dedimus.

Interim sese conspiciendam dabat vrbs Elsingora, vulgo *Elsenoer*, frequentissimo navium appulsu portus insignis, præcipuum Regni Danici vectigal, nimirum quod singulis annis duos librarũ milliones, per id temporis reddebat. Regnum Daniæ in plures provincias & insulas, quas mare interluit, dissipatum est. Præstat inter cæteras Insula Zelandia, in medio freti Codani sita, in qua est totius Regni Metropolis, Hafnia, sive Codania, vulgo *Coppenhaven*, vel *Coppenhagen*. Secunda Insula Fionia est, vulgo *Funnen*. Sunt aliæ deinde permultæ, quarum nonnullas inter navigandum postea notabimus. Ad Daniæ Regnum pertinet vniversa Cimbrica Chersonesus, vulgo *Iutlande*; & pars Holsatiæ, cujus alteram partem Dux singularis, & cognominis obtinet, cohęretque illa provincia Continenti Germaniæ: at longè maxima prouincia est Norvegia, vniuersusque ille tractus qui partem Lapponiæ continet, & ad Moschouiticum vsque imperium pertingit. Helsingoram redeo, ad cuius conspectum vt venimus, iactâ anchorâ Navarchus noster ad Præfectum oppidi scapham dimisit, neque enim eius iniussu propius licet accedere. audito ille Legati Gallici aduẽtu visaque procul vexillorum nostrorum ab omnibus malis dependentium ac per aërem latè fluctuantium pompa, iussit & ipse statim in arce

summa insigne rubrum apponi: quo conspecto & appellendi potestate facta, statim Nauarchus noster bellica tormenta displodi iussit. Continuò ingenti fulgure ac tonitru triginta majores machinæ sonuerunt, quibus exhaustis, ab arce vicissim reboatum est. Interea Legatus donativum tam militibus, quàm nautis ducentos thaleros Imperiales sparsit: Nauarcho verò, viro strenuo pariter ac comi, torquem aureum, à quo Christianissimi Regis imago dependebat: At ille pomparicas vestes induens, nauticasque deponens, torquem collò circumdedit, naviculamque instruxit tapetibus Turcicis, quâ Legatum ad litus appelleret. Sed alia navicula ab arcis Præfecto missa est, in quam honoris gratia ingredi Legatus voluit aliamque comitatui ac necessariæ supellectili conuehendæ permisit. Proræ insistebat insignis noster tubicen, quem Rex ipse Legato proficiscenti dederat; quamque ille classico Danicum fretum personās pæana Gallicum, hinc Cimbricæ, hinc Scandinauiæ diuidebat. Sex proceri ac præstantes remiges tunicis rubris pariter induti tranquillo mari in portum nos vexerunt. Cum primum in nauiculam descendimus, omnes rursus machinæ bellicæ displosæ sunt, militumque sclopeti. Continuò plebs vniuersa portum præoccupauit visendi studio. Hospitium quod non longè aberat, intravimus, præeunte illo, quem ad id munus Præfectus deputaverat, qui, quòd ipse podagra laboraret, Legato, vt par erat, adesse non potuit. Ascen-

dimus in aulam, ex regionis more nitidissimam, quinque in mare fenestris apertam, pictutis ad contignationem pertinentibus, vndique ornatam, longisque sedilibus ligneis parieti laqueato annexis, ac prætensis, stratis plumeis culcitris, ac desuper stromatis: quæ tam accurate ideo describo, quia sic vniuersæ domus instructæ sunt. Duabus mensis mappæ extensæ erant ex tenuissimo vndulato lino, alteri peluis ad lauandum cum vasculo, alteri duo canthari argentei impositi, vbi ceruisia, & vinum erant. Aderat illic paruus pocillator, cuius comitatem præterire non debeo, quem quia tædebat, quod Legatus non biberet, sumpto ipse cantharo, Legatumque nutu compellans, familiariter illi propinavit, ac toto se proluit argento. Non sum ego ex iis, vt maturè moneam, qui mores exteros repente improbem, quique orbem terrarum ad ciuitatis meæ normam exigi & corrigi velim: animus mihi tantùm fuit animaduertere quæ vidi; liberum sit per me vnicuique suum de vnaquaque re judicium: Nam quæ aliquando probauimus, & ipsi postea interdum ex variis causarum figuris, damnauimus. Esto hæc ergo fixa, & perpetua nostra sententia, nos in diem viuimus, quodcumque animos nostros probabilitate percussit, id dicimus; itaque soli sumus liberi. Reliquum diem lustrandæ vrbi insumpsi. Est illa inter mediocres, & vt verius dicam, parua: viæ satis rectæ, satis etiam latæ: domus interius exteriusque nitidæ; ac ferè omnes latere rubro fabri-

catæ. Fenestris è clarissimo vitro, quod singulis hebdomadis abstergunt, illustratæ: vestibulis, siue prothyræis, quæ in viam excurrunt, præmunitæ, vbi & statuæ & sedilia sunt: itaque chartaceas domos diceres. Homines proceri, & grandes: mulieres nitidissimæ, formosæ, cæsiis oculis, flauo crine, colore candido, atque infantili, staturâ rectâ & altâ, &, quia lino pectus obuoluunt ac celant, virorumque aspectum defugiunt, monialibus nostris non absimiles. Ex holoserico illis est plerumque tegmen capitis, in Lunæ cornu figuram, qualiter apud nostrates Meldenses. Sericæ sunt illis vestes; de honestioribus loquor: & cùm in publicum exeunt, pallio se tegunt, quod à virili non multum differt. Cùm transeuntes salutant, quod satis raro faciunt, genua non plicant, nec se demittunt, sed interdum manus osculo, vel exiguo labiorum motu respondent. Cohæret oppido arx munitissima, & satis splendidè extructa, nuncupata *Cronembourg*; credo quod ibi corona regia asseruatur. Opposita est illi è Scandinauiæ parte arx altera nomine *Elzenbourg*, atque inter duas iacet fretum illud, tam angustum, ac tam celebre, Vulgò *Sond*, quo ex Oceano ad mare Balticum necessarius est aditus, redituſque, quem Rex Daniæ pro libito intercludere, aut recludere potest, vnde illi tantus quotannis reditus. Verumtamen illum intercipiunt ac disturbant illæ naues, quæ per Albim Hamburgum feruntur, merceſque ibi deponunt, quæ

terra deinde Lubecam vectæ deluso vectigali Danico mare Balticum permeant. Cui iacturæ, vt mederetur Rex Daniæ, Gluxstadij (quod oppidum est prope Albis ostium) nouum vectigal constituere tantopere hactenus contendit. Cæterum, vt hunc diem finiam, & cœnatum maturè & cubitum iuimus, atque in nostro cubiculo tres ordine lecti in longo veluti armario instructi sunt linteis candidissimis, ac densissima pluma, ita vt præ nimia mollitie dormiri non possit, importunaque titillatio, atque pruritus cutem sollicitet: adde quod pro stragulo, ac tegmine culcitram desuper plumeam sternunt, etiam æstate, quâ me profectò suffocari timui: alterum est huiusmodi lectorum incommodum, quod nimis breues sint, ita vt sedendum in illis potiùs sit, quàm iacendum. Ancillæ verò, quæ ad lectisternia deputantur, longo amictu lineo vestitæ sunt, quales sunt ferè famulantium Chartusianorum vestes: vnde satis apparet, Diuum Brunonē natione Germanum, & lectos, & vestes, & aliqua etiam in vescendi ratione ex patrio more, familiæ suæ tradidisse: hæc eò nunc scribo, quòd tunc temporis ea cogitatio mihi venit in mentem.

V. Quod mihi valdè erat in votis, Lutheranorum ecclesias adiui, ac per totum peregrinationis meæ tempus, quid in illis gereretur, curiosè rimatus sum: tametsi Legatus, quâ summâ in Deum pietate, singularique amore in me erat, ab istiusmodi hominum conuentibus me vehementer dehortaretur. Possim tamen

verè affirmare, nihil mihi vnquam ab illorum dogmatis, aut moribus iniectum esse scrupuli. Tota Dania (vt semel dicam) totaque Suecia, Lutherana est, ab eo tempore quo Christiernus secundus vtroque regno excussus est, è Danico quidem per Fridericum, è Suecico per Gustauum; quorum vterque solerti, at impio consilio, nouo dominatui stabiliendo nouam vtique, ac in dies crescentem, religionem adiunxit, scilicet vt Carolo Quinto Imperatori, cuius sororem Christiernus in matrimonio habebat, ista coniuratione & sacramento resisterent. Templa illa, quæ Catholicorum olim fuerunt, à nostris nihil prorsus distant, nisi quod aliquibus in locis minores Aras diruerunt, maiores reliquerunt. At plerisque in locis in Suecia atque Germania minimæ etiam aræ supersunt, tapetibus, & mappis instratæ, quasi celebraretur ibi missa quotidie: imo etiam labra illa lapidea, vbi aqua lustralis deponebatur, adhuc extant in vestibulis templorum, relictæque sunt omnium Sanctorum imagines, siue signa siue tabulæ. in omnibus vrbibus Daniæ, de maioribus intelligo, præter ecclesias Danicas, vbi officium celebratur lingua vulgari, est item ecclesia Germanica, vbi celebratur Germanicâ; idem obtinet in Suecia. Ego vero, ne plurium linguarum minus nobilium vsu confunderer, Germanicas magis frequentabam ecclesias. quam vidi tamen primam, Danica fuit, vbi statim à me notata est, (credo in epitaphio,) certi annui reditus constitutio,

Vt scholastici singulis diebus, mane, & vespere in ecclesiam conueniant ad preces & psalmos recitandos. Hoc profectò Catholismum subolet, & quicquid reluctatus sit impius Lutherus, ex hominum animis inueteratum illum ac penitus insitum, sensum euellere non potuit; pertinere ad mortuorum commoda quæ istic in terris, illorum nomine & gratia aguntur; nec enim illas sportulas siue præbendas, quas tam sollicitè atque cautè in æternos annos constituunt, tam viuorum esse, quos numquam nouerint, solatia, quam sua ipsorum esse voluere. Nam & ipsi sapientissimi ethnici seruerunt arbores, quæ alteri sæculo prodessent; existimantes nimirum ex gratulatione posterorum, aliquid vel laudis, ad famam, vel subsidii, ad felicitatem, animis suis immortalibus adiici posse. hinc etiam illas inferorum & elysiorum conualles, vbi scelera expiari, animos defæcari, deorumque societate dignos reddi crediderunt: At nolim hic Theologũ agere, voluitantum animaduertere, quæ sit omnium gentium atque ætatum in hac parte sentẽtia. cœmeteria, quæ ecclesias ambiunt, prorsus ad nostrorum morem sunt, tumulisque passim cruces præfixæ.

VI. Quæ dominica fuit, Legatus in aula sua altare instrui iussit, missamque celebrari, quæ à centum annis Catholico ritu, illic celebrata non fuerat. nam Lutherani suo more, qui à nostro parum distat, bis aut ter in hebdomada celebrant. Aduenit eodem die Petrus Vvibius, quõdam Agens Regis Daniæ apud Christianissimũ

Regem, qui Lutetiâ paulo ante venerat: salutauitque Legatum Regis sui nomine; illique, quandiu in Dania fuimus, perpetuò adhæsit fauitque: hunc ego virum pro sua singulari erga me beneuolentia, & comitate illaudatum prætetire non debui, quem hîc etiam Parisiis, à mea peregrinatione reuersus, à multis honestis viri diligi intellexi libentissimè.

VII. Franciscus de Craco agens Batauorum apud Regem Daniæ, atque ob negotiatorum opportunitatem Elsingoræ residens, audientiam à Legato postulauit. vir ille per triginta annos pro sua republica apud varios Principes & ipsum Hispaniæ Regem demoratus fuerat: longum ideo sermonem cum Legato, qui huiusmodi hominum æquus æstimator est, conseruit.

VIII. Deambulationis, aërisque delibandi gratiâ oppido egressi sumus, domi manente Legato, collesque ascendimus, qui illi imminent, qua parte stabulum est regiorum equorum: ibi iucunde consedimus, dum quidam è nostris secus mare scloppetis aues peterent: vidimusque inde duos remiges, credo Batauos, qui cum in iurgium incidissent, cultellos strinxerunt, duelloque crudeli, in sociorum, nostroque qui paululum distabamus, conspectu, inuicem se confoderunt, alter in brachio, alter in oculo, nihiloque segnius ad nauem, quæ in vado erat, perrexerunt, subleuantibus tamen sociis eum, qui in oculo, lethali fortasse plagâ vulneratus erat. Ite nunc nobiles nostri Galli, & ob gladiatoriam vestram tam ambitiosè gloriamini! en

apud Barbaros nautæ, caupones, stabularii, gloriam vestram vsurpãt: nam & ex subitaneo dissidio, & ex deliberato odio huiusmodi singularia certamina aggrediuntur, & condicunt.

IX. In Regis hortum extra oppidum, deambulatum iuimus. Est ille duorum circiter iugerum, habetque in cliuo collis ædiculam, quam aquę castello comparo: in ea vnicum est cubiculum, cuius conspectus amœnus ille quidem, in mare atque in subditam vrbem protenditur. Liber ibi manuscriptus, erat historiæ Christiani tertii satis eleganti sermone: erat & illic eiusdem Christiani tertii imago appensa, fortè quod istius domunculæ extructor fuit.

X. Contuli me sub vesperum ad ecclesiam Germanicam, quæ mihi aperiri iussa est à pastore Thoma Lundio Flensburgensi ab Holsatia: vbi omnia prorsus ecclesiis nostris conformia vidi, ipsamque Trinitatis figuram depictã à tergo crucifixi, Patrem nimirum senem expansis brachiis, Sanctum Spiritum in columbæ forma, & Christum patientem ac vinctum. Crucifixo erant hi versus inscripti litteris aureis à dicto pastore.

Effigiem Christi spectando memento laberes,
Non tamen effigiem, sed quem designat, adores.

Hæc ego legens Catholicosque perstringi videns, quotusquisque est, inquam, inter Catholicos tam fatuus, vt effigiem adoret? de purgatorio deinde aliquid adieci, non admodum, vt opinor, infeliciter, dixique, me cum Augustino sentire, qui purgatorium credat. dixit ille,

se cum Patribus non sentire, cùm à scriptura dissentiunt. Replicaui non dissentire, quandoquidem scriptura de purgatorio, neque affirmet, neque neget. imo etiam si bona fide intelligatur, aliquem expiandi purgandique locum statuat. Eâ die Legatus inuisit Agentem Batauorum, cuius consuetudine ac colloquio propter longum aulæ Danicæ vsum delectabatur.

XI. Ego & Theologus ad vtramque ecclesiam iuimus, concionantesque verbi ministros audiuimus; Danum quidem, per transennam tantum, cuius multo frequentius auditorium erat. Ad Germanum deinde Thomam Lundium adhæsimus, hominē satis eloquentem, claræ quippe vocis atque distinctæ, nec parum vehementem. Concione absoluta tres statim pueri incipiunt *Kyrie eleison*, reliqua efferuntur lingua Germanica, sine tamen inuocatione Sanctorū, musicis, ac simul vniuersa multitudine, respondentibus, neque illorum cantus ingratus est, neque discors. Finitis litaniis accedit pedetentim ad altare idem sacerdos, qui concionatus est, togam crispans, atque coruscans (talis est enim apud illos pastoralis incessus) genibusque flexis canit duos aut tres versus, quibus respondet vniuersa plebs: tum ille duas aut tres orationes addit, quibus respondent *Amen*. Deinde conuertit se ad populum, stansque aliquam orationem cantat, in cuius fine signum crucis populo imponit tribus digitis, concinunt deinde aliquid pueri, & postea exitur. Aggressus est verbi Ministrum Theologus noster, deque

deque definitione ſacramenti verba fecerunt, cúmque Miniſter reſponſionem ſuam paratam non haberet, ad libros ſuos prouocauit. Rediimus itaque poſt prandium, ſedimuſque ad illius menſam, triumque horarum ſermonem contulimus: vbi de ſcriptura populo permittenda vel prohibenda verba fecimus, ac Theologicis ego rationibus addidi, tam periculosũ eſſe imperito ſcripturæ lectionem permittere, quàm ægroto plebeio, Hippocratem. In illius diæta erant imagines Beatæ Virginis, Angeli cuſtodis, cum Auguſtini ſententia: erat Chriſti vendentes de templo eiicientis, erat Regis Daniæ; erat deniq; Lutheri & Melanchthonis. Inſtitutus nobis hic fuerat de ſcripturæ lectione ſermo, eo quod filia ſacerdotis illius, nec ea quidem inuenuſta, patri à tergo aderat, illique libros è muſæo ſuppeditabat, tam Græcos, quam Latinos, atque vulgares. Poculum ceruiſiæ menſæ impoſitum erat, cuius operculo inſcriptum: *Providentia Dei maior Fortunâ.* Summâ nos ille comitate excepit. Eâdem die ſcripſi litteras Lutetiam, mercatorique Rothomagenſi, qui Dantiſco veniebat, ferendas dedi.

XII. Plurimas privatorum domos perluſtravi, eaſque nitidiſſimas, & circumquaque picturis decoratas, nec non ſcriniis & armariis politiſſimis ornatas. Communis ibi eſt lini tenuiſſimi vſus, mirabarque in tonſorum officinis delicata pretioſaque lintea, quæ operariis ac bajulis ſerviebant, tametſi ea regio neque lino, neque cannabe abundet. Nuſquam amplio-

ra & splendidiora linteamina insternendis le-ctis obseruaui.

XIII. Quæ dies Dominica fuit, variis item aditionibus à me insumpta fuit. Post cœnam Legatus invisit elegantissimas quinque fœminas, quæ ex inuitatione Vvibii, in domum vicinam conuenerant, quarum tres filiæ erant Dauidis *Lou*, qui Regio telonio præerat, quarta Vvibii affinis, quinta eximiæ pulchritudinis, nisi quod matura ætate premebatur: erant illæ omnes è plebeiis familiis, at tam elegantes atque comptæ, vt vix elegantiores alibi postea inuenerimus. Profectò lepidum est videre quasi mutorum colloquium, qui se nutibus ac signis explicare nituntur, nec proficiunt quicquam: talis omnino fuit cum istis mulieribus noster dialogus, neque enim verbum vllum, neque syllabam poteramus inuicem intelligere. Cæterùm, non oris osculo, sed manus tantummodo prehensione salutantur: at cum interest aliqua, vel sanguinis, vel maioris amicitiæ, necessitudo, tum palpatione repetita salutantes inuicem se deliniunt, ac quasi titillant, mulierque viro, ac vicissim vir mulieri, manum secus brachium ad pectus vsque insinuat, inter-mediis tamen manicis; nam illæ tam angustæ sunt, fœminis præsertim, vt digito cutis illarum attingi non possit: Cæterùm illæ sua nimia grauitate atque modestia omnem amorem, & familiaritatis spem, & occasionem excludunt. Nullæ ibi prætereuntium oculis insidiæ tenduntur; nullum est incedendi, aut vibrandi sese lenoci-

nium; non pectus detegunt, non capillos crispant, ac ne ostendunt quidem. Mitellas tamen suas lapillis pretiosis spargunt, habentque zonas aureas, & argenteas, gemmis vtique ornatas. In summa, tersissimæ sunt. Visuntur illæ domi non in cubiculis, vt nostrates fœminæ, sed in cœnaculis; & vbi nostræ hospites suos à quibus adeuntur, in lectorum angiportis, & angulis collocant, Danicæ, & Germanicæ ad mensam statuunt. Nostræ suos hospites vrbanis ac festiuis alloquiis demulcent, interdum cantu, ac lyra, & quæ indoctiores sunt, tesseris, aut chartis lusoriis. Cantharos illæ ceruisiæ super nudis mensis imponunt, ac propinant: interea præsto sunt Danaïdes antillæ, quæ exhausta pocula identidem compleant. Dicendum est tamen quod res est. Nullam memini me videre honestiorem fœminã se nimio potu proluere: istæ verò de quibus loquor, collocato ad caput mensæ nostro Legato, bellaria illi apponi curauerunt, pateris aureis. Illas vicissim cantoris voce, & testudine demulsimus.

XIV. Meridie Helsingorâ profecti sumus terrestri itinere Hafniã versus; ac decurrentes secus mare, Huenam insulam toto itinere conspeximus, quæ se ob maris flexum ex tribus angulis videndam nobis permittebat; quatuor enim, constat æquis lateribus, estque perfectè quadrata in propugnaculi artificiosi formam. Attendite hîc Mathematici omnes, geniumque istius loci edite: quàm multæ atque celebres sparsæ sunt in Ionio immenso Insulæ, nulla tam soler-

rem habitatorem sustinuit, quàm hæc Huena. Illa quippe per plures annos mansio fuit magni illius Tychonis Brahæ.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit, atque obitus.

Vnde ille assidua ac indefessa contemplatione obseruauit de Cælo, quæ hominibus aperiret, ac traderet; vbi præclaram illam arcem, opportunissimam rimandis astrorum concursibus speculam exstruxit, Vranoburgum nuncupatam; vbi duos illos ingentes æreos globos cælestem terrestremque, fundi ac fabricari iussit: cælauitque ipse atque distinxit accuratissimâ operâ; quorum alterum Hafniæ vidi, alter in Germaniam delatus est. De quibus addam etiam aliquid postea. Huius Tychonis soror, mulier septuagenaria, quam etiam Mathematices peritissimam esse aiunt, nos Helsingorâ exeuntes conspexit, illamque nos ipsi vicissim. Plurimi, cùm Hafniam propinquaremus, equites ex vrbe præcurrerunt, vt nos speculatum venirent, aduentúsque nostri tempus renuntiarent. Milliari ab vrbe distabamus, cùm obuiauerunt nobis trecenti ferme equites, ac deinde rheda Regia, in qua duo è primaria nobilitate erant, Christophorus nimirum Vlfeld, ius Regni Senator, & Cornificius Vlfeldius, nondum quidem ille Senator, sed qui pro suis summis ingenii ac corporis dotibus quicquid in Dania munerum est, atque dignitatum, sperare legitime possit; cuius spei satis idoneum iam pignus habebat, alteram videlicet è filiabus Regiis sibi

desponsam: non ego vidi alium quenquam, qui hominem istum oris dignitate, & morum suauitate superaret. Nullum quod ego existimem, beneuolentiæ erga nos illustrius argumentum dedit Rex Daniæ, quam quod Cornificiũ istum Legati nostri ministeriis præfecit, nam illius Aulæ Marescallus erat, perpetuoque illi adhærebat. Salutationibus rite factis ascendit in illorum rhedam Legatus assumpto Noyero. Relictus sum ego cum Vvibio: in sequentibus rhedis erant bini aut terni socii nostri, ac deinde longus pro impedimentis nostris currũum ordo. Ingens populi multitudo in campos spectandi causa eruperat, neque enim sæpe illuc Legati Gallici aduentare consueuerunt: cùm vrbis portam intrauimus, displosæ sunt statim tres machinæ bellicæ, ipsique Regii Filii è propugnaculo nos spectauerunt. Prætextæ ciuibus armatis erant viæ, atque è domorum fenestris, èque artificum officinis spectabant innumeræ nobiles matronæ, honestæq; fœminæ. Rex ipse cum Cancellario è cœnaculo suo nos spectauit, ascendimus in supremam Castelli Regii diętam, quam sibi ad maiorem quietem Legatus præoptauerat. Omnes cameræ ornatæ peristromatis præclaris & vraniscis; cœna statim instructa est. Duodecim nobiles, qui Gallicè loquebantur ad Legati ministeria deputati erãt, nudoque isti capite dapes & fercula mensæ inferebant: non enumerabo singulos, dicam tantum, magni Cancellarii generum Ioachimum Beccum, præfectum Castri *de Beulin*, in

Iutlandia, Legati Pincernam, eumque assiduũ fuisse per tres menses, quibus in Aula Danica mansimus: Alter nomine *Krabbe* scipionem gerens, Pincernæ isti apparebat: Sequebatur tertius qui aquam infunderet, inusitatum hactenus officii genus in Dania; illi nimirum, vt Bataui,

In mediis versantur aquis, quis credere posset,
Et tamen hic nullæ, Donza, bibuntur aquæ.

Erat alius, qui cibos præscinderet, ac prægustaret, cum magna cultrorum, furcillarum, harpaginum & cochlearum supellectile: Vocabatur iste Steno Billius. Erat & alter Ioannes Billius, qui in comitatu Ducis Roannii per Galliam, atque Italiam multis annis fuerat; erat Otto *Gueux*, familiaris quondam Ducis Niuernensis. Erant duo vel tres Rozenkrantzii: vnus erat inter omnes, qui quia Gallicè ignorabat, cùm sua fercula intulerat, præ pudore abibat, quòd non posset nobiscum sermonem conferere. Laudandi sunt hac in parte nobiles Dani, quòd linguarum & disciplinarum scientissimi sint. Testari ego possum, tres Vlfeldios fratres Canutum, Laurentium, & Cornificium, vnumquemque eorum sex aut septem linguas optimè loqui, plures etiam intelligere. Testabitur ipse Theologus noster, quàm multos in Rosenkrantziorum familia inuenerit Theologos, & quàm illis sacræ prophanæque litteræ erant in promptu: quàm verò multi inter illos summique sint Mathematici, dubium nemini esse potest, qui Tychonis Brahe

genium etiamnum illic habitare meminerit. Quas quidem Daniæ dotes eo libentius commemoro, vt, si forte de soli tenuitate, vel de sequioribus hominum moribus, vt res feret, aliquid dicam, fides mihi non abrogetur.

XV. Quæ dies apud Catholicos Assumptioni B. Virginis sacra est, Missa in cubiculo Legati celebrata. Summo mane Rex cum filiis & tota Aula; curriculo ad annulum se exercuit: cœnauit priuatim Legatus, deincepsque hanc methodum tenuit: tam vt se publico ac nimis importuno spectaculo subduceret, quam vt Ministrantium laboribus parceret. Cœnauimus nos vniuersi cum Nobilibus, qui illius Aulæ destinati erant.

XVI. Portum lustraui, vbi plurimas maioris formæ instructissimas naues conspexi. A prandio deambulaui in foro, quod in duas porticus diuiditur, *bursam* vocant, vbi res quæ ad ornatum, & mundum muliebrem, aut virilem pertinent, promercales sunt. Ædificium est illud recens, ac satis præclarum: huc nobiles tam viri, quàm matronæ conueniunt. Libri etiam ibi prostant, quos Batauí Lugdunenses singulis annis apportant.

XVII. Sociorum meorum, quibus diuersa assignata erant in vrbe, hospitia inuestigaui; neque enim omnes in Castello Regio habitare potuerunt.

XVIII. Qui Veneris dies erat, vidimus ante portam Castelli in medio satellitii regii prædicantem Ministrum, duobus ante illum im-

positis pro ambone tympanis, dispositisque in circuitum auditoribus, qui mos satis mihi profanus visus est; finita oratione in Litanias simul omnes eruperunt.

XIX. Misit Secretarium Legatus ad Magnum Cancellarium Christianum *Friis*, vt salutandi Regis potestas sibi fieret. Respondit Cancellarius nihil vrgere, nimirum quia sponsa principis nondum aduenerat: timebāt enim, si Legatus sua negotia statim cum Rege expediuisset, eum porrò in Sueciam profecturum, neque nuptiis affuturum, quas quidem omnium Regum qui inuitati fuerant, legatione cohonestari Rex Daniæ summopere cupiebat.

XX. Cornificius Vlfeldius, qui Legati Aulæ Mareschallus erat, Legatum priuatim, me vno præsente, adire voluit. Fuit colloquium illud sesquihoræ: professus est apud nos deinde Legatus, se ne in Italia quidem ipsa, vbi tanta est ingeniorum solertia, atque vis, vidisse quenquam, qui hominem istum vlla in parte superaret. Digressus à Legâto, abduxit me Cornificius deambulatum extra vrbem, ascendimus rhedam apertam, ducebant illam Noruegianæ quadrigæ, teretes, agiles, atque generosæ. Huiusmodi currus, vel regunt ipsi, vel aurigis regendos mandant. Cæterùm delibato aëre, lautâ deinde cœnâ excepit me aliosq; quatuor è comitatu nostro, quibus sororium suum Petrum Haltfeldiū adiunxit, qui in Batauia & Hispania functus legatione fuerat, & Ottonem Gueusum, iucundissimi consortii viros.

Pigebit profectò illos tanti honoris mihi habiti, cùm ex Fauerelli nostri versibus cognoscent, me hîc inter lixas & calones relinqui in suburbio sancti Victoris, vbi etiam me infelix olus prandere queritur apud Nicolaum Borbonium suâ nuperâ epistolâ optimus Legatus, qui mei obliuisci non potest. Eâ die Illustris Baro *d'Auaugour*, qui ad varios Principes & Ciuitates Germaniæ à Christianissimo Rege deputatus fuerat, ac postremo Hamburgi residebat, ex Regis mandato Legatum nostrum Hafniã conuenit, illiq; postea, & in Suecia & in Polonia adhæsit, si quid ipsi comitteret, facturus.

XXI. Bibliopolas adii, penes quos litteratorum fit plerumque concursus.

XXII. Horâ nonâ triginta, aut amplius Aulici in Legati cubiculum ascenderunt, vt illum ad Regis audientiam deducerent. Stabat Rex in ampla Aula, sinistraque manu mensæ innitebatur: aderant illi mediocri interiecto spatio Christianus *Friis*, Regis Cancellarius, quæ prima est totius regni dignitas: erant deinde reliqui Senatores Regni, inter quos & Ioannes Revvenclavv Germaniæ Cancellarius. Sunt enim tres in illa Aula Cancellarii, primus vocatur Regis: secundus, Regni: tertius, Germaniæ. Post tergum Regis stabant naturales duo filii Christianus & Ioannes Vldrici, & cum illis magnus Cubicularius. Ingredienti Legato, seque ter inclinanti, Rex qui nudo capite stabat, salutationes suas totidem retulit, pedem

flectens accedentique Legato quatuor passibus obuiauit, manumque porrexit. Regem Italico sermone Legatus affatus est, quo potissimum delectari illum resciuerat.

Animus mihi fuerat Orationem Legati, quam auidè accuratéque exceperam, hîc inserere, at neque Italicæ linguæ, quam ad delicias ipse loquitur, blandimenta assequi, nec tam speciosi Oratoris veneres depingere mihi est relicta fiducia. Iussus est à Rege Ioannes Revvenclavvius, qui & ipse vir summæ dignitatis est, Legato respondere, nosque deinde qui in Legati comitatu eramus, Regis dexteram osculati sumus.

A prandio spectatum iuimus cohortem Equitum, quam Rex ipse recensebat: erat illa è Fionia insula. Tenentur nobiles Dani pro modo reditus sui, alere Regi reique publicæ certum numerum equitum armatorum, qui ad regni tutelam prompti sint ac parati: equites illi nulla generis nobilitate clarent, sed nobilibus præsto sunt, iisque famulantur: nam ibi nullus nobilis nobili seruit, aut apparet, vti apud nos atque Polonos. Habét itaque nobiles in Dania pro modo facultatum plures huiusmodi asseclas, & pariter equos, fortes quidem illos ac generosos, quos scilicet assidua exercitatione seque ipsos edocent, atque informant.

XXIII. otiosa ferè fuit.

XXIV. Ioachimus Beccus cœnâ me exce-

pit, oſtenditque plures maiores equos, ac deinde arma, tum elegantem ac pretioſam veſtem, quam in hac nuptiarum pompa induere ac mutare vellet. Poſt cœnam rediit illius Vxor Roſchildâ, vbi vetus eſt Regum Daniæ Mauſolæum, domumque Regiam quæ ibi eſt, inſtruxerat & adornauerat ad excipiendos Legatos atque Principes, ſi fortè illuc irent. Salutaui illam, vt moris erat, manus prenſatione.

XXV. Legatus primogenitum Regis filium, Chriſtianum V. Regem deſignatum, ſalutatum iuit. Princeps in eadem aula (vbi & Rex antea) Legatum expectabat, in propiore tamen interuallo. Ingredienti Legato obuium ſe tulit Princeps, ſeque ambo inclinauerunt. Dixitque Legatus, ſe ex Regis ſui præcepto in Daniam vehiſſe, vt eius nuptiis adeſſet, quas illi fauſtas ac felices eſſe Rex Chriſtianiſſimus optabat. Inter hæc dedit illi Litteras Regis, addiditque, Reginam ipſam, vt illuſtriorem erga Principem beneuolentiæ ſuæ ſignificationem oſtenderet, voluiſſe etiam ad illum Litteras dare (quas item hęc dicens tradidit) tametſi id Galliæ Reginis non ſit conſuetum, vt priores ad exteros Principes ſcribant. Ingreſſus deinde in breuem & concinnam Principis laudem, dixit; illum è patria egredi opus non habuiſſe, vt exterorum Principum virtutes obſeruaret, habere domeſticum abſolutiſſimi Regis exemplum, à quo regnandi artes addiſceret, quem tam perfectè corporis animique dotibus referret, vt ſpes certiſſima eſſet, cum tanti Patris

gloriam, vti iam faciebat, quondam etiam magis ac magis repræsentaturum: prouectusque inde in Regis laudes, addidit, tam eum esse oris atque animi decore præstantem, vt vel ex primo conspectu agnosci possit, eum vnum esse debere, qui tot prouinciis, tot hominibus imperet. Et quoniam Princeps digna & legitima electione quasi in consortium Regni vocatus esset, habere in mandatis, vt cum illo etiam de præsenti rerum Germaniæ statu communicet, eumque ad communem tranquillitatem promouendam adhortetur. His Latinè & Memmiana facundia distinctè, grauiter ornatéque pronuntiatis, respondit Princeps cum summa comitate, Regi Christianissimo, Reginæque coniugi se maximè deuinctum asserens. Interrogauitque de valetudine Regis, de exercitiis, de præsenti mansione. Vicissim illum Legatus de suis nuptiis rogauit, & cur dies illarum proferretur: quod Princeps motibus Germaniæ adscripsit, & discedentem Legatum ad ianuam cubiculi reduxit. Ascendimus deinde in cubiculum Ducis Friderici, qui item Legato propiùs obuiauit, seque mutua parique salutatione exceperunt: paucisque verbis illi Legatus Regis Reginæque nomine salutem impertiit. Respondit item Gallicè Dux Fridericus. Pomeridianis horis cum propugnaculum vrbis solus lustrarem, deambulans incidi in Theologum quendam, qui se non grauatè ad religionem Catholicam accessurum mihi significauit: peragrauerat enim Galliam, & Italiam, sed quòd

nemo illi ſuppetias ferret, redierat in patriam, atque ad ſacerdotium Lutheranum aſpirabat. Dolui profectò, cum inclinantem ſua ſponte ad ſacra maiorum, ab omni humano auxilio deſtitutum conſiderarem. Quæſiui ab illo, cur Rex ſuus nullius religionis quàm ſuæ exercitium ſineret? Reſpondit, ne diuerſus erga Deum cultus rempublicam in factiones ſcinderet. Hortatus ſum illum, quoniam hac propenſione in Eccleſiam Catholicam eſſet, nec in Galliam ſuis ſumptibus redire poſſet, niteretur, vt ipſe intermortuam tam longo interuallo fidem ingenti zelo, cui Deus non deeſſet, nouo aliquo miraculo reſuſcitaret. Erat ille ex extrema Noruegia ſub ipſa ferè poli vertigine.

XXVI. Ingredientem in vrbem Regis Poloniæ Legatum in domo priuata ſpectauimus, in qua nos Vvibius collocauerat, leuandoque expectationis faſtidio, venuſtiſſimam fœminam, Burgo-magiſtri vxorem, inuitauerat, quam nutibus duntaxat, infantilique lingua aggreſſi ſumus. Duo ex noſtris Polono obuiam miſſi ſunt in rheda Legati, illumque extra vrbem ſalutauerunt. Statim atque ille in Palatium aduenit, Generum ſuum ad Legatum noſtrum reſalutandi cauſa miſit. Aliqui ex noſtris poſtridie cum eum cœnantem ſpectarent, rogati ſunt ab illo, vt biberent, quod fecerunt; dixit ille palam, ſe vni Galliæ Legato decedere velle, Legatoque Imperatoris, ſi quis afforet, cæteros anteire decreuiſſe.

XXVII. Quæ Dominica fuit, concioni &

precibus in Regio sacello interfui, vbi permulti nobiles erant, & satis, meo quidem iudicio, bona musica, cum organo, fistulis, & aliis instrumentis. Conspicuæ ibi erant in tribunali alto Regiæ filiæ, more Gallico indutæ & comptæ, eximiæ pulchritudinis & elegantiæ: Rex item in oratorio alto, vnde conspici non poterat. Duo Principes in subselliis de plano cum præcipuis Aulicis.

A prandio vesperis interfui in Ecclesia diuæ Mariæ (nam adhuc templa omnia indita à Catholicis nomina retinent) ibi psalmos Latinè vidi decantari, lectiones diui Pauli vulgari idiomate recitari, easque à verbi ministro explicari. Altare ibi est affabrè sculptum ac deauratum.

XXVIII. Cum Cornificio Vlfeldio deambulaui, cœnauique: socii interim mei apud Christianum Ranzouium, qui in Gallia satis diu fuerat, ex condicto largè epulati sunt.

XXIX. Dux Philippus ab Oldenburgo cum coniuge & filio Hafniam venit.

XXX. Apud Vvibium condicto conuiuio cum aliquibus è sociis exceptus sum, vbi aderant inuitati sex nobiles Dani: initumque inter partes acre ac pertinax bibendi certamen.

XXXI. Et vltima Augusti Legatus Cancellarium inuisit in domo, quæ è regione Castelli erat, quæ quidem domus Cancellariæ vocatur. Inde deambulatum iuit extra vrbem. Illum comitatus est Crabus, vir è primaria nobilitate, qui ex eius ministris erat.

Prima Septembris Legatus in hortum regium à Cornificio Vlfeldio & Ioanne Billio ductus est, in quo domus elegans à Rege ædificata est. Est illic præcipua Aula fornicata, vbi multæ insignes tabulæ, in quibus omnium hominis ætatum oblectamenta & occupationes descriptæ sunt, egregio pleræque opere. Est item camera pauimento marmoreo, vbi gens & cognatio Regis picta est. Balnea item nitidissima, denique omnia summè commoda & lauta. Peculiare ibi est, quod Rex è cubiculo cathenis trochleisque quibusdam pontem sublicium, qui tamen satis distat, attollere ac deprimere potest. Hortus iste tanti ambitus esse potest, quàm ille Parisinus Regis Christianissimi, quem Lateranas vocamus; verumtamen xystos tam latos & magnificos non habet, potiusque hic Danicus ad frugi cuiusdam patrisfamilias compendium & vsum spectat, quàm ad regiam, hoc est, superfluam ostentationem.

II. Septembris Legatus Polonus Regem Daniæ salutaturus, Castelli aream pertransiuit. Accurrimus statim ad illud spectaculum propter vestium Polonicarum nouitatem, pauci tamen Poloni indigenæ cum illo erant: erat ipse Liuonus, nomine, ni fallor, Nicolaus *Korff*, Castellanus Vvendensis, duxeratque secum filium, ac generum. Omnes illius comites, Germani erant, Prussi aut Liuoni, quos in itinere collegerat, atque adeo more illi fere omnes Germano induti erant: at ille filiusque Polonico, nimirum oblonga ille toga holoserica viola-

cei coloris zibelinis pellibus farta cum pari pileo, cui affixæ erant plumæ ardeaceæ; habebat ensem falcatum, cothurnos ex flauo corio, eoque tenuissimo, quibus supponitur ferreus talus. At iucundum est in primis Magnatum Polonorum incessum obseruare, vt se librant, atque ostentant. Memini puerum ex Legati Britãnici familia, cum in Prussia, essemus festiuè ac lepidè incessus illos Polonicos imitari, ac pro hominum differentiis diuersos gestus & gressus formare, nunc Palatini, nunc Starostæ Castellani, nunc alicuius nobilis minorum gentium, quorum singuli pro sui ordinis dignitate, diuersas incedẽdi rationes vsurpant. Quinetiam cùm ad Regem suum salutãdum intrant, vel ad Comitia, vel ad Ecclesiam: vbi aliæ nationes se demittunt, coruscant se illi magis ac magis, admotisque gloriosè ad superiorem barbam manibus (nam mento sunt plerunque raso) pilos crispant, ac retorquent, vellunt etiam quasi indignabundi; & hic est fastus Polonicus. Sequebantur illum sui famuli, inter quos erant duo Heyduci è Prætorianis cohortibus Regis Poloniæ: quod genus hominum seruitiis omnibus idoneum est, atque vt robusto sunt corpore, maximo sunt dominis suis subsidio: ac præterquam ad personas in primis tuendas habentur, clauasque & malleos, aut secures gerunt; quas eadem methodo ac palæstra in homines impingunt, quasi arborem cædant, præsto vtique sunt peregrinantibus dominis, vt si illorum rheda titubet, vel inclinet,

illam

illam protinus sustineant, ac firment: eorum vestem quæ lepida est visu, alibi fortasse describam. Regem Daniæ Legatus iste Germanico sermone allocutus est, cui Rex vicissim Germanico responderi iussit per Revvenclavvium: deinde Rex etiam ipse illum allocutus est.

Eadem die Dux Fridericus, alter Regis filius, qui nunc est Archiepiscopus Bremensis, Legatum nostrum salutatum venit, & cum illo Christianus Vldricus, naturalis eius frater. Ducem Fridericum vsque ad gradus Legatus reduxit.

III. Quæ Dominica erat, interfui precibus & concioni in Regio Sacello, quo me duxit Vlfeldius. Aderat Dux Philippus *de Oldenburg*, patruelis, ni fallor, Regis Daniæ, cum coniuge more Gallico vestita. Ordo illic sedendi ritè seruatur, nam primò Principes, deinde Cancellarius & magnus Marescallus, tum Admiralius, Thesaurarius, cæteriq; ex antiquitatis ordine Senatores in subselliis quaterni sedens. Medius duorum Principũ sedebat Dux ille Philippus: coniux verò è regione in alio subsellio.

A prandio noster Legatus Poloniæ Legatum adiit. Obuius factus illi est Polonus in inferioribus gradibus, præcessitque quasi viam monstraturus honoris causa. Aliquot Nobiles Dani Legatum nostrum comitati sunt, qui propinationes Polonorum exceperunt.

Nam quemcumque inuisas, & quicumque te inuisat, perpetua celebranda est compota-

tio, & quam sitim loquendo, atque interdum altercando Legati contrahunt, comites eluunt, & exoluunt: ipsique seorsum famuli ac pedissequi suos similes!, si non Hispano, aut Rhenano; Gallico certè mero lacessunt. Post colloquium duarum horarum abiit Legatus noster, quem item Polonus reduxit ad inferiores vsque gradus.

IV. Legatus pro sua singulari comitate salutatum iuit Duçem Philippum, cui hoc obsequium detulit, non alio nomine, nisi quia Regis Daniæ consanguineus erat: qui cùm Legatum immotus & inflexus ad se accedentem expectasset, atque inde digressus Legatus hominis duritiem subrisisset, facetè quidam emunctæ naris Danus dixit, indulgendum esse Principi, alioquin minime malo, à tam multis enim annis nullos ad eum à Christianissimo Rege Legatos esse deputatos, vt eos pro sua dignitate excipere dedidicisset. Aduenit ea die adolescens Parisinus N. *de Beaulieu*, rediens è Moscouia, qui Legatum nostrum salutauit, eiusque comitatum auxit. Bibliopolas qui in æde D. Mariæ libros promercales habent, nam huiusmodi mercimoniis attributa sunt Ecclesiarum Sacella, perlustraui. Tam sunt festiui ac ridiculi librorum tituli, quà Latinè, quà Germanicè, vt qui illorum catalogum faceret, non iniucundam satyram componeret. Inde ad Diui Nicolai ædem me contuli, vt egregium Organistam, qui alternis diebus per horam ludedebat, audirem.

V. A prandio Poloniæ Legatus nostrum inuisit, cui per multos gradus obuiam noster iuit. Reduxit illum noster vsque ad Regis diætam; nam in superiore illius parte degebamus. Illa die allatus est Regi nuntius, Legatum Hispaniæ ad vadum Hafniæ stare. Erat ille Dom. Gaspar *de Tebes*, *& Gusman*, Marchio *della Fuente*, tot præterea aliis insignitus titulis, vt iis recensendis, ne hæc quidem pagina sufficiat.

VI. Ergo die paratus est Hispaniensi Legato suus ingressus, maritimus scilicet, nam nos, Poloníque terrestri itinere, Helsingorâ videlicet veneramus. Bellicæ igitur naues, quæ littus prætexebant, suis vexillis insignitæ sunt, nauium pinnæ siue cortinæ rubro panno vndiquaquecircũdatæ. Expeditus ac missus dromon cum decem remigibus, qui Legatũ Hispanum è naui sua deduceret. Deductus est, ac dũ naues bellicas præterueheretur, singulæ tormenta displodebant cum sclopetis. Descendit tandem in paruam peninsulam, in qua naues Regiæ fabricantur, indeque rheda in Castellum vectus est. Erat cum illo Monachus Dominicanus, cæteri comites mixti nobilibus Danis pedibus præcedebant. Aliquot è nostris cœnaculum illius intrauimus, vt illius conspectu frueremur, atque eosdem illi honores, qui Legato nostro fuerant, deferri obseruauimus. At ille non eadem grauitate vsus est, qua noster, cœnauit enim detecto capite, more Germanico, nec

seruauit Hispanicum; noster vero edebat tecto, more Gallico.

VII. Rex Daniæ Legato nostro per Vlfeldium significauit, se in horto post prandium futurum, si vellet huc Legatus conuenire, itaque hora secunda, quatuor è nobis assumptis, in hortum se contulit: ingredientem illum exceperunt Christianus & Ioannes Vldrici. Regem qui deambulabat solus, rectáque ad Legatum pergebat, Legatus cum summa inclinatione salutans, à Rege vicissim etiam se inclinante resalutatus est. Operuit se Rex, item Legatus, nosque accedentes Rex procul etiam pileo salutauit. Legatus illum sermone Italico aggressus est, dixitque, lætissimum sibi ac felicissimum hunc diem esse, quo illi facultas daretur Regem tam commodè alloquendi. Rex hæc verba Latino sermone excepit, atque inde Latinè perpetuo collocuti sunt. Recessimus nos: Rexque illum duxit in paruum tabernaculum vitro septum, vbi aliquot bellaria lapideæ mensæ superposita erant, quæ Rex illi obtulit. Illum deinde Rex duxit in atrium quadratum, picturis ornatum, subter quo Musicos suos collocare solet: iussitque nos conuocari: nobisque ingressis, ab eoque rursus pileo salutatis, cùm ipse Legatusque tecti essent, atque in medio cœnaculo starent, vniuersi continuò Musici, tam instrumentis, quàm vocibus cecinerunt. Hanc tam subitam voluptatem attenti stupentesque accepimus, cum per diuersa

spiracula sonitus, nunc propiores, nunc remotiores ad aures nostras peruenirent. Interea Legatus Regis industriam, qui huius voluptatis inuentor fuisset, obsequiosè comiterque laudabat, quod idem nutibus nostris Regi nos idemtidem respectanti significabamus. Cumque per interualla Musici quiescerent, Rex Legatusque deambulantes colloquebantur sermone indefesso, quasi naturalis ac vernaculus illis foret, atque à iucundo familiarique sermone orsi, in res graues ac serias, quæ ad Legationem spectabant delapsi sunt: inter quas (vti postea ab Legato rescivi) dixit Rex, se Ducis Aurelianensis à Rege Christianissimo secessionem omnino improbare, siue ex animi sententia, siue quod rebellionem nisi pessimo præiudicio etiam in aliorum subditis boni Principes ferre non possint. Subiunxitque, se scire quibus beneficiis Rex Christianissimus fratrem suum affecisset: atque vt dictis etiam experientiæ suæ auctoritatem adderet, ait, se inter omnes Reges regnandi ętate prouectiorem esse: nec istud modo, sed in omnibus fere regnis & dynastiis, tres Principum mutationes vidisse, quas & ipse recensuit. Per duas horas collocutus cum Rege Legatus dixit, se metuere ne tam longo sermone Regię maiestati molestus esset, quod negauit Rex sæpius, dixitque tandem discedenti, vt si quam inter negotiandum cum Ministris regni difficultatem inueniret, ad se recurreret, atque hæc dicens, Legatum ad ianuam vsque cœnaculi reduxit, manum illi idemtidem pren-

ſans, innitenſque. Exeuntes atque in rheda poſitos, ſub ipſo portæ veſtibulo, non ſine Regis iuſſu, nos tantiſper diſtinuit ſubterranea illa inuiſa, at non ingrata, Muſica. Hanc pro ſua erga nos humanitate laudem Rex Daniæ meretur, vt profiteamur palam, illum tam ex propriæ perſonæ dignitate, quam ex Regiæ dignitatis Maieſtate, ſuperare vniuerſos. Proceræ quippe eſt ſtaturæ (quæ ſua mole non laborat, formoſi vultus, niſi quod illi olim ſclopeti ictus duos dentes excuſſit, quorum defectus nec illũ deformat, ſed viuo perpetuoque monumento virtutis ſuæ obliuiſci non ſinit. Cæterum tantę alacritatis, tametſi quinquageſimum ſeptimum ætatis annum tunc ſuperaret, vt omnibus quę corporis exercitatione fiunt, muneribus obeundis, imprimis idoneus ſit, quod etiam quotidiano experimento quandiu Hafniæ fuimus, nobis exhibuit; nimirum qui hora tertia ſurgat, quinta, equitatione & curſibus ad annulum ſe quotidie exerceat cum Principibus filiis, qui & ipſi ſummæ fortitudinis & induſtriæ ſunt, ita vt illi cum Aulicis, depoſitis pignoribus, certent. Indeque poſt prandium vel lanceis cataphracti inter ſe concurrunt, vel alio certamine ad belli artes ſe inſtituunt atque indurant.

VIII. Quo diem pie traduceremus, ſacra enim D. Mariæ natiuitati erat, Miſſam audiuimus, captiuumque Gallum, qui ob delictum in carcere iacebat, Legatique ſuffragio à pœna liberatus fuerat, collata ſtipe liberauimus.

IX. Iterum Dux Fridericus Legatum no-

ſtrum inuiſit, quæ quidem tam frequens aditio & comitas ſatis redolebat, eum Legati ſolertiſſimi ſuffragio indigere apud Suecos videlicet, vt diœceſim illi ſuam Bremenſem liberam permitterent, quod duobus annis effectum eſt poſtea. Interim ego & Theologus è cuiuſdam Burgi-magiſtri cœnaculo pompam ſpectauimus, qua Holki corpus in vrbem ducebatur, qui in Germania ſub Imperatore meruerat, Comitiſque honore inſignitus ob virtutem bellicam, in expeditione agens, morbo peſtilenti occiderat. Corpus illius longiſſimo curru efferebatur, pullo integumento holoſerico ſuperiniecto. Subſequebātur in alio curru duo filii: omnes deinde nobiles Aulici in equis, & Matronæ in rhedis. Præcedebant multæ equitum turmæ, multæ item peditum cohortes geſtantium ſub brachiis ſclopetos. Tuba, quæ præcedebat equites, neſcio quo obice obturata, rumuſculum lugubrem ſtridebat. Per duas aut tres horas templorum campanæ inceſſanter pulſatæ.

X. Quæ Dominica fuit, poſt ſacra noſtra in diæta Legati ritu Catholico peracta, ad Lutheranorum Eccleſias pro mea ſolita curioſitate tranſii, tanquam explorator, non vt transfuga: obſeruauique pro vulgari defuncto ciue haberi orationem funebrem: quod cùm initio mirarer, didici vidique poſtea, id per Septemtrionem ſolenne eſſe, etiam pro pueris & infantibus ipſis; vnius aut alterius thaleri, qui verbi miniſtro datur, impendio. Epitaphia deinde plurima lit-

teris Gotticis exarata decurri.

XI. Vlfeldius argenti massam Legato obtulit, quæ in Noruegiana fodina recens eruta fuerat, cuius fragmentum illi donauit; tam illud argentum purum & perfectum erat, vt elaboratum igne videretur: secunda illa est argenti vena quæ in Noruegia inuenta est.

XII. Aduenit Helsingorâ nobilis adolescens Suecus, nuncupatus Skut, deputatus à Legato Sueciæ, vt Legatum nostrum salutaret, aduentusque sui certiorem faceret. Locutus ille est sermone Latino, tam eleganti, vt Legatus noster Latinitatis & ipse scientissimus, ab eo laudando temperare non posset. Memini, illum ipsum sesqui-anno post in Borussia, cùm articuli pacis concinnarentur, super aliqua vocabulorum altercatione acutissimam dixisse sententiam. Obiit ille paulo post in Pomerania tribunus militum, vbi strenuè dimicans, se tam animis, quàm ingenio valere gloriosâ morte probauit: quod ego hîc occupaui dicere, ne eximio adolescenti suum elogium deesset.

XIII. Legatus Hispanicus ad Regiam audientiã à suo Mareschallo & Admiralio introductus est. Cumque Hispanicè cœpisset, Cancellarius Germaniæ, qui alias Regis assiduus Interpres hactenus fuerat, secedere iussus est, vocatusque à Rege alter Senator N. Iustus Hog, qui Hispano Hispanicè ex Regis mente respondit: breuis illius fuit oratio vti statura: pauci comites: adeo sumptibus pepercerant, aut

Daniam contempserant. Neque ille (nisi nos ipsi fefellerunt) vel Regi Daniæ, vel Aulicis admodum placuit: nam iste Cancellarius Germaniæ, cùm eius ingressum præstolaremur, me aggrediens, audiemus mox (inquit) egregias rodomontadas. Rex vero inter cœnandum ad Vlfeldium conuersus, nescio (inquit) an Legatus Galliæ sciat cuius dignitatis sit Hispanicus iste Legatus; ferunt enim eius fiduciariæ litteræ, illum esse Mulorum ad impedimenta Regia deputatorum præfectum. Quæ vox sine risu à circunstantibus excipi non potuit, siue quod Muli atque Asini in Dania pro monstris habeantur, siue quod apud ipsos omnis equorum vel iumentorum præfectura ad ignobiles personas pertineat, ita vt is qui equitio Regio præsit, è nobilium corpore vel ordine non sit, quemadmodum nec is qui venationi præest, neque item illi qui singulis nauibus præsunt, quos nauarchos vel capitaneos vocamus. Omnia illa munera nobiles Dani aspernantur. Obseruaui interim in atrio Regio tabulam, in qua pumilionis equi figura depicta erat, quo Rex iste aduersus nobilem Scotum N. Sinclarum, qui maximo vtererur, deposito in præmium velocioris cursus pignore, certauerat, viceratque: vti ex versibus inscriptis intelligere licet. Itaque de illo Rege vulgo prædicant, vix esse quemquam, qui maiore industria ferocientem equum insiliat ac domet, vel qui pari audacia in media tempestate nauim conscendat, ventisq; ac mari fidentius se committat.

Poſt cœnam Legatus noſter Ducem Fridericum adiit, qui illi vſque ad medium cubiculi veſtibulum obuiam iit, prioremque ingredi compulit: Reduxitque illum poſtea ſummâ comitate ad gradus vſque. Annoto iſta, quæ Philoſophis videbuntur fortaſſe leuia; at vnde tamen illi qui Legationes ambiunt, artis ſuæ rudimenta, quæ in his officiis partim conſiſtit, addiſcere poſſint. Mane Dux Philippus ab Oldenburgo cum filio puero Legatum noſtrum inuiſerat, cui ſalutationi non interfui.

XIV. Quinque Primarii Senatores ad Legatum noſtrum venerunt, cum illo deliberaturi tum de negotiis publicis, tum de ſedendi incedendique inter Legatos ac Principes prærogatiuâ: erant illi Cancellarius Regis, Magnus Mareſchallus, Admiralius, Cancellarius Germaniæ, &c., ni fallor, Iuſtus *Hog.* Summa fuit inter illos circa poſtremam quæſtionem altercatio, quæ per plures Hebdomadas ſingulis diebus renouata, eum tandem exitum habuit, quē Legatus noſter pro Regis ſui dignitate intenderat. Ad Burſam iui cum Vlfeldio, vbi ſororem illius Haltfeldio nuptam manus prenſatione, vt moris eſt, ſalutaui: admodum illa formoſa eſt & modeſta; plurimis illa palpationibus manus, brachia, genas, os, capilloſque fratris perfricabat, illique ipſe viciſſim, nam oſculi nullus eſt vſus publicus. Exinde ad Hippodromum diuertimus, vbi curſus ad capita magno Equitum concurſu celebrabatur: Nobile imprimis & iucundum eſt ſpectantibus iſtud exercitium:

proponuntur tria capita ex materia siue chartaceâ siue vimineâ: primum palo præfigitur, Hermæ trunci seu Faquini loco in fine catadromi. In principio statuitur alterum: tertium humi iacet. Lex ea est, vt ad hæc tria capita eques equum velocissimè, & sine remissione impellat. Ergo ad primum, quod palo præfixum est, lanceâ incurrit. Cùm est in extrema meta, continuò se conuertens, sclopetumque è theca rapiens, eodem spiritu ad secundum caput, quod est in principio catadromi, ictum dirigit. Flectit se tertiò, atque ad tertium caput, quod humi est, stricto ense incumbit. Steno Billius, qui Legati nostri mensæ incisor erat, cum sua currendi vicis fuit, continuo cursu tria capita rite tetigit. Asportauitque duo, lanceâ nimirum & ense; nam secundum quod à sclopeto feritur, in terram ruit, nec ab equite prehendi potest.

Rediimus inde ad Legatũ nostrũ qui Legatũ Hispaniæ salutatum iuit, comitibus Vlfeldio, & Ioanne Billio. Propinatũ nobis est ab Hispanis valetudini Regis Christianissimi, deindè Regis Catholici, tum Legati nostri: atque ita cómiter excepti ad Poloniæ Legatũ descendimus, comitantibus nos Hispanis vsque ad vltimos gradus. A Polonis rursum nobis oblata sunt pocula.

XV. A prandio Legatus naues Regias, quæ ad vadum erant, perlustrauit. Dromon itaque stromatis, atque culcitris, duodecimque remigibus instructus est. Vlfeldius, Billius & Vice-Admiralius aderant. Triginta circiter naues armatas prætervecti sumus, singulas præsidiariis

ſuis onuſtas, atque vexillis inſignitas. Prætoriam Legatus aſcendit, non ſcalâ, ſed gradibus in cochleam factis, quales in domibus ſunt: rectiùs caſtrum, aut oppidum diceres, tam vaſta illa eſt, quinquaginta nimirum & ampliùs paſſuum longitudine: quinquaginta tormenta bellica: tres fori, ſuperior quidem qui aëri expoſitus eſt; Secundus in quo viginti tormenta. Tertius in quo cætera. Treſque illi fori nitidi, & terſi, atque omnibus impedimentis liberi. In inferioribus ſupellex ac penus omnis repoſita. In puppe quatuor ſibi ſuperimpoſitas diætas ſiue cubicula numeraui, ſuperius Nauclerorum, ſecundum Nauarchi, tertium Regis ſiue Admiralii, in quo ſex lecti, tres hinc inde.

Quarta deinde inferior diæta, armamentarium eſt, vbi omnis generis arma, enſes, bombardæ, circuli ignei, granata, lanceæ igneæ, cæteraque inſtrumenta malefica, quæ nefarius ac ſacer hominum furor adinuenit. Quæ omnia nobis ſigillatim explicata ſunt. Præcipuum malum duo viri ſimul expanſis brachiis complecti vix poteramus. Funis Anchorarius manuum mearum complexu contineri non poterat: carinæ latera tres, & quatuor pedes craſſa erant. Cùm omnia inueſtigaſſet Legatus, intrauit in cubiculum, quod Regium nuncupatum eſt, vbi exquiſita bellaria catillis deauratis menſæ impoſita reperit. Attigit nonnulla, nobiſque item comedendi poteſtatem fecit. Propinatum illi eſt ab Vlfeldio ſaluti Regis Daniæ: excepit deinde poculum Legatus, cúmque labra prolueret,

continuò tria sub illo tormenta displosa sunt. Intrepidè ille (tametsi nil tale suspicaretur) totum calicem exhausit. Placuit admodum mihi hæc tam pompatica comitas: nam hæ res, vt maiestatis plenissimę sunt, ita & beneuolentiæ, quæ propinando sancitur, præclara indicia. A nobis singulis hæc salus rite, atque ex more celebrata est. Salutem deinde Regis Christianissimi propinauit Vlfeldio Legatus; subitóque, dum biberet, tres aliiæ machinę displosæ sunt, quarum globi (mirum id visu) summo mari pluries subsiluerunt, quasi lætitiæ nostræ Neptunus ipse colluderet. Sex interim tubicines clangoribus mare & littora complebant. Exeuntibus nobis atque in scapham ingressis alia displosa tormenta, sclopetique militum vniuersi cum tympanis ac tubis. Prætereuntes singulæ aliæ naues pari salutatione nos exceperunt: mirabamur etiam atque etiam subsilientes globos, qui ad terram procul excurrentes, horresco referens, pertranseuntes aurigas cum carpentis & equis, minimo interuallo perstrinxerunt.

Reuerso in Palatium Legato, domum priuatam adiuimus, vnde ingredientem Legatum Sueciæ spectauimus; cui tres ex suis Legatus noster obuiam miserat; quemadmodum Polono: quod idem Hispano non fecerat, nimirum quia ille neminem sui aditus significandi ergo præmiserat; neque enim in huiusmodi officiis ac ritibus tantillum peccari impune potest.

XVI. Legatus Principem Daniæ inuisit priuatim; priuatim, dico, quia Princeps in Aula

quæ audientiæ Regiæ deputata eſt, ſolus & ſine pallio erat. Summâ illum comitate Princeps excepit, ac ſalutatione facta omnes egreſſi ſumus, ſolis illis relictis. Per ſeſquihoram ambulantes collocuti ſunt, ſemper Gallicè, vti ex Legato didici, qui mihi in familiari colloquio poſt cœnam plurima retulit.

XVII. Quæ Dominica erat, ſtatim à prandio duo Cancellarii, & Iuſtus *Hog*, per tres ipſas horas cum Legato noſtro de rebus ad Legationem illius pertinentibus egerunt: quibus digreſſis, Legatus Hiſpaniæ ipſum adiit, ac per horam allocutus eſt. Lauta deinde cœna excepti fuimus apud Ottonem Gueuſum, qui decem nos Gallos cum totidem Danis commiſit; ſocerum verò ſuam, vxoremque, vxoriſque ſororem in menſæ capite collocauit; quod nos ſummo gaudio affecit; nam duæ illæ ſorores Gallicè loquebantur, quod rarum eſt, ſolæque ſunt illæ fœminæ cum Regiis filiabus, quæ id præſtarè poſſint. Egregiè à Danis pariterque à nobis propinatum, ac bibitum, ſaluti videlicet Regum noſtrorum, Legatique, tum Eminentiſſimi Cardinalis, quem Gueuzus ille rex conuiuii, in medio diuinæ ebrietatis paroxyſmo clara voce, vt omnes exaudirent, vnicum Cardinalem appellabat. Denique, poſt innumeros hauſtus, poſt mutatos ſæpius aureos, argenteos, vitreoſque crateres, cùm madida eſſent omnia, exundaretque pauimentum mero; iamque ſe ſubducerent ipſi, emergerentque ex hoc diluuio paulatim Dani; manente tamen adhuc,

pedemque firmante rege conuiuii, ego & Anaugurius illi è regione positi, atque indefessùm aggredientes; excipientesque, vltimi omnium discessimus. Cúmque iam ensibus accinctis, palliisque sumptis, postremus è nostris cœnaculo egrediens limini adhuc insisterem, pollicererque Gueuso, me Legato relaturum tam fausta ac felicia vota pro illius carissimique Parentis valetudine concepta: tum ille craterem aureum, qui tripode sustinetur, rapiens, & quasi sitibundus exhauriens: rursus, inquit, ad perpetuam dignissimi Legati Parentis salutem tibi propino. Ego verò, inquam, tametsi rumpi debeam, non recuso: atque hæc dicens toto me prolui auro: insilientesque continuò in rhedam incitatissimæ quadrigæ in Palatium nos auexerunt, vbi in vltimis gradibus egredientem à puellis Regiis Principem & Vlfeldium offendimus, qui admoto ad oculos nostros lumine firmitudinem nostram experiri voluerunt.

XVIII. Nihilo tardiùs surrexi. At in hoc bibendi capite, Hispanis etiam superiores fuimus: nam, cùm Legatus Hispanicus à Polonico rediret, in media Castelli area, post illius tergum, vnus è famulis fœtidissimam crapulam despumauit: dedecorisque istius duo Cancellarii, qui à nostro Legato veniebant, testes fuerunt. Fallor: nullum est istud in toto Septemtrione dedecus.

XIX. Rex Daniæ, cum præcipuis Aulicis, plures equitum turmas, quarum delectum faciebat, extra ciuitatem duxit insidens ipse ge-

nerosissimo equo, quem crebris subsultibus impellebat: illum è Palatii fenestris Legati prætereuntem spectauerunt: Legatorum verò plerique comites etiam in campos secuti sunt. Ego interim cùm Theologo nostro in Academiam me contuli, vbi Olaum Vvormium, Medicinæ Professorem, audiuimus interpretantem Hippocratis Aphorismos in Auditorio amplo, & nitido. Disputabat tunc temporis de Hæmorrhagia, allegauitque locum insignem Hollerii, Doctoris Parisiensis, qui Hippocratem commentatus est, vbi de Viro quinquagenario refert, qui ad duo vasa aquaria, *deux seaux*, sanguinem effuderat; quem tamen operâ suâ sanatum fuisse asseuerat: dicebatque Vvormius hoc in Gallia fieri posse; in Dania, alijsque frigidioribus partibus non posse: rationesque afferebat, cur Galli Medici eliciendo sanguine liberaliores sint, quàm Dani aut Germani. Conuenimus deinde illum domum, ibi nos comiter excepit, ostenditque res satis curiosas, Libros præsertim, inter quos erat quidam manu-scriptus, quo priuilegia Franciscanis concessa à Regibus Daniæ continebantur, authenticè à notariis subscripta. Ostendit item quadrum crystalli semipedis, aut ampliùs longitudine, spissum quatuor aut ampliùs digitis, cauatumque in crucis formam; vbi plurima sanctorum reliquiæ conditæ erant, panniculis sericis inuolutæ, quas euoluimus ac vidimus. Iuncta erant duo pergamena, vbi depicti erant

Apostoli,

Apostoli omnes terni, Christusque medius, atque alii sancti, quorum nempe erant istæ reliquiæ. Aiebat, hæc se dono accepisse à quodam Regis Succiæ Centurione, qui illa in direptione cuiusdam vrbis Germanicæ abstulerat, quem à graui morbo curauerat. Quæ quidem ideo accuratius descripsi, vt indicio sint illis, ad quos pertinuerunt, si forte recuperare ac redimere volent. Ab ægris & Medicis ad mortuos transire non incongruum erit: itaque

XX. Holki funus spectauimus. Primò incedebant cohortes satellitii Regii, ferebantque sub axillis scloppetos, furcillasque trahebant per humum. Incedebant inde nobiles viri, qui vexilla ferebant, quibus erant expressa insignia varia cognationum, quæ ad defunctum pertinebant: plures inde, à pullatis famulis, pullati itidem ducebantur equi: sequebatur eques, qui defuncti armis induebatur, ensemque nudum gestabat: ibant postea scholastici magno numero per classes suas distributi sequentibus Magistris, ac post eos Lutherani sacerdotes nullâ aliâ veste, quàm suâ vulgari. Pullati deinde pauperes, qui cereos confertim ferebant. Permulti ex inde nobiles, inter quos naturales Regis Filii, qui nullo discrimine & ipsi interdum per vices feretro succedebant, quod plumbeum erat, atque adeo à viginti nobilibus succollabatur, quod quidem holoserico stragulo, quod crux alba more nostro intersecabat, instratum erat; superque impositus defuncti ensis in vagina, cum

calcaribus. Statim post ferettum sequebantur in equis duo Principes Regis Filij, pedibus verò post illos Liberi defuncti, & propinqui: tum Cancellarius, alijque Proceres, & Senatores: postea fœminæ omnes nobiles, atque inter illas vxor defuncti, quæ à duobus viris, sustentabatur: reliquæ nullo comitante incedebant: neque enim mos ibi est, vt fœminæ à viris fulciantur, ne ipsæ quidem fœminæ Principes, quod satis incongruum mihi visum est. In Ecclesia longa oratio funebris inter medias preces habita est, quam cum intelligere non possem, fastidium meum hoc Epigrammate leuare conatus sum.

Illustri fieret sermo cùm funebris Holco,
Hunc forte aduenien s audiit Ogerius:
Audiit, & sensit, quamquam ignotissimus illi,
Præ cunctis summam pectore tristitiam.
Cur ita? num Danæ quia forsan origine gentis
Ogerius Patriis ingemat vsque malis?
Aut fuit orantis solertia forte Ministri,
Qui facili affectus exprimat arte pios?
Immo. Sed orantem non percepisse; puellis
Permixtum mediis non potuisse loqui;
Tædia per lentos hæc tot patiente quadrantes
Tristior Ogerio, credite, nemo fuit.

Erant enim innumeræ nobiles matronæ, quas ob linguæ Danicæ inscitiam alloqui non poteram.

XXI. Dum Legatus Poloniæ nostrum inuiseret, adij ego interim Medicum Vvormium,

qui mihi libros ſuos de lingua Danica & Gothica communicauit, exemplumque dedit monumenti veteris familiæ Totticæ, vnde illi conſilium ſumptum fuerat plura de litteris ac moribus Gothicis ſcribendi, & amplius inquirendi.

XXII. Legatus Sueciæ Principes filios ſalutauit, cui per Interpretem Princeps Chriſtianus reſpondit: non item frater Fridericus. At vterque Legato noſtro in maioris honoris ſignum ſine interprete reſponderat. Legatum Suecum noſter inuiſit prior: nam qui vltimi aduenerunt, ab aliis priores ſalutantur. Alij Legati propter odia, ac bella Suecum non viderunt.

XXIII. Ter Cancellarij ad Legatum noſtrum venerunt. Eram interim ego apud Vlfeldium, qui crure laborabat, inſanabiliter, ex ſententia ſcilicet omnium ſuæ nationis Medicorum, qui tamen anno poſtea, cùm ſe ex conſilio Legati noſtri Lutetiam contuliſſet, ab eximio Chirurgo P. Iudæo ſanatus eſt. Alter mihi videbatur ille Philoctetes; adeo acutis interdum doloribus cruciabatur: alioquin, cùm per benigniorum temporum interualla, vis mali paululum reſederat, innitebatur baculo. Cæterùm tanta hominis virtus, ac dignitas fuit, vt dilectiſſimam illi Rex Daniæ Filiam Leonoram deſponderit: at ille tam eximiæ puellæ thalamis crus putridum inferre reueritus, antequam nuptiæ celebrarentur, operæpretium duxit, ſi ſe laborioſæ curationis car-

nificinæ, ac periculis deuoueret.

XXIV. Celebratus est magno Aulicorum concursu baptismus infantis, quem Christianus Princeps de sacro fonte suscepit, non sine conuiuio, ac tripudio, cui aliqui è nostris interfuerunt.

XXV. Legatus Sueciæ ad nostrum venit cum præclaro comitatu. Nimirum propter perpetuam honoris, & gloriæ, inter Danos, ac Suecos, cuius vicinia causa est, contentionem, illustré ideo ad has nuptias Legationem adornauerant. Erant illi adhuc in pulla veste ob Regis sui luctum non ita pridem defuncti, indutique omnes ad Gallicum morem. Legatus erat è præcipuis Sueciæ Senatoribus, N. Petrus *Spare*, cuius pater in vniuersa illa Regni Suecici ad Carolum Gustaui patrem inclinatione, iniquo, meâ quidem sententiâ, iudicio cum Bielco, & Bannerio, Regni Proceribus, quia suo legitimo Regi Sigismundo adhærebant, capite plexus est: quorum præfixa hastarum mucronibus capita Stockolmi supra Sudermanicam portam visuntur, maximâ posterorum inuidiâ, ac metu, qui nihilo segniorem reipublicæ curam, & operam impendunt. Quæ ideo hic nimis fortasse præmaturè anteuerti commemorare, ne quemadmodum iter nostrum in Sueciam cæli procella, ita eiusdem itineris, aduentusque, & mansionis ibidem factæ historiam noua aliqua à valetudine mea exoriens tempestas interturbet.

XXVI. Cancellarii Legatum nostrum ad-

ierunt, omnibus technis, & illecebris animum illius tentaturi. At ille à fixo suo gradu pedem dimouit numquam, vni Imperatorio Legato decessurum, cæteros verò se anteire velle. Illi verò pares Legato Hispanico, ac promiscuos cum Gallico honores impertiri summo studio nitebantur. His digressis ægrotantem Cornificium Vlfeldium Legatus noster adijt, non sine aliqua Aulicorum & Procerum inuidentia, quorum neminem adhuc Legatus domi viderat. Cum Vlfeldio erant duæ sorores, altera Catharina innupta, altera Anna vidua Colonelli cuiusdam, qui pro sua virtute Gustauo Regi Sueciæ fidus atque acceptus, ab eo ad Christianissimum Regem missus cùm esset, in Arduenna silua à latronibus, cum toto suo comitatu interfectus est: qua tamen à crudelitate exemptæ fuerunt mulieres, quas in Galliam elabi ac pergere permiserunt, vbi per septem vel octo menses Anna hæc Vlfeldia maritum luxit, ac deinde in Daniam reuersa est.

XXVII. Eundem Vlfeldium cum Petro Vvibio inuisi, qui quidem cùm Agens in Gallia Lutetiæ resideret, maximo subsidio fuit desolatæ illi viduæ. Vnde apparet, quàm vtile sit eorum munus, qui à Regibus & Ciuitatibus in exteras nationes commorandi ergo deputantur, quàmque magno adiumento suis popularibus, quos necessitas huc aut illuc impellit, esse possint: & quā piaculariter ius gentium illi violent, qui vi vel priuatâ, vel publicâ Le-

gatos inuadunt, vel insidiis appetunt, vel propositis præmijs eorum capita deuouent. Libet verò hîc Magistratuum Parisiensium æquitatem ac fidem appellare, vt patratum nuper in Vvanderlicio crudelissimum post Lutetiam conditam facinus, inusitato aliquo exemplo eluant; ne Dantiscani ac Borussi, à quibus tam comiter excepti fuimus, Gentilis sui sanguinem ab immerente aliquo Gallo reposcant, vice talionis. O flagitium atrox! ô indelebile ætatis nostræ dedecus! At quis vnquã hospes eò perfidiæ ac vesaniꝭ in hospitem erumperet, nisi Romæ omnia venalia essent, munerumque, ac deliciarum omnium, effrænisque luxus sequestra ac pararia esset regina pecunia? Ergo ad pecuniam comparandam nulli sceleri, nulli perfidiæ parcitur. O si quis nouus exoriatur Legislator, aut Censor, qui luxum minuat, qui impotenti licentiæ det frænos, qui viros ac fœminas in ordinem redigat, præcidet profecto scelerum omnium venas atque neruos! At, ô æui nostri corruptelam! quia id Michaël Marilliacus Galliæ Procancellarius intenderat, omnium muliercularum bilem, omnium assiduorum ciuium ludibria in se commouit: quin etiam plerique ex eorum ordine, qui se alijs hominibus sapientiores dici volunt, tam vtili tamque prudenti consilio ineptissimè restiterunt. Nam cur Aleator aliquis, aut Citharœdus homini veteris prosapiꝭ se comparet; nisi quia illi ex vestium, ac famulitij sui pompa, à plerisque etiam Nobilibus deceditur? At quis

est in huiusmodi hominibus veri decoris sensus? Quibus artibus quæstorum famuli, ac vernæ dominorum suorum splendorem æquare, aut superare nituntur, nisi corradendâ deprædandáque pecuniâ publicâ ac priuatâ, quâ congestâ, cùm omnia Romæ esse venalia didicerint, omnium protinus bonorum possessionem se facillimè sperant adepturos? Deerat proculdubio (ô mi infelix Borusse) infideli hospiti tuo aliquid vel ad nequitiam; vel ad pompam. Erat iam ille fortasse in ære macellariorum, vnde se expedire, nisi cum tua opportuna pecunia nō poterat; nec tuā, nisi cum tuo innocentissimo sanguine, pecuniam elicere. Absit verò, vt me quisquam nimis liberaliter in patriam meam inuehi putet: debui (quoniam ita occasio tulit) inusitatum facinus abominari, & breui querela amici manibus parentare.

XXVIII. Cùm super illa tam per hos dies agitata Legatorum prærogatiua memoriam meam fatigarem, memini me apud Andræam Alciatum legere, Regem Galliæ pari omnino cum Imperatore dignitate, atque ordine censeri: vtque id mihi certiùs constaret, adiui cum Theologo nostro, Claudium Plumbium, Iuris Ciuilis in Academia Hafniensi Antecessorem, vt Alciatum suum, quo egebam, exhiberet, vbi quæsiui, inuenique locum in Libro *de singulari certamine*: cúmque antequam Alciatum nominassem, inter varios sermones dixissem, Baldum hunc honorem Regi Christianissimo tribuere, vt scribat, ipsum eodem passu cum Cæ-

sare ambulare: quæsiuit ille à me, an Baldi auctoritas huic iuri fundando sufficeret? Respondi ego tanti momenti causam tali fundamento non niti: verumtamen me ex iis esse, qui mirer, certè qui suspiciam antiquos; Baldumque qui inter vetustissimos Iuris Interpretes è præcipuis sit, idoneum sui temporis testimonium ferre potuisse, hominem præsertim Italum, nulliusque, erga Regem Galliæ, beneficij obligatione deuinctum: Et cùm hæc sententia ante tot annos, à viro graui & sapienti prolata ad nos vsque pertinuerit, atque in hac perpetua possessione non vi, non clam, non precariò se Christianissimi Reges tutati sint; Et cùm in toto Iure Ciuili nullus sit melior, aut certior quàm vsucapionum titulus, mirari me, cur homini Iurisconsulto antiqua hæc Baldi autoritas non placeret. Quod si veteres illos barbatos, ob ætatis barbariem, insuper habere vellet; nuperos huius æui scriptores, imprimisque Alciatum (ne dicam Cujacium, & Molinæum, qui Galli sunt,) consuleret: méque, si vellet, locum illi protinus indicaturum. Quod cùm fecissem, deque summa mecum Alciati scientia, & auctoritate consentiret, addidi, rem non igitur nouam à Legato Galliæ attentari, si inter reliquos Principum Legatos, aliquam sibi prærogatiuam tribui debere contenderet. Conuenimus tandem, comiterque ab illo accepti, amici discessimus.

XXIX. Cùm Legatus Hispanicus à Cancellarijs, Legati Gallici consilium certò resci-

misset; nimirum cum siue in ordine sedendi, siue incedendi, vbique priorem se esse velle, nec paritatem pati: Sparso prius rumore, quod ob vrgentes causas à Rege suo reuocaretur, vale dixit Regi Daniæ, Legatoque ipsi Gallico, dissimulato tamen suæ simultatis sensu: præuenitque suo discessu diem nuptiarum, conscensa protinus naui. Strenuè omnino, in hac dignitatum contentione, se gessit Legatus Gallicus, qui cùm videret Danos, contra quam ipsi sentiebant, pares sibi & promiscuos honores Legato Hispanico deferre conari, variisque quotidie propositionibus id tentare, quarum in vltima inter Gallum & Danicos Senatores deliberatione, hæc tandem fuit, vt in celebratione nuptiarum ab vna parte statueretur Rex Daniæ, ab altera Imperatorius Legatus: Legato vero Gallico optio daretur, vtri adhærere vellet; liceret deinde Hispanico, alteri se adiungere; petiit à Senatoribus Danis Gallicus, vt optionis huius facultatem scripto sibi darent: quod cùm recusarent illi: tum exurgens è sua sede Memmius, sumptoque in arena consilio: Eligat vero (inquit) ipse Legatus Hispanicus suum sedendi locum: Illum ego inde extrudam, meumque existimabo, quem ille potiorem iudicauerit. Video enim vos iuri meo struere laqueos, quos faciliùs rumpam, quàm soluam. Ergo-ne (inquiunt illi) ista etiam facies Rege nostro præsente? quidni? (replicauit Memmius) si decessores mei illud idem coram Deo ipso, Romæ, nimirum in Ecclesia, alibique præ-

ſtiterunt : Quam illi, egoque prærogatiuam aduerſus omnium Regum Legatos ab omni æuo ſeruauimus, vt in Dania amittam, non eſt mihi conſilium, Quirites, nec ſi id committam, vos mihi eritis apud Regem meum ſatis idonei fideiuſſores ac vades. Quam glorioſam vocem cùm indignabundo ore, atque geſtu confirmaſſet, ſatis tum demum cognouerunt Senatores Dani, nullis rationibus Claudium Memmium adduci poſſe, vt muneris ſui dignitatem proderet. Ergo Dani de Chriſtianiſſimi Regis excellẽtia dubitant, dicet quiſpiã? nullo modo. Sed gentem Auſtriacã verentur, alioſq; Reges lædere non audent, tametſi (vt eruditi ſunt fere omnes) omnium hiſtoriarũ præiudicio hanc regni Gallici prærogatiuam eſſe non ignorent. Hanc ego quæſtionem ampliùs tractabo, cùm de pace Boruſſica agam, & quæ ſit aliarum nationum ſuper ea re ſententia, enarrabo.

XXX. Ad prandium inuitauit me Vlfeldius cum duabus elegantiſſimis puellis, quarum altera pulchritudine præſtabat, altera ingenio; hæc vocabatur Anna *Suſted*, è comitatu filiarum Regis, credo è Fionia inſula, illa Iſabella *Grebin* è Noruegia, quæ formoſiſſimi vultus, ac morum ſuauitate Noruegiæ famam purgare poſſit. Cùm illæ comas ſuas compreſſerant, enitebat ſimplex ac modeſta facies, qualis eſt Veſtalium noſtrarum; cum ſparſerant ac cincinnauerant (quod in hoſpitum gratiam fecerunt) continuò emicabant illæ vene-

res, quæ Gallicas aut Britannicas fœminas circunstant.

Prima die Octobris (nam perlustranda ac vestiganda peregrinantibus sunt omnia) in hortum quendam iuimus, vbi galeto lusimus. Est nimirum longissima tabula læuigata, super quam æreus discus fluit & impellitur. Oblatæ ibi sunt nobis ab hospite vuæ, quæ tametsi maturuisse è colore, viderentur; nihilominus gustui acerbæ erant. Interea Parisinus quidam, qui se comitatui nostro adiunxerat, graui accepta à quodam milite Dano iniuria, cùm eũ priùs in singulare certamen vocasset, renuisset Danus, irrupit in domum, vbi Danus ille prandebat, baculoque percussum, prostratumque, cùm assurgere reluctarique vellet, ense in femora adacto, vulnerauit. Quod cùm Legato renuntiatum esset, iussit, vt Gallus ille aliique quos in istius facti societatem vocauerat, vrbe protinus excederent: quod quidem ab illo tam seuerè statutũ est, non ob vulnus merenti inflictum, sed ob violatam securitatem publicam, eò quod ciuis domus vi introita fuerat. Commodauit Vlfeldius abeuntibus Gallis quadrigam. Erant illi tres egregij milites, nec improbi moris, quorum consuetudine ob infelix facinus nobis carere oportuit. Ea die Filius magni Cancellarii Sueciæ Ioannes *Oxenstern*, qui è Gallia reuertebatur per Daniam, Legatum nostrum ex occasione salutatum venit. Procerâ ille staturâ ac dignitate oris præstans, pari etiam ingenii, & eruditio-

nis præstantiâ: qui cùm securè nimis vel incautè Palatii Danici aream in equo introiuisset, occasionem dedit Prætorianarum cohortium Præfecto, vt equum abigeret, militemque qui in portæ statione erat, nec equitem ingredi prohibuerat, fuste percuteret.

II. Oxenstiernam resalutatum iuit Legatus noster, qui die sequenti in Sueciam perrexit.

III. Ingressus est Hafniam Fridericus Dux Holsatiæ, Imperatorius Legatus; adduxitque secum Ioannem fratrem, Lubecensem Episcopum, itemque tres fratres Sonderburgi Principes: vnumque è Comitibus Mansfeldiæ, cum magno ac splendido comitatu. Auaugurium & Molanum Legatus noster illi obuiam misit.

IV. Theologus noster cum Pomerano quodam, qui se ex doctrina Patrum purgatorii fidem destructurum iactauerat, per aliquot horas velitatus est, nec profectum quicquam. Nam nec ille purgatorium euertit, nec à bona scientiæ suæ opinione deperdidit quicquam.

V. Variis aditionibus insumpta est à me, atque Auaugurio, inuisendis nimirum aliquot præcipuis è Nobilitate Danica. Sub vesperum Bursam decurri euoluendis libris, rebusque aliis promercalibus dispiciendis: quò se contulerunt Regiæ puellæ cum fœmineo comitatu.

VI. Sueciæ Legatum noster inuisit, qui quidem Suecus diarrhœa pridie laborauerat, quo

morbo Princeps ipſe, de cuius nuptiis agebatur, à ſex aut ſeptem diebus non ſine febre diſtinebatur.

VII. Dum in Burſa Geographicas vniuerſi orbis tabulas apud Ianſſonij inſtitorem perluſtrarem, Legatum noſtrum Polonus adiit: apud quem conqueſtus eſt, ſe ab Imperatorio, à quo redibat, minus honorificè exceptum fuiſſe. Hoc in cauſa fuit, vt Legatus noſter, qui de ſua dignitate quicquam deteri non ſinit, Auaugurium miſerit ad Imperatorium Legatum, ſciſcitatum quomodo ſe adeuntem ſuſciperet. Cui interrogationi nihil tunc certi reſponſum eſt. Inſinuatum tamen eſt, Legatum Cæſaris Principem eſſe Holſatiæ, Ducem ſupremum, atque adeo ad Regum ipſorum dignitatem, quamuis longo interuallo, accedere. Ad quæ replicabat Legatus Galliæ, ſe de Duce ac Principe Holſatiæ ſatis ſecurum, Imperatoris Legatum ſalutare velle, atque cum illo eodem more agere quo cum Imperatoriis Legatis Romæ ac Venetiis egiſſet.

VIII. Quæ dies Dominica fuit, contuli me ad Regium ſacellum, vidique Imperatorium Legatum, ſedentem ſolum in priore ſubſellio. Sedebant in aliis Principes Daniæ, cæterique pro ſua dignitate. Verbi-Miniſter qui concionem habebat, togâ Damacenâ indutus erat cum chirothecis, & nudo capite, quod ſatis inconcinnum mihi viſum eſt. Ante concionem hymnus Latinus muſicè cum muſicis inſtrumentis & Organis decantatus eſt: poſt concionem ve-

ro antiphona Germanica ex Euangelio desumpta videlicet. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, ne sedeas in primo loco*, quod commodissimè tempori accidebat. Priuatim Legatus noster pransus est, vt tempus litteris scribendis insumeret; non item Imperatorius Legatus, apud quem toto die incessanter bibitum, plurimique domum ebrij relati sunt: Interim Cancellarius illius Legato nostro significauit, Dominum suum lecto decumbere, ideoque responsum super audientia postulata ea die dare non posse. Litteras nostras Lutetiam ferendas mercatori cuidam dedimus, qui naue redibat in Galliam, & in Daniam venerat, vt in Gallia prohibitas venderet lineas prætextas, *points coupez & passemens*.

IX. Celebratum est apud Lutheranos festum Diui Michaëlis, eodem cultu & fortasse maiori, quo dies ipsa Dominica, in honorem nimirum Angelorum Custodum, quos & ipsi Lutherani venerantur, hymnumque, qui in Ecclesia Catholica canitur, cantant, & vocibus, & organo; campanasque, vti solemus, alternatim & ad numerum pulsant. A prandio portis exiuimus, vt dispositas ad Sponsæ Principis ingressum machinas spectaremus.

X. Tandem affulsit dies, qua serenissima Princeps Magdalena Sibylla, Electoris Saxoniæ filia, maximo apparatu, atque pompa Hafniã ingressa est. Vniuersæ ciuitatis viæ, atque plateæ hinc inde longo ciuium armatorum ordine prætexebantur: fenestrę, tabernæ, theatra

nobilibus Matronis ac præcipuis plebeiis, quæ ex prouinciis atque insulis visendi studio concurrerant, redundabant, quas omnes pertransiuit Legatus noster, vt Vlfeldii domum se conferret, ex qua pompam totam spectare debebat: Collocauit se ille in suggrunda vitrea, è qua à nemine conspectus omnia prospexit. Hora sesqui-tertia ingressæ sunt turmę equitum Danorum, quas sui tubicines atque duces præcedebant. Postea Regium equitium, cuius hæc incedendi ratio erat. Primo tympanistes in equo, qui duo tympana hinc & inde ad armos equi appensa pulsabat, holoserico rubro indutus: sequebantur tubicines viginti aut triginta pari habitu cum tubis argenteis. Equitabant deinde honorarii pueri pari veste, cum galericulis in galeæ formam factis, atque opere Phrygio auro & margaritis intertextis, manuque iaculum ferebant. Succedebant maiores equi regii, quos singuli equisones, ipsi vtique in equis, pretiosissimis ephippiis instructos manu ducebant: sequebatur equitium Principis, pari pompa atque impensa, vel etiam maiore. Tum omnis Daniæ Nobilitas, quam quatuor Aulæ Mareschalli ducebant: Postea comitatus Ducis Holsatię, Imperatorii Legati. Non aderat ipse, neque Legatorum quisquam, neque Rex: Cæteri verò omnes Principes Oldenburgi, Sunderburgi, Frater ipse Ducis Holsatiæ, & Dux Fridericus, alter Regis Daniæ filius, maximo quam potuerunt, vestium ac gemmarum apparatu, equorumque delectu. Solus

ingrediebatur Princeps Daniæ magna pedisse-quorum caterua stipatus, quem sequebantur regni Proceres, ac deinde omnes suo quique ordine Senatores. Comitatus inde Ducum Saxoniæ pergebat: turma in primis equitum cum erectis sclopetis, quæ facies reduxit mihi in mentem, quæ oculis quidem videram numquam, at quæ in historiis legere, quæque à parentibus mihi narrari sæpe memini, cùm istorum patres à perduellibus Gallis accersiti patrimonia nostra ad Ligerim diripuerunt, sparsisque Sanctorum nostrorum reliquiis, earum cistas ac fercula in lances, scyphos, & cantharos mutauerunt. Hæc me cogitatio, dum illi pertransirent, incessit. Deduxerant & ipsi numerosum & magnificum equitium. Apparebat inde præcipua Saxoniæ Nobilitas: tum duo Principes Sponsæ Fratres, quos sequebatur rheda deaurata, siue potius triumphalis currus in oualem figuram factus, sex equis tractus. In quo Princeps Sponsa, Soror, & Mater erant, circaque illas stipatores Heluetii. Ac pedissequi, nigro & flauo holoserico induti. Sequebantur duæ aliæ rhedæ, quarum altera Principis erat, quam Sponsæ offerebat: altera Regis; vacuæ illæ quidem. Sequebantur deinde aliæ plures, in quibus gynæceum Sponsæ continebatur: omnes more Gallico comptæ, nec fasciis caput inuolutæ, vt Danæ: verumtamen quæ illarum luminibus non officiebant, nam Danæ pulchriores sunt. Vniuersam pompam reliquæ Equitum Danorum turmæ claudebant. Dum

populi

populi turba effluerer, pateretque ad Castellum redeundi facultas, Legatus intrauit domum Vvibii, ad quam nondum diuerterat.

XI. Ego & Theologus & Bracconerius Metensis, Vlfeldii comes non iniucundus, nec illiteratus, plures doctorum Hafniensium domos adiimus, qui iam per proximi festi parasceuem genio indulgebant. Iuimus inde ad funambulos, vt si non ventres, qui tot poculis hauriendis pares non erant, oculos certe ludicro spectaculo pasceremus: Inde ad eximium Organisten, qui nobis non aures modo, sed animum quoque ipsum iucundissimis modulis impleuit.

XII. Legatus Serenissimam Saxoniæ Principem cum matre Electrice salutauit. Erant illæ sub Vranisco stantes: aliquo interuallo fœminę ac puellæ honorariæ longo ordine dispositæ erant ornatæ more planè Gallico: at non illa venustate & alacritate Gallica. Princeps Sponsa in veste erat, quam Hungaricam vocamus, cærulea auroque ac argento intertexta, Mater in nigra. Demissè illas, ac comiter suo more salutauit Legatus; salutationes illi suas totidem genuflexionibus retulerunt, ipseque illis manus osculatus est, cum prius togam attigisset; deditque Sponsę Regis Reginæq; Christianissimorũ litteras. Dum loqueretur, Interpres adhęsit Nobilis Saxo, qui Principis Sponsę nomine respondit. Ad cubiculum inde Principum Saxonię fratrum ascendimus, qui Legatum ad

ianuam exspectabant; quos ambos simul allocutus est, eodem Nobili Saxone, qui illorum adolescentiæ regendæ admotus erat, interprete: nam illis præter vernaculam nullus erat aliarum linguarum vsus. A prandio, cùm in Bursa essem in officina Elzevirii, compellauit me prior Longomontanus, insignis Mathematicus, discipulus ac familiaris olim Tychonis Brahæ, dixitque, se cupere quædam scripta Matheseos in Galliam mittere. Cùm aspexissem virum senem, qualis mihi descriptus fuerat: Tu-ne es, inquam, Longomontanus? Cùm annuisset, salutaui illum, deque Morino, qui illius, ac de Bulialdo, qui meus illiusque etiam amicus erat, locuti sumus. Iuimus deinde vnà ad spectandam aleam mercatoriam (quam *blancam* Gallicè vocamus.) De Petauio item, deque illius aduersus Scaligerum scriptis multa ille mecum.

XIII. Legatus noster Principem conuenit, vt illi de Sponsæ aduentu gratularetur, deque illius dignitate ac præstantia; quod Princeps lætissimo vultu excepit. Reuersum Legatum duo Saxoniæ Principes fratres inuiserunt cum amplo, atque honorifico comitatu. Eos ad suam diætam nos reduximus.

Præterire vltra non debeo (vt rerum Germanicarum curioso Lectori satisfiat) ab aduentu Holsatorum & Saxonum tantum ceruisiæ ac vini profusum fuisse, vt per cœnacula, cubicula, atria, ac vestibula vndique redundaret. Itaque deriuandis & exsiccandis huius-

modi paludibus dispositæ sunt per gradus Castelli æquis interuallis cupæ, ac labra, vbi à saturis madidisque compotoribus sua crapula despumari, suum lotium effundi, & eiici commodè posset: nam non ipsi modo Nobiles, sed & famuli collocatique ad Legatorum atque Principum atria satellites, licet pretiosissimis (nam in hac regione pretiosa sunt omnia) vinis largissimè se proluebant. Tantæ quippe celebritatis aut facti vnquam memoria apud homines non exstabat, nec repetendæ spes vlla erat: potuitque de his Nuptiis præco Danicus idem edicere, quod olim de Sæcularibus Ludis præco Romanus: Populum eos visurum esse ludos, quos nemo eius ætatis vmquam vidisset, aut visurus esset posthac. Neque enim Regibus alios Reges ad huiusmodi celebritates conuocare tam est semper opportunum, neque tantis sæpe sumptibus sufficere aut Dania posset, aut Senatus Populusque Danicus consentiret: temperatur enim Regnum illud mixta Regum cum populi commodis charitate, atque prudentia: merebaturque pro sua pietate in subditos rectaque ac veteri reipublicæ administratione Rex iste Daniæ, vt primogenitum filium, quem paribus erga populum beneuolentiæ præceptis atque exemplis instituerat, hac veluti collatitia propter nuptias donatione populus honestaret. Rationem certè totius nuptialis impensæ, vt hic subducam, non est necessarium, dicam id tantum quod ab auctori-

bus idoneis accepi; centum millia Thalerorum in coëmptionem vini fuisse profusa.

XIV. Legatum nostrum (idem aliis Legatis atque Principibus factum est) duo Primarii Senatores Regis Daniæ nomine ad nuptias Serenissimi Principis in diem sequentem inuitauerunt, ac ne quis id paucis & inconditis verbis actum putet, sciat velim, vel in vulgaribus ac plebeiis nuptiis huiusmodi inuitationes non sine meditata & concinna oratione fieri solere. Libet verò hîc ad eorum quæ sequuntur, commodiorem intellectum, Legatorum ac Principum nomina adscribere.

Christianus IV. Rex Daniæ.
Christianus, Princeps Daniæ.
Fridericus, eius Frater.
Holsatiæ Dux, Imp. Legatus.
Ioannes Dux, eius Frater.
Philippus, Dux in Holsatia.
Ioann. Christianus, Dux Sonderburgensis.
Alexander Henricus.
Ernestus Guntherus.
Philippus Ludouicus, eiusdem gentis Sonderburg.
Christianus Augustus, Comes Palatinus Rheni, Dux in Bauaria.
Ioannes, Filius Ducis Philippi Holsati.

Ioannes Georgius, primo-genitus Ducis & Electoris Saxoniæ.
Augustus Dux, eius Frater.
Princeps Electrix Saxoniæ, eorum Mater.
Ducissa Holsatiæ, eius Filia.
Altera Holsatiæ Ducissa, vxor Philippi.
Comes Mansfeldius, aliique complures Proceres.

LEGATI.

Cæsareus, qui itidem Holsatiæ Dux.
Gallicus, Claudius Memmius, Comes Auauxius.
Polonicus, Nicolaus Korff. Liuonus, Castellanus Vvendensis.

XV. Quæ dies Dominica fuit, porta Castelli arctâ custodiâ seruata est; ac dum officium Lutheranorum in sacello Regio celebraretur more solito, nos Catholici cum aliquot è comitatu Polonico, qui ad nos propterea singulis diebus ventitabant, interfuimus domesticæ nostræ Missæ, in qua recitatum est (vt feliciter dies tulerat) Euangelium, *simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*. Rex Daniæ eâ ipsa die (credo vt illos anxius Filio suo obligaret) octo equites sui Ordinis creauit in publico aulæ conspectu: è quorum numero fuit Cornificius Vlfeldius.

Institutus est hic Ordo à Christiano I. huius familiæ, quæ nunc regnum obtinet, authore, vtriusque, qui nunc regnat, Christiani IV. proauo: Vocaturque Ordo diuæ Mariæ, siue Elephanti. Spargitur scilicet torquis, quem collo induunt, Elephantis aureis, in prudentiæ ac virtutis bellicæ symbolum, dependetque B. Virginis imago, à qua nimirum auxilium diuinamque gratiam poscant, si tamen id per Lutherum fas est.

Horâ post meridiem secundâ, maxima quàm potuere, pompa Legati ad aulam siue atrium Regis se contulerunt, præeuntibus qui illorũ ministeriis deputati erant, Nobilibus Danis. Primus deductus est Imperatorius Legatus, quo in aulam ingrediente innumeri tubicines in statione collocati tubas suas inflauerunt: iisdem deinde sonis Gallicum nostrum exceperunt: paribus itidem Polonicum: aberat Suecus, & in cubiculo suo remanserat, regni sui luctum causatus, quo huiusmodi cœtibus interesse prohibebatur. Salutauerunt se tunc primum Imperatoris & Christianissimi Regis Legati; neque enim Imperatorium Gallus adire voluerat, eò quòd de honoribus inter eos non conuenisset.

In altera Palatii Regii parte paratum erat pridem ad hanc celebritatem, ingens ac vetustum atrium, tapetibus vndique sursumque ac deorsum constratum; quò vt perueniretur, pertranseunda erat Castelli area, quæ præcipuis Hafniæ ciuibus, qui illuc confluxerant,

plena erat. Vniuersi Legatorum comites cum Danica & Germanica Nobilitate priores ingressi sumus. Dispositi in pergula ærei tympanistæ ac buccinatores totum latè atrium & Castellum personabant, & concutiebant: Iamque per theatra & orchestras Danicæ Matronæ pulchro ordine collocatæ fuerant. Incedebat medius Princeps Daniæ inter Regem Patrem & Ducem Fridericum, pari veste indutos, nimirum argentea tela flosculis aureis intertexta.

Princeps in veste longè pretiosiori coronam in capite gestabat adamantibus, & vnionibus ornatam, capulum ensis aureum densis adamantibus decoratum, calcaria aurea paribus gemmis, collare vnionibus aspersum, ita vt fimbria, quæ linea esse solet, vnionibus intertexta, & compacta esset, quemadmodũ & manicellæ. Ingredientem Principem sequebantur tres Legati, Cæsaris, Galliæ, & Poloniæ, ac deinde reliqui Principes, & post eos, Proceres ac Senatores Danici: quibus ritè in atrio, suo ordine dispositis, ingressa est tandem Sponsa, quam præcedebant ex Nobilitate Danica viginti quatuor tædiferi, quorum mediæ tædæ religatæ erant fasciis sericis, colore purpureo, & flauo: pares & ipsi collis suis fascias circundederant, quæ illis super pallia retro dependebant. Lepidum & iucundum erat selectos Hymenæi Mystas contemplari; neminem enim illorum vel pallor, vel macies detriuerat. In atrium ingressi diuiserunt se in duos hinc inde ordines, inter quos incessit Princeps Sponsa, quam

ſui fratres deducebant: ſequebatur Electrix mater, & ſoror, Imperatorii Legati coniux, cæteræque fœminæ Principes: ac pone illas naturales Regis filiæ, quas legitimarum loco fere cenſet. Atque, vt intelligatur quis ordo tandem poſt tantas altercationes ſeruatus fuerit, notandum eſt in præcipua aulæ parte Principem Daniæ inter Regem ac Fratrem ſtetiſſe, atque à dextris Legatum Imperatoris, & Poloniæ habuiſſe. A ſiniſtris verò ſtabat Sponſa inter duos fratres: habebatque à ſiniſtris Legatum Galliæ, & Electricem. Ergo illæ decem perſonæ quas dixi, in eadem linea erant. Principes reliqui, tam viri quàm fœminæ, in duos ordines inuicem è regione poſiti erant. Proceres verò & Senatores Danici Sponſis & Legatis oppoſiti erant, ita vt ſpatium magnum quadratum inter illos relinqueretur, vbi Vraniſcus medius conſtitutus erat, quem tres Sunderburgi Principes & Comes Manfeldius ſuſtinebant. Pſalmi interea Dauidici Latinè à Symphoniacis decantati ſunt, inter quos *Exultate Deo adiutori noſtro*, &c.

Acceſſit deinde ſub Vraniſcum Lutheranus ſacerdos, qui ſponſos eò vtique ſubire iuſſit, longaque oratione Germanica illos ad matrimonii munia obeunda hortatus eſt, ac tandem ſolennia de more verba protulit. Alacrius inde atque intentiùs Muſici, Aulœdi ac Tubicines cecinerunt. Interea Sponſus & Sponſa ſuper lecto, qui illic erat, hinc inde ſederunt. Tum verò ſilentio facto prodiit in medium ſeque ad

pedes lecti stitit Nobilis Saxo, ad id munus ab Electore Saxoniæ deputatus, qui nuncupatis rite & ex ordine Domini sui nominibus, atque titulis, Sponsum ad exhibendam Sponsæ fidem, & beneuolentiam adhortatus est. Ad quam orationem, Principis Mareschallus pari grauitate, & ipse sui Principis genus, ac virtutes præfatus, eiusdem nomine atque mandato postulatam beneuolentiam, ac fidem, multo etiam maiorem, si fieri posset, repromisit. Oblata sunt deinde ex more bellaria, vinumque in pateris aureis in antecessum proximi conuiuii delibatum. Tum verò sublato ex arce signo septingentæ maiores bombardæ ex ciuitatis mœnibus & classe Regia ter intonuerunt, reboantibus latè Scandinauiæ iugis. Exiere interim omnes diuersi in suas diætas.

Hora sexta Legati Principesque ad Aulam conuiuii reuocati sunt, perstrepentibus ad eorum ingressum Tympanistis & Buccinatoribus. Longa erat instrata mensa, illatique iam cibi, quos inter exstabant æquis interuallis tria præcipua fercula pompatica, quæ *Schoe* vocant: efficta sunt illa ex cera, gypso, vel saccharo variis coloribus picta, ac deaurata, elegantissimo opere, quæ venationes, triumphos, Dianas, Veneres, Cupidines, & alia eiuscemodi ad libitum exhibent. Quod ad cibos veros pertinet (nã mihi animus est vera narrare) ad palatum, gustumque Danicum mirificè sapiebant; ad nostrum, nullomodo. Numerum tantùm dicam. Senæ disponebantur patinæ, siue lances: de-

inde ferculum pictum: tum senæ aliæ, deinde ferculum. Aliæ itidem senę. Inde tertium ferculum, & postea etiam sex aliæ. Parte alia instructus erat omnium scyphorum, craterum, & poculorum genere abacus conclusus, vnde tres assidui pocillatores tunicis lineis sacrificulorum in morem induti, omne genus meri postulantibus fundebant, saccharumque liquabant, miscentes ex hoc in illud: nam non ipsi modo, qui mensæ assident, bibunt, ac propinant, sed & ipsi spectatores stantes inuicem se prouocant, ac lacessunt, magnoque & incondito tumultu, qui cum tubis, ac tibiis miscetur, obsequia sibi mutuo pollicentur, ruuntque alii in aliorum beneuolos amplexus. Defuit verò præcipuum conuiuium ornamentum; Rex scilicet Daniæ, qui ob sedendi dissidia priuatim cœnatum iit. Abluendis manibus Magnus Cancellarius Imperatorio Legato, magnus Marescallus Gallico, magnus Admiralius Polonico mappam præbuerunt, verbi Minister mensæ benedixit.

Ordo vero sedendi hic fuit. A capite mensę Sponsus & Sponsa sedebant coronati; capillique Sponsæ à tergo more antiquo dependebant: Stola illius ex tela argentea floribus intertexta erat: armillis vero ac pretiosis gemmis circumquaque decorabatur. Sedebant à dextra parte mensæ, ad dextram manum Principis Legatus Imperatoris: deinde Poloniæ. Erat post eos interuallum, vbi stabat Incisor. Tum sedebant duo Saxoniæ Principes, inde alius

præſcindens cibos. Tum duo Sunderburgi Principes, & Comes Mansfeldius. A ſiniſtra verò Sponſæ è regione Imperatorii ſedebat Legatus Gallicus: deinde Princeps Electrix: tum eius Filia, Ducis Holſatiæ coniux, cum Ducis Philippi vxor: Princeps Fridericus Sponſi frater: Dux Philippus: Dux Ioannes, frater Ducis. Holſatiæ, tertius è Sunderburgi fratribus: Duo alii pueri Principes conſanguinei comiteſque Ducis Holſatiæ. Et denique Ducis Philippi filius.

Per ſex circiter horas protractum eſt epulum: tres tamen tantùm miſſus illati ſunt, quorum vltimus bellariorum fuit: ſinguliſque miſſibus mutata etiam ſunt picta fercula. Demulcebant interim conuiuas ſitimque acuebant, omne genus tibiæ, citharæ, organa: admotique cantores ſinguli, qui res ludicras ad cachinnos vſque audientium decantabant, quorum ego ſales & acumina ex fœminarum ſenſu & verecundia deprehendebam. At nihil tam rite, tam ſplendidè, atque celebriter peractū, quam conceptæ pro Regum & Principum ſalute propinationes, & vota, quæ tubæ ac tympana intus adiuuabant; foris verò bombardæ maiores per freta ac maria diſſipabant. Audiit hæc Noruegia, audiit Suecia, audiit certe Legatus Suecus, qui in cubiculo ſuo remanſerat: Audiit ipſe Hiſpanicus, quem ob reluctantes ventos in proximis vadis adhuc hærere nonnulli ſuſpicati ſunt.

Cœnâ peractâ poſt ſemihoræ quietem, ad

maius atrium, vbi choreæ celebrari debebant, vniuersi se contulerunt, præcedentibus Sponsam suis tædiferis. Tum verò omnibus rite in sua statione positis, quatuor aulæ Mareschalli, & ipsi tædas ferentes, Principem Daniæ ad tripudium inuitauerunt: Sponsam ille protinus elegit, duxitque. Præter quatuor Mareschallos apparuerunt quatuor è Principibus consanguineis tædas pariter ferentes. Fit illa solennis saltatio ad tubarum tymbalorumque sonum, estque Regum ac Principum propria: fides verò & plectra populo relinquuntur; hæc autem sic initur. Præeunt quatuor Mareschalli bini manibus nexis, tripudiumque formant: bini deinde illi quos apparitores dixi Principes, tum demum Sponsus cum Sponsa, quos denique reliqui duo Principes subsequuntur, qui agmen concludunt. Itaque vniuersi præsultorum Mareschallorum per strophas & antistrophas euntium ac redeuntium vestigia sagaciter sequuntur, ac relegunt. Tripudiauit secundo loco Imperatorius Legatus. Tertio Rex Daniæ. Noluit quarto Legatus Gallicus, quia professus semper fuerat, neminem inter se ac Legatum Imperatorium interiici oportere. Successit ergo Polonicus: cæterique deinde suo quisque ordine Principes cum Principibus fœminis, ac puellis. Celebrata interim perpetua propinatio: vnusque è præcipuis, quem nihil attinet nominare, turbamdo repente intersecans; ianuam satis tempestiuè inuenire non potuit, quin crapulam euomeret. Nouum certè nobis delicatis

& inexpertis Gallis, ac fœtidum facinus videbatur: at post biennii cum illis gentibus initam consuetudinem, æquiore animo tulimus. Choreas Pyrotechnicum spectaculum diremit, ad quod vniuersi cucurrerunt, vt ludentem, fulgurantem, fulminantemque flammam intuerentur. Dilapsis interea Sponsis ad thalamum Nuptialem,

----fulsere ignes & conscius æther Connubii.

XVI. Legatus noster ad cerimonias, conuiuiumque serotinum à Senatore Vlfeldio Regis nomine inuitatus est. At ille ob superiorem vigiliam in lecto totam diem transegit, aut transigere simulauit, seque ideo à Rege excusari postulauit. Deputatus est vtique à noua Nupta Nobilis Saxo, qui compactam ex vnionibus ac gemmis coronam Legato nostro obtulit, quod idem reliquis Legatis, Principibusque ab illa de more factum.

Hora itaque tertia Princeps cum aliis Legatis Principibusque Aulam magnam ingressus est. Ingressa deinde noua Nupta inter Regem Ducemque Fridericum. Princeps à dextra parte sub vranisco sedit, ac post illum Legati Imperatoris ac Poloniæ: à sinistra sub alio vranisco sedebat Nupta, cui Rex assidebat, Materque ac Soror. Tum Sacerdos de plano concionari cœpit, ad Sponsos nouos conuersus: & cùm perorasset, vterque Sponsus & Sponsa in genua super culcitris se prouoluerunt, conceptæque sunt à Sacerdote preces. Cùm surrexissent, at-

que in suas sedes rediissent: prodiit Mareschallus Principis, qui se Sponsæ sistens doarium illi repromisit. Tum Nobilis Saxo se Sponso stitit, atque illi Vxoris nomine gratias egit. Rex deinde per Cancellarium Germaniæ suum Principi Nuptæ munus obtulit. Accessit deinde ad illam Legatus Cęsaris cum quodam è pręcipuis ministris, qui suum item munus obtulit. Abfuit Galliæ Legatus, quia suus Rex huius moris nescius, qui apud Gallos, Italos, atque Anglos, in plebeiis tantùm nuptiis receptus est, donarium Sponsæ non destinauerat. Postea Legatus Poloniç, qui ipse solus sine comite, vel aduocato suum obtulit: reliqui deinde Principes, tam viri, quàm fœminæ, suo quisque ordine. Indè cœnatum iuerunt eodem ordine, quo superiori die, nisi quòd Legatus Poloniæ in loco nostri absentis erat. Omnes verò illa die meliùs, meo quidem iudicio, multóque pretiosiùs, quàm priori die vestiti, vnionibus quippe nouæ Nuptæ toga sparsa vbique erat. Inter conuiuium, omne genus musices, tam instrumentis, quàm vocibus auditum. Admotus etiam est prope Principes à capite mensæ citharœdus, qui instrumento (quod *Sistrum* vocamus Galli) personabat ridiculas cantiones. Itum est deinde ad tripudium, quemadmodum præcedenti die; atque in nouæ nuptæ gratiam, & exemplar, plusquam quinquaginta puellæ Danicæ capillos more Gallico disposuerunt, quem morem nescio an hactenus retinuerint.

XVII. In conuiuio, quod hora quinta ve-

spertina inceptum est, atque ad nonam pertinuit. Princeps Daniæ cum vxore primo loco mensæ cesserunt Cæsaris Galliæque Legatis. Sedit deinde Princeps à dextris Legati Cæsaris, Polonus à sinistris Gallici. Noua Nupta infra Matrem Sororemque, Ducis Holsatiæ Conjugem: eadem per singulos dies conuiuiorum ratio atque impensa fuit. Iidem meri fontes, atque riui profluxerunt. Transitum est inde ad majus atrium, vbi tripudium laruatum, *le balet*, exhiberi debebat: quod quidem elegantissimum fuit, duarumque horarum spatium consumpsit. Vnus ibi erat tantùm sedilium ordo. Prior sedebat Legatus Cæsaris, secundò Gallicus, tertiò Polonicus, quartò Rex Daniæ, quintò Electrix, sextò Holsatiæ Ducissa, septimò noua Nupta, postremò Princeps Daniæ. Aderat ipse stans tamen Cancellarius Magnus Daniæ, Christianus *Friis*, proceræ vir & grauis staturæ, & iam provectæ ætatis, aliique è Proceribus & Senatoribus, licet enim interdum istis hominibus interesse spectaculis. Matronæ Saxonicæ, Holsatæ, ac Danicæ per orchestras rite dispositæ. Quodnam verò fuerit personatæ huius saltationis argumentum, supersedeo hîc scribere, neque enim hîc saltatoribus, vel aulœdis scribo quicquam: mores tantùm gentium leuiter perstringere animus mihi fuit. Depositâ tandem laruâ choream duxerunt more Gallico, quam cùm puellæ Regiæ juuenesque Aulici, inter quos Dux Fridericus eminebat, longiùs produci gauderent, scilicet

vt artis industriæque suæ, rectæque ad id exercitium collocatæ operæ laudem mererentur, Rex Daniæ tam longæ sessionis & abstinentiæ impatiens, ad cyathos, cantharosque procurrit: nam ibi abacus instructissimus erat, reliquosque secum traxit, excepto Legato Gallico, qui ad choream propiùs accedens, Regiis filiabus, dum per strophas & antistrophas irent, miras blanditias dixit, nam Gallicè ipsæ intelligunt: finitâque choreâ, cùm illas alloqui pergeret; parciúsque illæ, ac timidiùs responderent; interueniens Princeps Daniæ, qui & illas vehementer diligebat. Age, inquit, Sophia, age Leonora, respondete audacter, & eruditionis vestræ Gallicæ specimen date: non erit vobis deinceps tam commodus collocutor Gallicus. Cùm recessissent illæ paulisper ad mutandas vestes, Legatus qui refugiebat bibendi certamen, continuò se indè subduxit: at redierunt illæ protinus in cærulea elegantissima veste: Sirenes profectò mihi videre videbar, cùm circa illas tot corpora in vasto compotationum gurgite demersa intuebar. Inter hæc imperauit Rex, afferri sibi ingens poculum aureum mero plenum, quod vix à robustissimo viro duabus ansis sustineri poterat: Tum illud Rex animosè corripiens (metui ego, ne se illo totum prolueret) constituit ante se distribuitque in quatuor cyathos, assumptis totidem secum compotoribus: Cæsarisque Legato propinauit. Satisfecit illi Legatus. Idem faciendum incumbebat nostro, nisi maturè euasisset. At non euasit Polonicus,

nicus, qui, quoniam paria vnicuique rite, &, vti inter bonos bene agier & ſine fraudatione oportet, faciebat: ideo Regi Daniæ gratiſſimus erat hac in parte.

XVIII. Celebratus eſt in majore atrio, Ducis Philippi filii Baptiſmus, cujus vxor paucis antè diebus pepererat: his cerimoniis ob religionem Legatus noſter intereſſe noluit: commodo prætextu, quo à ſequenti conuiuio ſe excuſaret: cui adhibita eſt illa Princeps, & Vlfeldiorum Mater, duæque aliæ ex Holſatia Nobiles Matronæ. Iſti cœnæ Rex Daniæ interfuit. Legatus Cæſaris, itemque Poloniæ in capite menſæ fuerũt. Rex à dextris. Electrix à ſiniſtris. Cæteri ſuo quiſque ordine. Poſt cœnam in maiore atrio exhibita eſt Germanica comœdia, maximo, quam potuerunt, apparatu. Prima ſcena Hymenæi fuit, & duorum Cupidinum. Felix ille ac fauſtum matrimonium nouis coniugibus pollicebatur canens: cui reſpondebant idemtidem duo amores, *Viua viua Chriſtian. viua viua Magdalena Sibylla*. Sedit ibi prior Legatus Cæſaris: deinde Rex: tum Legatus Poloniæ.

XIX. Fœminis ad quieſcendum conceſſa. Nihilo ſegniùs viri orgia ſua celebrauerunt.

XX. Penceus Glukſtadii, quod oppidum ad Albim, in Holſatia ſitum eſt, Præfectus, vir diues Sophiam Eliſabetham naturalem Regis Daniæ filiam duxit. In hac celebritate Sponſum comitabantur Cæſaris &

Galliæ Legati, Sponſam verò Rex & Legatus Poloniæ. Sub decimam horam à maiore atrio vbi tripudiatum fuerat, in cubiculum ducti ſunt Sponſi, ibique etiam ad tubarum ſonitum (qui in paruo loco ſatis importunus eſt) ſaltatum ac bibitum. Iſti vtique connubio pulcherrima pyrotechnica flamma præfulſit. Efformatum erat in exteriore ante Caſtellum area ligneum cœnaculum, vndique peruium ac patens. Ibi menſa longa inſtrata, inſtructaque ſexdecim diſcis: totidem ſedilia erant totidemque conuiuæ: ſub quibus totidem maiores bombardæ terra infoſſæ. Conflagrauit repente totum cœnaculum cum parietibus & tecto; ac per horam luſit crepitans collucenſque ignis, dum conuiuæ fixi immotique ſederent: quibus digreſſis diſploſæ ſunt continuo ſua ſponte ſubterraneæ machinæ, tanto ſtrepitu, ac fragore, vt conuelli ſuis ſedibus vniuerſa ciuitas videretur.

XXI. Conuiuium publicum, vti prioribus diebus à Rege conditum eſt, cui Legatus noſter interfuit, quemadmodum ſuperiori die, neque enim quotidie in illis epulis ſui copiam vir grauiſſimus faciebat: ſed ſe aliquâ interdum prætentâ excuſatione ſubtrahebat. Prandium fuit iſtud, non cœna: quo abſoluto ducta eſt elegantiſſima Sophia noua Nupta in atrium maius, vbi munera illi nuptialia oblata ſunt. Rex prior dilectiſſimæ filiæ ſupellectilem argenteam ac deauratam duorum millium aureorum donauit. Cancellarius deinde prodiit,

ſuumque munus menſæ, quæ ibi parata erat, intulit: tum Mareſchallus, ac deinceps cæteri. Matronæ deinde Nobiles ſua obtulerunt, proceſſeruntque non è maritorum dignitatis ordine, ſed è matrimonii antiquitate incedentes. Nam hîc Cancellarii vxor, poſt eam, quæ antiquius nupſit, incedit. Idemque obſeruatur inter viros, niſi quod qui honores gerunt, alios antecedunt.

XXII. Die & ſuperiori etiam nocte tantus extitit ventus, vt plurium domorum tegulas excuteret, nauium malos diſrumperet, quaſdam in vada impelleret, quaſdam ad ſcopulos allideret: quâ quidem tam dirâ tempeſtate Hiſpanicus Legatus antequam, quò intendebat, appelleret, conflictatus eſt. Vidimus enim reuertentem, qua vectus ille fuerat, nauim ſemirutam, malis fractis, atque antennis: quæ res cautiores nos efficere debebat, qui menſe poſtea, atque adeo periculoſiore tempore conſcendimus. Sub noctem illius diei exhibita eſt alia comœdia, cuius ego vidi tantum cataſtrophem, quia me Legatus noſter penes ſe retinuerat, qui nec ipſe vel ludo, vel conuiuio interfuit; ſcribebat enim in Galliam litteras, cui labori etiam ſequentis noctis partem inſumpſit.

XXIII. Apertus eſt curſus publicus ad annulum, in quo Rex & Princeps Filius aduerſus omnes cucurrerunt. Id verò ingenti apparatu, atque pompa celebratum eſt. In pulcherrima vrbis platea, hinc inde elegantiſſimis

ædibus ornata, metæ positæ sunt, impositique arcus, atque suspensus annulus. Legati, Principesque, tam viri, quàm fœminæ, fenestris admoti: plebs vndique circumfusa: satellites suo loco dispositi. Rex Princepsque qui cursum aduersus vniuersos sustinebant, primi prodierunt in veste antiqua Cæsarum, qualis est in numismatis veteribus, *Marcus Aurelius*: atq; ante illos Tympanistes equestris tubicinesq; incedebant. Quatuor deinde campi Mareschalli, inter quos erant duo Sunderburgi Principes. Tum octo siue equisones, siue honorarii pueri, qui insignia & emblemata tam in lanceis, quàm in baculis & clypeis gerebant. Plures deinde currus triumphales, generosissimis vel bigis vel quadrigis ducti, quarum nonnullæ aliarum belluarum speciem ac pelles induerant. Curribus istis conuectabantur horti, montes, flumina, naues, triremes, cum nautis, ac remigibus: templa, theatra cum Aulœdis, ac Citharœdis, & omni genere cantorum, quod iucundissimum auditu visuque erat: præsertim videre ternos, quaternosque vna fronte subiugatos equos, tam commodè flectentes, ac reflectentes, quàm si bini vel singulares tantum fuissent.

Ergo contra Regem ac Principem Daniæ, qui propugnabant, priores incurrerunt ambo Duces Saxoniæ. Cupidinem illi in suo curru inter conferta armorum artiumque trophæa triumphantem vehebant: sequebatur Dux Fridericus, alter Regis Daniæ filius, cuius currus

Elephante trahebatur, & Bajazethem in cauea inclusum vehebat. Omnis deinde Danica Nobilitas per cateruas diuisa, hi in curribus, & hi in equis cum familiarum suarum insignibus, emblematis, gnomis, ac prouocatoriis libellis, quos iactabant in vulgus: quæ quidem commemorari singula prolixiùs esset. A diluculo ad seram vsque noctem illa pompa palæstraque pertinuit: & quia impransi fuerant, egregiè in horto Regio, vbi cœna instructa est, epulati sunt vniuersi.

XXIV. Desiderari vltra Legatus noster noluit, iuimusque ad spectaculum cum cæteris Legatis. Ibi tum primum oblata mihi est occasio alloquendi Regias filias, quod valde cupiueram, nam illas obseruaueram sæpe in templo, & alibi; sciebantque ab Vlfeldio diligi, qui Leonoræ Sponsus erat. Compellauerunt illæ me priores, vt aggrederer Gallicè vnam ex suis comitibus: quod quidem ab illis humanissimè factum est, vt sermonem mecum sererent; nam nec illa Comes Gallicè mihi respondere poterat, at illæ facillimè loquuntur cum accentu quodam lepido, ac venusto, qui decet illas mirum in modum. Vxor vtique Ducis Philippi interrogabat me per Interpretem, an ipsa ad morem Gallicum rectè induta esset. Asserebam ego, tametsi elegantias illas, ac delicias satis exactè non nouissem. Nunquid rite (inquiebat illa) mea coma depexa est? Est-ne iste nunc collatium modus? an est tempestiua hæc toga? an conuenientes sunt oculis vestris isti colo-

res? auertebat intereà à curſoribus oculos, dum vniuerſam veſtem mihi probaret. Ego vero omnibus aſſentiebam. Subiunxit Vlfeldius Interpres noſter, illam habere pulcherrimam totâ Germaniâ filiam, quam domi propter ætatem reliquerat.

Iterum illa die Saxoniæ Duces in curriculum intrauerunt metallariorum, qui in fodinis operantur habitu perſonati. Nihil meo quidem iudicio, quod viderim, aut iucundius, aut elegantius exhibitum fuit. Impellebatur mons metallicus: Sequebantur ſubinde operæ ruta cæſaque conuectantes, iidemque cateruatim incedentes muſicè cum inſtrumentis canebant: quod lætiſſimum viſu, audituque erat. Sequebantur in equis poſt ſuos equiſones, & armigeros duo Saxoniæ Duces, gerebantque paruas ſecures: equos deinde magnificos, quibus currere, & quos mutare poſſent, manu duci iubebant. Argumentum ſiue libellum equeſtris ſuę comœdiæ edi in vulgus, Principibuſque fœminis offerri iuſſerunt: quod nobis elegantiſſima Sophia interpretabatur. Tota dies huiuſmodi ludis ad noctem vſque tranſacta eſt. In illo cœnaculo, vnde ſpectabant, Legatis, & Principibus fœminis prandium inſtructum eſt: Legatuſque noſter comitate Gallica inter Regias filias in ima parte menſæ ſedere voluit, miniſtrantibus nobis ac Vvibio, deincepſque per reliquum diem cum illis familiariter loquens ſpectauit.

XXV. Nuptiæ *Todt*, vnici Re-

gis Camerarii, congruâ pompâ, cui non interfui, celebratæ sunt.

XXVI. Iterum ad meridiem vſque in ſtadio cucurrerunt; finitusque eſt ludus: ſub noctem in maiore atrio choreæ repetitæ ſunt, atque in maximo Aulicorum & Nobilium matronarum conuentu, optimis curſoribus ſua præmia donata ſunt. Magna id celebritate peragitur. Quatuor Aulæ Mareſchalli cum baculis præeunt, ſequuntur tympaniſtes atque tubicines. Magnus Mareſchallus tædam coronamque lapillis ornatam, quæ victori deſtinata erat, manu dextra ferebat, altera manu Ioannem Reueinclau, Cancellarium Germaniæ tenebat, tædam pariter ſiniſtrâ manu geſtantem. Erat iſte pro ſua facundia, & oris dignitate Aulæ Danicæ perpetuus Interpres, atque Mercurius. Ter illi duo vniuerſum atrium ſaltantes ambierunt, quaſi illam quæ digniſſima eo munere eſſet, perquirerent: Stiterunt ſe tandem coram elegantiſſima Leonora, ſecunda Regis Daniæ filia, cui coronam ſuam tradiderunt, quam victori donaret; Illam deinde vtrimque prehendunt atque ad victorem, cuius locum notauerunt, deducunt. Tum Cancellarius ſermonem ſuum ad victorem dirigens, illi ob ſuam virtutem facunda, & compta oratione adblanditus eſt, cuius hæc concluſio tandem fuit, Regis ac Nobilium Matronarum iudicio hoc illi præmium deberi, donarique. Continuò ipſe vel proprio ore, vel per aduocatum amicum, Regi, Matroniſque ſe gratias agere ſigni-

ficauit. Saltauit deinde cum virgine, quæ illi munus obtulit; præeuntibus duobus illis Senatoribus tædamque ferentibus.

Primum præmium datum est illi, qui rectius in annulum lanceam immisit: is fuit armiger Ducum Saxoniæ N. *Carleuis*. Secundum datum fuit Augusto Principi Saxoniæ, secundo genito, quod omnium magis decorè cucurrisset, *de la meilleure grace*. Tertium quatuor Nobilibus Danis adiudicatum est, qui ingeniosius inuentum in suis emblematis, & curribus exhibuissent, inter quos fuit Otto *Gueux* nationi nostræ addictissimus. Quartum præmium dominarum fauor vocatur, *la faueur des Dames*, datumque est primogenito Ducum Saxoniæ, digno alioquin fortasse Principi, sed cuius vultus ad demerendam fastidiosissimi sexus gratiam parum conducebat. Largè inter hæc ac profusè ab otiosis bibitum.

Successit, licèt per medias noctis tenebras, aliud bellicosissimum spectaculum. Prætensa est in media Castelli area meta lignea trium pedum altitudine, super quam viginti Nobiles cataphracti pedites lanceis concurrerunt, singuli in singulos. Quorum primum par fuit Ducis Friderici cum Christiano Vldrico, fratre naturali. Cæteri deinde suo ordine, quos Campi Mareschalli hinc inde ducebant. Lancea primùm, deinde ense pugnauerunt. Post singularia certamina vniuersi eodem impetu in aduersarios incurrerunt, intercedente tamen semper meta. Inter hæc displosi sunt innumeri sclo-

peti à militibus, qui per aream dispositi erant. Iusti illa prælii imago ac species fuit, nam & metæ ipsi inditus erat puluis tormentarius maximo artificio, qui in subitas coruscationes, eruptiones, ac fulmina dissipatus est. Dux interim Fridericus intrepidè atque in mediis ignibus vltimus adhærens metæ, victor adeo, omnium iudicio, declaratus est. Non impune tamen, namque illi suæ caligæ incensæ: atq; ingens coma reluxit.

XXVII. Rex Principesque aliique præcipui Nobiles Cataphracti in equis, lanceis concurrerunt. Sustinuit Rex cum quinque aliis omnium incurrentium impetum; Rexque idem omnium fortissimè aptissimeque se gessit. Isti spectaculo Legati, Principesque, tota Aula totaque ciuitas circumfusa interfuerunt. Post celebratum de more conuiuium in maius atrium itum est, vt sua præmia victoribus darentur. Primò quidem de certamine superioris diei à peditibus Cataphractis in area Castelli facto, decretum est. Ergo idem duo Senatores, Mareschallus nimirum & Cancellarius Germanicus eodem ritu, quem ante declaraui, Leonoram Duci Friderico stiterunt, quæ illi pretiosum annulum in suæ fortitudinis præmium obtulit, duobusque item aliis, qui proximè ad illum accesserant, ventum est deinde ad certaminis equestris præmia, quæ quidem communi iudicum & spectatorum omnium calculo Regi adiudicata fuerant. Veruntamen illa ipse Principi filio, qui post illum fortiùs depugnauerat,

deferri voluit. Inter præcipuos victores extitit Canutus Vlfeldius, nouem dignissimorum fratrum primogenitus, qui Cancellario Germanico Germanicè illi, vt & aliis, loquuto, Gallicè respondit; hoc prætextu quod post vernaculam linguam Danicam, quam vnam in Dania regnare debere asserebat, Gallica sibi omnibus aliis antiquior esset: quod quidem, nescio an Gallorum amore diceret, an Germanorum contemptu: vtrumuis illi consilium fuerit, profectò generosissimum fuit: pauci enim ibi erant Galli, at permulti Germani. Saltatum deinde est, primò ad tubarum, deinde ad fistularum Germanicarum sonum, sed potissimùm ad cantum musicum metallariorum Ducum Saxoniæ, quod satis iucundum fuit atque festiuum. Interea à Rege ac circunstantibus, tam Legatis, quàm Principibus, bibitum mutuis impetitionibus, ac responsionibus; quibus etiam parem se ostendit Legatus Galliæ. Rex denique, qui se tantùm mediocriter imbutum sentiebat, quò se hospitesque abundantiùs proluerет, iussit, grande vas aureum afferri plenum mero, quod non nisi à duobus robustis viris sustineri posset, illudque super sedile ligneum, mantili strato imponi: Sacrificulum dixisses, qui lustralem aquam conficeret, cùm eo munere fungebatur. Nouem ille sibi crateres aureos dari curauit, quorum vnusquisque maximæ siti sedandæ, si semel hauriretur, sufficiens erat. Octo deinde adsciuit compotores, quibus singulis suum craterem distribuebat, hauriens ipse è

vaſe capaci, digitoſque immergens. Cum vniuerſi biberant, crateres reſumebat, replebatque nulla intermiſſione. Illo denique exſiccato poculo, idem præſtitit Imperatorius Legatus, quem Rex prouocauerat, idem Gallicus ab Imperatorio prouocatus, & Polonicus à Gallico, cæterique deinceps.

XXVIII. Legatus Cæſaris, cum coniuge, ac Fratre Hafnia profectus eſt. Cùm prius per Nobilem Virum è ſuo comitatu, Legatum noſtrum ſalutatum miſiſſet, qui illi viciſſim Baronem Auaugurium ad idem referendum officium miſit. Magno ille comitatu egreſſus eſt, longoque rhedarum & curruum ordine. Ego & Theologus Longomontanum inuiſimus, à quo humaniter & amicè ſuſcepti ſumus: Vidimuſque illius libros, non admodum multos: Neque enim doctiſſimi quique, libris vt plurimùm abundant: ſed ijs quos habent, ſedulò, ac rectè vtuntur.

XXIX. Ego & Theologus ad Longomontanum rediimus, inde ad Mathiam Thomæ, qui in Collegio Regio habitat, in quo centum ſtudioſi aluntur Regio ſumptu. Magiſter ille eſt in ſcholis triuialibus, vt vocant, in quas conueniunt adoleſcentuli.

XXX. Plurimi Nobiles Dani in capita incurrerunt, quod genus ludi ſupra expoſitum fuit.

XXXI. Legatus noſter expeditis demum, & ſatis quidem ex animi ſententia, negotiis, quę cum Rege Daniæ peragenda ſupererant, ab eo

veniam abeundi petiit. Rex illi, quàm humanissime, & cum magna beneuolentiæ significatione respondit, discedentemque ad ianuam cubiculi honorifice admodum prosecutus est, mirantibus nobis vniuersis, qui Regem Legato minus æquum & fauentem suspicabamur, quòd illi ipsi sæpius, licèt iustis ob causas, restitisset. At in eo vis elucet virtutis, quæ sui tandem amorem in iis ipsis excitat, quibus inuitis sese exercuit. Salutauimus Regem omnes manus osculo. Ille deinde per Vlfeldium tam Legato, quàm nobis singulis, misit annulos. Non fui ego ex illis qui munus vllum sperauerim, itaque quantulum istud fuit, acceptissimum mihi fuit. Eadem ipsa die Legatus Poloniæ, nostro vale dixit.

Prima die Nouembris festum omnium Sanctorum à nobis priuatim celebratum est communicatione corporis Christi, viaticique loco sumpsimus; nauim enim conscensuri eramus, & intempestiuo tempore infame periculis mare adituri: à quo tamen consilio nos dehortabatur Rex ipse Daniæ nauigandi peritissimus. Verumtamen ita Legato nostro placuit, nam poteramus in Sueciam terrestri itinere peruenire traiecto facile Elsingorensi freto. Ista die pransi sunt cum Legato nostro, N. Rozencrantzius, Aulæ Mareschallus, vir multis Legationibus functus, satisque suâ sponte in Galliam propensus, & cum illo Christianus Ranzouius, ad quem mihi litteras dederat Marchio Roulliacus, qui totum hunc tractum non peragrauit

modò, ſed cum Optimatibus quibuſque hoſpitii, & amicitiæ fœdera contraxit, plurimoſque in Gallia iuuit, vti ab Illuſtriſſimo Abbate Conopaſkio in Polonia didici. Legatus noſter Polonum proficiſcentem reſalutatum iuit, ac deinde Sereniſſimam Electricem Saxoniæ, duoſq; illius filios.

Iui ego poſtea cum Theologo noſtro ad Longomontanum, qui nos ad Gymnaſium publicum duxit, in quo aſſeruatur alter è Globis æneis Tychonis Brahæ, ingens & exactum opus. Cæleſtis eſt iſte globus (nam terreſtris nondum recuperari potuit) vbi omnes aſteriſmi inſculpti ſunt, gradus, atque minuta: habet ille circuitum octodecim pedum, diametrum ſex. Super horizonte illius hęc verba inſcripta ſunt. *Anno à Chriſto nato, 1584. regnante in Dania Friderico II. Hunc cæleſti machinæ conformem globum, in quo affixa octauæ ſphæræ ſydera cælitus organis deprehenſa, ſuis quæque locis ad amuſſim repræſentare, errantiumque ſtellarum per hæc apparentias perueſtigare decreuit, Cælo terrigenis qui rationem eam capiunt, mechanico opere patefacto, Tycho Brahe, Othonis filius ſibi & poſteris fecit fieri.*

Quâratione verò vel fato factum ſit, vt Tycho Brahe è Dania migrauerit geminoſq; globos ſecum exportauerit, alius erit dicendi locus. Cæterùm quomodo iſte, quem vidi, in Daniam reportatus ſit, diſco ex inſcriptione, quæ ad parietem, vbi ſeruatur, affixa eſt, quam ſic deſcripſi.

Siue hospes, siue inquilinus es, bene adsis: hoc æneum Cæli simulacrum, quod vides, ingenio, & impendio Tychonis Brahæ ad Astronomicas obseruationes, in insula Huena fabricatum est. Nihil ad artis perfectionem ætas nostra illustrius, vidit; nomen Vraniburgo dedit, Daniæ famam: Cùm plusculos annos cæli motum felici apud nos successu monstrasset, moueri cœpit, & exteris cessit, primo Benaticam, mox Pragam, inde Nyessam defertur: ita quas in cælo vices designat, in terra patitur: tandem captâ Nyessâ virtute, ductu, & auspicio æternæ memoriæ Principis D. Vldarici, patriæ velut trophæum ex peregrino marte vindicatur, & restituitur. Anno 1632. Cal. Decembris.

Vidimus item sextantem circuli, organum ingeniosissimum, à Longomontano, vt ipse ait, inuentum, cuius ope stellæ deprehendi, eorumque motus, ortus ac interitus obseruari commodissimè possunt. Vidimus & aliud instrumentum automaton, siue horologium, egregii artificii, in quo omnia, quæ in cælis aguntur, repræsentantur oculis. Sed præ omnibus organis æstimanda est optimi Senis scientia, humanitas, atque virtus: neque enim in hac tanta ætate laborandi finem vllum facit, perpetuumq; cum doctissimis quibuscumque Mathematicis litterarum commercium obseruat.

II. Serenissimo Principi Daniæ, vxorique illius, itemque Duci Friderico Legatus noster ad profectionem se accingens, salutationes suas detulit, & nos pariter vniuersi. Præcipuos item

Danicorum Procerum conuenire & salutare domi voluit : at pauci illum expectauerunt, ob eam, credo, rationem, quòd minùs splendidè & ornatè habitarent : quos quidem ego dicere ausim, parum in virtute profecisse, qui non audeant frugalitatem palam ferre. Nam, cur pudeat illos deliciis, & luxu carere, quibus deliciarum adminicula natura denegauit? Inuenit ergo tantùm istos domi, Christianum *Thomassin*, Regni Cancellarium; Christophorum Vlfeldium, Senatorem, à quo primùm exceptus, & in vrbem inductus fuerat; Rozenkrantzium, Aulæ Mareschallum; & deinde sub noctem Regias filias, quarum natu maior, quæ Penceo nupserat, postridie Gluestadium profecta est.

III. Vlfeldiorum domum me contuli; atque vt illis aliquod nostri monumentum relinqueretur, dedi Canuto Vlfeldio, quem in Gallicum nomen tam pronum esse, supra notaui egregium Poema Iacobi Fauerelli, Ludouici XIII. Iconem nuncupatũ. Dici non potest, quàm humaniter, quámque ex animo id munus excepit. Dedi Laurentio fratri elegiacos versus, quibus aduentum nostrum in Daniam describo, ac, ne quis eximiam Fauerelli, tenuemque meam Latinitatem perperam collocatã putet, sciat velim, huiusmodi Nobiles, neq; aspernari, neq; nescire (quod Neronis votum fuit) litteras : imò eruditissimos esse linguis ac disciplinis vniuersos, & vix in Nobilium gradu consistere posse, qui literatissimus non sit. Sed & nonnul-

li sunt etiam insignes, demiratusque sum ego senem Rozenkrantzium, amplissimæ familiæ patrem, quam pro sua summa prudentia atque virtute ad mores suos exigi instituique voluit. Deductus sum ad illum eâ ipsâ die à Theologo nostro. Vir ille est ingentis doctrinæ, quique se Theologiæ, ac præsertim Bibliorum lectioni penitus addixit, Græcæ ac Hebraïcæ linguæ scientissimus. Cæterùm integerrimi moris. Porrò, vt aliquod amicitiæ symbolum hospitibus suis Legatus relinqueret, duodecim illos Nobiles Danos, quos in assiduo comitatu ac ministeriis habuerat, torquibus aureis, aliisque huiuscemodi elegantissimis muneribus donauit. Inferioribus verò Palatii Officialibus sexcentos Imperiales thaleros.

IV. denique, tametsi aduersus esset ventus, nauim conscendimus, plurimaque Daniæ Nobilitas nos ad dromonem vsque, quo in nauim transportari debebamus, comitata est, dromonemque ipsum conscenderant Rozenkrantzius, Cornificius Vlfeldius, Ioannes Vldricus, Petrus Vvibius, & ex Saxoniæ Ducum comitatu elegantissimus adolescens Vvardreus, quicum ego recentem amicitiam inieram.

Postquam tres dies vento semper aduersante ad vadum hæsimus, allatus est ab vrbe nuntius, expedire, vt ad commodiorem breuioremque nauim transiremus, ingruere nimirum hyemem, quæ maioribus præsertim nauibus periculosa esset, quod etiam ex naue, quæ Legatum Hispaniæ deduxerat, nobis patefactum est;

Illa

Illa enim fractis duobus malis reuersa est septima Nouembris. Hæc mutatio non placuit Legato nostro, qui super hac re à Legato Poloniæ consultus est, qui quidem & ipse tres aut quatuor dies ante nos in vado hærebat.

VIII. Rozenkrantzius inuisit Legatum nostrum Legatumque Poloniæ, illisque quâ fide, & comitate est, commodius iret per minores naues pollicitus est.

IX. Placuit Legato, qui cubiculi tædio tentabatur, in ripa maris, quæ proxima erat, deambulare: descendimus itaque decem cum illo cum sclopetis volantesque aues appetitæ sunt. Cùm rediret, nuntiatum illi est, Cancellarium *Friis* illum voluisse conuenire, indeque ad Poloni nauim transiisse. Iussit itaque se illuc duci Legatus, fueruntque per semi-horam simul, illisque Legatus Galliæ litteras, quas in naui super Ducis Aurelianensis in Galliam reditu acceperat, aperuit: quæ res mirum in modum attonitos illos reddidit, induxitque vt de coniugio Ducis Aurel. cum Margarêta Lotharena acriter disputarent, quod idem à comitibus Poloni contra nos factum est, qui in alio cubiculo sedebamus: adeo Gallorum concordia exteris suspecta, atque inuisa est, quâ nos ad totius Orbis imperium niti posse, non sine ratione formidant. Egredientibus è Poloni naue atque ad nostram redeuntibus, duodecim ex vtraque ingentes machinæ displosæ sunt.

X. Plures è nostris in terram ad venatum transducti. A prandio Cancellarius *Friis* cum

Becco genero, Rozenkrantzio, Vvibio & aliis Legatum nostrum dromone adiit. Aduenerunt etiam Legatus Poloniæ cum Residente Batauorum. Iterumque lis super Ducis Aurelian. matrimonio, me etiam patrocinante, disceptata est. Neque vllæ tamen hactenus sportulæ allatæ sunt.

XI. Quæ D. Martini fuit, in apotheca mea rhythmos Gallicos super præsenti sorte scriptitaui, quibus Legati nostri animus, qui capitis dolore laborabat, non iniucundè recreatus est. Ille vtique præ frigore coactus est, me non dissuadente, inter medios cleros sedere, in imo carinæ fundo, vbi nos aquæ superficies sex, aut septem pedibus exuperabat, hausitque oculis, atque naribus coquinariæ nauticæ sordes, atque fœtorem.

XII. Auaugurius plures è nostris in suburbium Hafniæ ad comissandum duxit. A prandio Cancellarius *Friis*, pluuio, intempestoque aëre, Legatum nostrum ad vadum adhuc hærentem adiit, illumque hortatus est, vt per Noruegiam iter Stocholmi peteret; atque iterum secus Helsingoram ac *Seagen* versus rediret, quod ille non probauit, respondit que, se velle per mare Balthicum nauigare. Tum verò dixit mihi Vvibius, se in Germaniam, vel Sueciam missum iri pro rebus Ducis Friderici, qui in Episcopum Bremensem fuerat electus, seque vix deinceps in Galliam rediturum, opusque Regi Daniæ esse, vt alium in rebus suis agentem deputaret.

XIII. Nauim mutauimus, atque in commodiorem descendimus, in qua tamen 14. tormenta erant maiora bellica. Idem fecit Legatus Poloniæ, qui sesquihorâ ante nos soluit, vt Dantiscum peteret. Secus littus Scaniæ illa die nauigauimus, sexque milliaria confecimus.

XIV. Quâ in mare Balthicum intrauimus, oborta est per noctem ingens tempestas, quæ nos vehementer succussit.

XV. Continuauit illa tempestas, ita vt sex milliaria retrogredi nobis fuerit necesse, Bornholmiam insulam versus, vbi prope castrum iacta est anchora. Pertinet illa ad Regem Daniæ, eique vnus è Rozenkrantziorum familia præfectus est. Plurimi è nostris terræ appulerunt castroque successerunt. Ægrè à nobis, qui remansimus in naui, dies illa transacta: mihi, qui tota die in nauseantem stomachum reluctatus fueram, succumbendum tandem fuit; exoluendumque suum Neptuno tributum.

XVI. Nostri ad Castrum redierunt ad conuiuium pridie condictum, qua de re Legatus, qui in naui remanserat, iis succensuit; nimirum quia ventus, interea dum abessent, secundior euaserat: sed & ipse Nauarchus cautè à nostris deductus fuerat, mentitus Legato se illuc proficisci oportere ad coëmendas candelas; vnde postea à quibusdam hæc insula *Candelarum* nuncupata est. Reuersi sunt tandem illi egregiè pasti, atque poti, horâ post meridiem tertia, ita vt diei fere integræ dispendium fa-

ctum sit Solymus inde displosis rite tam à naui, quàm à Castro, bombardis. Ibi duos salmones à piscatoribus sesqui-thalero noster Oeconomus emit, quorum quisque si in macello Parisiensi fuisset, quindecim aureis æstimatus est. Empti vtique semithalero 70. mediocres aselli, 70. ventribus famelicis suffecturi, *monnuaux*.

XVII. A sinistris Christianopolim vidimus, quæ à Christian. hoc IIII, ædificata est. Limitanea est illa inter Blekingiam, quæ Daniæ est, & Smalandiam, quæ Sueciæ; constat paucis ædificiis. A dextris paulò pòst Oeylandiam inuenimus insulam satis, vt aiunt, fertilem, quæ ad Regnum Sueciæ pertinet: est illa octodecim milliarium longitudinis, duorum latitudinis: conspicuumque est castrum Borcolmium, quod quatuor milliaribus Calmariâ distat.

XVIII. Calmariam appulimus, primam in hac plaga Sueciæ vrbem, est ibi arx rite, atque ex arte ædificata, quæ mari imminet, cuique transeuntium naues vexilla submittunt. E regione illius modicoque interuallo extat propugnaculum quadratum, quod mari cingitur. Salutauimus arcem tribus tormentorum ictibus; duobus illa nobis respondit. Descendimus in terram, misitque Legatus ad Præfectum arcis quasdam è nostris, qui suum aduentum nuntiarent, peterentque ab illo nauclerum, qui nauim nostram Stocholmum vsque, vel saltem Elsniapium regeret, propter difficultatem bre-

uium & scopulorum in hoc mari sparsorum, qui ab exteris nautis hac præsertim anni tempestate tentari sine summo discrimine non poterant. Datus itàque nobis est gubernator, quem ex vultu peritum in re imperitissimum, certè infelicissimum agnouimus. Interim vero dum iste nobis rector conquireretur, ingressus sum cum Legato incognito in Ecclesiam, vbi funus peragebatur, adhærebatque altari Sacerdos cum pallio, & chirothecis canens, interdumque ad populum se conuertens. Iussit me istum postea affari Legatus. Erat verò ipse Prouinciæ Episcopus, vt didicimus, ex quo cùm nonnulla, super præsenti rerum statu, sciscitarer; vicissim ille me interrogauit, militesne essemus, an mercatores? Vtrumque sumus (respondi) atque à fortuna factum est, vt sic vnà conuenerimus. Atque ibi Legatus, quasi qui frumentariam ageret ipse, petiit ab homine glorioso pariter, ac paupere, num bonæ essent in Suecia segetes. Meliores (inquit ille) quàm vos ipsi habeatis, vndecumque vos sitis. Commouit nos vehementer ista responsio, aliosque indignatio, alios cachinnus cepit, videre hominem Suecum, cui secale, vel hordeum panis primarius sit, cum Rossiaci Domino, vbi optima totius orbis terrarum seges metitur, de possessione melioris tritici contendere. At dicendum est tamen, quod res est; & ipsi quoque aliquod tenue frumentum habent: verumtamen suum panem tam ingratè ceruisia, & fœniculo condiunt, vt illum omnes auersare-

mur. In Germania etiam idem est pinsendi condiendique panis modus: at longè alia est tritici bonitas, atque copia.

XIX. Quæ Dominica fuit, Calmaria post solis ortum soluimus; habuimus, à sinistris Sueciam prætensam, à dextris Oelandiam insulam, sex confectis per propitium mare, milliaribus, rasimus promontorium, siue rupem *Iunfravv* nuncupatam, quam mare vndequaque alluit. Aiunt in eius summitate lacum esse aquæ nigrę, nigrorumque pariter piscium, quos nemo degustauit impune. Credo ego id ea ratione dici, quod nemo illuc ascenderit, tam est ardua, pręrupta, & inaccessa hæc rupes, vnde illi *Iunfravv*, hoc est, virginis nomen inditum est. Fabula vero vetus peruulgata est, violatam à latronibus virginem; cùm vltrà hominum conspectum pati non posset, ad rupem illam, ad quam nemo accederet, nauigio transfretari voluisse; relictamque ibi solam, cùm in aridissimo scopulo neque herbam, neque radicem quâ se aleret, inueniret, in lacum se præcipitasse, qui deinde atro colore ad contestandam crudelissimæ desperationis memoriam infectus sit. O sæclum insipiens (dicet quispiam!) & quam raræ sunt nunc puellæ, quæ vel prostitutæ, vel ereptæ virginitatis maculam huiusmodi eluuione expiare velint. Tota hæc nobis dies gratissima, ac lætissima fuit: serenissimus aër, secundissimus ventus: gestiebam ego super foris cum Molano deambulans, reputansque apud animum meum, sequenti die, forensem pa-

læstram Parisiis aperiri debere; ipsi dicebam, plures Causidicos æquales meos, cùm ad statiuam in basilica Parisiensi columnam conuenirent, de incolumitate mea procul dubio sollicitos fore, quæsiturosque inter se, vbi gentium, vbi terrarum tunc temporis consisterem, nec diuinaturos in mari Balthico tã nauigare feliciter. Quàm est illa (inquiebam) otiosa atque vmbratilis vita vrbana! Quàm est degener & forti indigna viro, qui ad vniuersi orbis possessionem vsurpandã natus est! quantæ vero sunt, & quam variæ peregrinantium voluptates! quàm commodum est illis, atque opportunum mare! En quot quantique hîc sumus, & nos, & impedimenta nostra sine vllo detrimento conuehuntur! quàm est hæc nauis agilis, ac bene instructa! profectò, si hic ventus adspiret, crastinâ die Stockholmum appellemus. Hæc ego imprudens assentienti sodali ingerebam. Sub noctem paulò vehementior ventus euasit, succussaque aliquantùm nauis, ita vt plurimi cubitum maturiùs irent. Cœnaui solus cum Legato, qui me ferè semper priuatæ mensæ adhibebat: circa horam octauam Varennus, qui mare aliàs licet iuuenis tentauerat, Legati cubiculum intrauit, prudenterque (si mens non læua fuisset) admonuit, nobis decem duntaxat milliaria superesse maris liberi, quibus confectis ad sinistram Elsnapium versus, inter rupes, flectendum nobis esset, quod non nisi claro die fieri commodè posset: proinde hoc nimis propitio, vehementique vento, abiicienda, certè

contrahenda maiora vela, ne diuertigium præteriremus; quidam, qui sibi magis scioli esse videbantur, restiterunt. Itaque increscente vento, obortaque in intempesta nocte ingenti tempestate, ita agitati succussique fuimus, vt circa mediam noctem, concitatissimo impetu decumanus fluctus foros supergressus sit, continuoque lecti nostri vndique perpluerint. Ad hanc vndam excitati repente omnes, Tubicen noster terribili, ac luctuosâ voce nos vniuersos periisse exclamauit. Consequuti illico aliorum eiulatus, ac gemitus, Deum Diuosque inuocantium, se suamque sortem incusantium. Exiit è strato Sacerdos noster, atque ad Legatum se contulit, eoque rite absoluto, se nobis omnibus constantissimè præbuit, singulique peccata confessi, nosque inuicem amplexati sumus, veniam iniuriarum mutuò petentes. Eodem impetu quo peccata, stomachi etiam nauseam euomuimus ad cruorem vsque, prostrati omnes quadrupedum more, nam ne ipsi quidem nautæ propter nimiam quassationem consistere poterant, adeo perculsi, & attoniti, vt quò se verterent, planè nescirent, nec quo dirigerent cursum. Nauis ipsa, morientium in morem, differri spasmatis, conuellique videbatur: nam præterquam quod prora, & puppis, quasi subsilientis equi caput, & clunes alternis efferebantur, qui naturalis est nauigandi modus: alius suberat à duobus lateribus motus, qui cum hinc & inde hanc, & illam partem sustulisset, ac successiua libratione inclinari pars

ſublata deberet, ſuboriebatur tertius veluti trepidationis motus, quo totius nauigii compages credebatur diſſolui. Concurſabant interea remiges pro ſuo quiſque munere, alii ad vela contrahenda, alii ad tormenta ſtrictius colligianda, alii ad rimas inſpiciendas obturandaſque; illi inter ſe arietare, proſterni, ſtratiſque noſtris cum vectibus, machiniſque ruere, noſque barbaris, inuſitatiſque clamoribus terrere magis ac magis. Redintegrabatur interea tempeſtas, ſtridebant rudentes, exurgebat indignabundum mare, fluctuſque ad proram allidentes, in denſiſſima illunique nocte fulgorem (quis credat) & coruſcationem emittebant, quaſi ſilices inter ſe colliderentur: vndæ idemtidem in ſummos foros excurrebant, renitentibus ſemper tamen, ac reluctantibus nautis, qui nihil nobis ſpei relinquebant, niſi cum dies illuceſceret. Nullus inter nos fuit, quin precibus, votis, pectoriſque planctu, ſaluti communi adlaboraret. Diuæ ego Genouefæ voui me ſtiturum, quam primùm Lutetiam rediiſſem, atque in illius fano (quod Pariſienſium Aſylum eſt) D. Opt. Max. gratias celebratione Miſſæ redditurum: aditurum etiam D. Franciſci de Paula, cui quondam Deus Omnipotens mare impune pedibus terere, ac tranſire conceſſiſſet. Hæc idemtidem verba repetens, *Qui imperas ventis, & mari, miſerere nobis*.

XX. Nihilo clementior fuit, ſubobſcura quippe, ita vt ne medii quidem milliaris ſpa-

tium conspicere possemus. Itaque sub meridiem nos octodecim milliaria præter flexum, quo Stocholmum itur, delatos esse nautæ renuntiarunt, dubitatumque est, num Dantiscum versus, cursum dirigerent, adeo nos à Suecia venti arcebant. Creditum est, nos per hanc tempestatem centum milliaria Germanica confecisse penetrasseque vsque ad Finlandicum sinum. Teterrimam hanc diem nox similis, nec priori dispar consecuta est. Nemo per diem cibo, nemo per noctem somno indulsit. Ferreus nos siue sopor, siue potius stupor in stramentis abiecerat inter cœnum, vomitum, omnis denique generis sordes volutatos. Quis terrores illius superiorisque noctis, quis funesta somnia fando explicet, dum ad minimam claui commotionem identidem excitabamur? Horarum interea segnes moras incusabamus, lucé, diemque suspirantes: nam per hoc scopulosum mare, debile est ambiguumque in acu maritima subsidium.

XXI. Illuxerat, nec tamen resederat tempestas. Mane deprehensa est à nautis insula Gothlandia, ad quam dubitatum est, an appelleremus. Est illa Regis Daniæ; sed quia integra dies supererat, reuertendi versus Oelandiam consilium placuit, vento nimirum huc impellente. Tantus tamen terror animis nautarum insederat, vt circa meridiem se à cursu aberrasse omnino crederent, quod nos, quibus spes salutis aliqua obiecta fuerat, vehementissimè torquere cœpit. Intraui hora tertia in Le-

gati cubiculũ, quem à duobus diebus non videram. Offendi illum fatigatũ quidem, & ex stomacho laborantem, sed intrepidum, & qui me fausta omnia sperare iubebat. Existimans tamen sequenti etiam nocte in alto mari nos decurrere oportere: nam à scopulis recedendũ est, dum dies sit. Cùm hæc ita reputaremus, aliquis è gregariis nautis, dum ad suppara ascenderet, terrã deprehendit: continuo ad illum rectores, nautæque Primarii, & ipse Nauarchus aduolarunt iudicaruntque à sinistris Oelandiam, à dextris Promontorium *Iunfrauu*, sibi videri. Sesquihora diei tantùm supererat: terræ verò illæ tribus milliaribus aberant: quadrans nobis venti à Sueciæ parte adspirabat nauigandumque rectà erat inter *Iunfrauu*, & Oelandiam, quod fretum angustissimum est; Itaque ne hinc in rupem offenderemus, inde in breuia secus insulam impelleremur, intentissimis oculis nautæ, vectoresque è prora intuebamur. Opportunum nobis admodum fuit, ac salutare, quod à tergo promontorij virginei Sol occideret, vnde longa satis coruscatio illud è mari eminere aspicique faciebat; hora itaque circiter septima, inoffenso cursu Promontorium, allidentibus alioquin infame, nobis vero opportunissimum, & felicissimum præteriuimus: lætique inde per tranquillitatem cœnatum, dormitumque iuimus, & circa mediam noctem iacta est anchora prope Oelandiam è regione Borxholmii Castri.



CAROLI OGERII
ITER SVECICVM.

XXII. SEu periculum, seu terror fuit, in mediis scopulis nos quieuisse nocte illa deprehendimus: Id tamen ab aliquibus è primariis nautis negatum est. Verùm perculsis semel mentibus vel pericula, vel periculorum imagines sese continuò offerebant. Meridie Calmariam appulimus. Remansit in naui Legatus, in qua illi pro sua dignitate commodior habitatio erat. Plures in terram statim descendimus, quibus solum terere incredibile solatium fuit. Per ego octodecim dies vestes non exueram: per tres, aut quatuor dies aliqui cibum non viderant, adeo in tantis periculis despondetur animus, adeo per tantas concussiones nauseat stomachus. Itaque dignas Mahometis paradiso epulas, dignos somnos experti sumus, in tepidissimo hypocausto cœnauimus, ac dormiuimus: vbi & hospes, & coniux, serui, ancillæque, infansque in cunis totâ nocte vagiens, quatuorque milites ceruisiam, ac fumos alternis ad diluculum vsque exhaurientes, nihilo mihi inquietiorem somnum reddiderunt.

XXIII. Pilos, qui mihi præ terrore horruerant, incanuerántque, apud tonsorem deposui. Meridie vrbem Legatus intrauit, aliquo etiam popelli concursu, ad tormentorum æneorum sonitum excitati: nam non aliter vel nauim conscendebat, vel descendebat. Prandimus omnes cum illo, admissusque illius mensæ Nauarchus, cui pateram argenteam donauit, nautisque reliquis centum thaleros. Atque in fine conuiuii, rite ac more regionis, propinauit saluti Regis Daniæ; quod vniuersi stantes, nudoque capite peregimus.

XXIV. In hospitio Legati sacrum Missæ sacrificium celebratum est, quod à Sigismundi discessu factum fortasse in Suecia non fuerat: constans enim est in illo regno, omni aliâ opinione exclusâ, Lutheranismus: plurimi è nostris votorum, quæ pro sua communique incolumitate fecerant, rei, Dominicum corpus communicauerunt, quod idem sequenti die præstitit Legatus. Ad Præfectum arcis, qui morbo laborabat, nomina omnium nostrûm scripto, quoniam id postulauerat, transmissa sunt: nimirum, vt commeatui nostro consuleretur, & fortasse etiam ob alias causas, ne quis scilicet impostor ex Gallici Legati comitatu mentiri se posset. At isti arcium Præfecti, tam in Dania, quàm in Suecia, adueniente Legato nostro ægroti fuerunt semper. Cur ita? credo quia tenuitatis suæ pudebat eos, vel ne castrorum suorum, ac etiam militum defectus notaretur.

XXV. Ephippia, habenasque, & reliqua

itineri instituendo necessaria nobis comparauimus: nam nudi equi nobis è publico commodabantur. Hæ sunt enim oppidanorum, & rusticorum angariæ, vt equos suos ad necessitates publicas præbere teneantur: Itaque breui obtento diplomate Regio, quilibet potest vniuersam Sueciam quàm longa, quàmque lata est, nullo sumptu, peragrare. Pumiliones sunt illi equi, at viuidi, alacresque, sine soleis, sine sellis, & habenis: habenas itaque, ephippiaque Calmariæ nobis confici quattuor thalerorum pretio prouidè curauimus: qui huic sumptui pepercerant, nudis equis, vel certè clitellis, non sine aliorum risu, toto itinere insederunt. Singulis diebus quinque circiter milliaria conficiebamus, semelque, aut iterum equos nullâ morâ mutabamus; manè & vespere tantùm comedentes, interceptoque à breuitate diei prandio. Præcurrebant interim qui vsibus nostris necessaria per mansiones prouideri curabant: neque enim magno comitatui suscipiendo idonea sunt diuersoria Suecica, nec vlli peregrino, qui paulo maiorem familiam secum trahat, in Sueciam iter instituere auctor sim, quin maturè Reginam & Rempublicam Suecicam de aduentu suo præmonuerit: at illi sua summa prouidentia, ac cura, proque regionis opibus commeatui nostro consuluerant, vinumque Hispanicum, Gallicum, & Rhenanum conuehebatur: nam ceruisia per oppida passim, & pagos inueniri potest. Itaque quotidie ad nostros vsus, & impedimenta nostra plusquàm

ducenti equi necessarii erant: comitabantur illos pueri puellæque rusticæ, quos pari passu, licet incitatissimos, adæquabant: nec tamen inuiti hæc seruitia exhibent: credo quod aliunde tributis vexati non sunt. Cæterùm plebs illa rusticana nec incommodè, nec miserè vestita est: nec me in tota Suecia quemquam nudum aut lacerum videre memini: atque vti deliciis diuites non affluunt, nec etiam pauperes miseriis interficiuntur: rusticique infimi non ex tela & cannabe, vt sunt fere nostri, sed ex lana nigra induti sunt, talis enim est ouium Suecarum color. Calceos habent ex corio non ex ligno; in capite pileos nocturnos; laneas in manibus chirothecas: sicque in vehementissima frigora, quibus regio infestatur, probè muniti sunt: adde quod immensæ syluæ, quibus tota fere Suecia tegitur, ingens illis est ad hæc mala depellenda subsidium. Circa pagos, qui rari sunt, exigua sunt spatia, in quibus triticum seritur: dubitarem admodum an illæ messes suis agricolis sufficere possint, adeo pauca sunt iugera, adeoque rupibus, ac sentibus interrupta; ac nisi Sueci Regnum suum antiquissimum asserèrent, videretur à paucis annis illa instituta esse cultura: existunt enim adhuc inconsarum, atque erutarum arborum stirpes: veruntamen annotanda est hominum industria, ingeniumque soli: incendunt quippe arbores syluarum, & super cinerem terræ admixtum granum spargunt; sine aratione, sine occatione, & stercoratione vlla nascitur seges, non quidem proximo se-

quenti anno, sed biennio postea,

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora sensit.

At quis crederet ex sterili & arido cinere creari quicquam posse, nisi id iam peritissimus Georgicôn Autor à magistra ipse experientia edoctus nos docuisset! sed idipsum sine aratri, aut ligonis opera effici posse, somniauit nunquam.

Exeuntibus Calmariâ infelix se nobis terra obtulit, saxis dumisque referta. Post tria milliaria equos mutauimus, & sub occasum diei ad pagum, siue parochiam, quæ *Ohlem* vocatur, aduenimus. Obuius venit Legato loci sacerdos, apud quem diuersati sumus. Sacerdotum rusticorum ædes, publica diuersoria sunt, illæque ipsis eâ conditione à Regibus concessæ sunt: at verò ante hanc tam salutarem reformationem planè illæ iuris Ecclesiastici erant: Verumtamen frugi ac prouidi Censores nuperi istius euangelii, compendia ac fructus inter se partiti sunt, vt Principes ac Reges Ecclesiæ patrimonia ac fundos; presbyteri personas, hoc est, moniales, viduas, ac virgines sibi haberent optimo iure: Laïcis verò pro sua portione, confessionarii tormenti, ieiuniorumque omnium indulgentia facta est. Redeo ad sacerdotes, quos inter neminem inuenias cælibem, vel orbum, adeo illorum interest, vt numerosâ prole beneficia illa, ac veluti feuda, rectè administrari & excoli prouideant. Rex ipse Reginaque, cùm iter faciunt, illic morantur. Ex abietibus longis compacta sunt ædificia, parietes, sola, & tecta,

tecta, quæ quidem gramineâ terrâ ſuperinducuntur ad arcendas niues: Humilia illa ſunt, diceresque foris anſerum, porcorumve ſtabula: verumtamen intus non ingratæ manſiones nobis fuere, parietesque & laquearia picturis vndique (non ſunt illæ Belgicæ aut Italicæ) variegantur. Lauta ibi parata nobis fuit cœna, nec opimi anſeres defuerunt; abieruntque nobis in prouerbium *Miniſteriales anſeres*: Nihil enim nobis lautioris gulæ appoſitum eſt. Habitat in illo vico N. *Skut*, Liber Baro & Senator Regni Sueciæ, de cuius filio, ſtrenuo pariter, ac erudito adoleſcente, ſuprà mentionem fecimus.

XXVII. Alia quinque milliaria confecimus, atque in pago N. *Hogsby*, manſimus apud alium ſacerdotem cauponem.

XXVIII. Ad pagum N. *Aby*, venimus, quinque pariter milliaribus confectis, vbi nihilo meliores lectos, quàm in nauibus inuenimus, niſi quod ſecuri pelagi, atque ventorum eramus.

XXIX. Quinque itidem milliaria confecimus inter arbores proceras, virideſque: neque enim vel ventus, vel hyems frondes illis decutit: abietes ſunt atque pinus rectæ ipſæ, & decoræ ad miraculum vſque, vt mirum mihi deinceps non ſit, Xerxem dilexiſſe platanos. Cæterùm tametſi in media Suecia ſub ipſa fere Arcto peregrinaremur; mitiſſimâ ad hunc diem tempeſtate ſine frigore, puluere, pluuia, vſi ſumus: ita vt in itinere ludentes plurimi è no-

ſtris, perticis velut lanceis, inter ſe concurrerent. Venimus illa die ad oppidum N. *Vvimerby*.

XXX. Quæ dies D. Andreæ fuit, morati ſumus in dicto oppido: vbi, quia Miſſæ in diuerſorio Legati celebratæ non interfueram, damnaui me epigrammate, quod Legato ſtatim miſi.

Vt nugas iuuenum, famulorum vt ludicra verba
Effugerem, iuſſis malui abeſſe ſacris.
Quique hominum timeo, ne morſibus appetar, idem
Non vereor magni temnere iuſſa Dei.
Quæ ſit tanta mea damnatio congrua culpa,
Arbitrii, MEMMI, *res erit illa tui.*
Namque ego nec Dano ſtatui me ſubdere Regi,
Regibus aut Sueca, Sarmaticaque plaga.
Et memini me, Pariſiæ ſub limine Portæ,
Carmine te Regem ſæpe vocare meum.
Ne me tam iuſti capiant obliuia voti,
Iſta tibi obſequii ſigna recentis erunt.
Oro vnum, tua ne deinceps plebecula lædat,
Quos tua Maieſtas cenſet honore patrum.

Nemo tamen, vt verum fatear, me perſtrinxerat: Verùm aliquid excuſationis fingendum erat, quod verſificandi argumentum eſſet: reliquum diem in ſyluis auiis aliqui deambulantes conſumpſimus, parumque abfuit quin errabundi à nocte interciperemur. At Legatus quem grauioribus rebus diſtentum putabam,

antequam se somno traderet, sequentes versus mihi per vnum è cubiculariis misit.

Parcum diuini cultorem numinis, ipsis
Qui Missa Festis sæpe diebus abes.
Obsequio erga homines non tam decet esse profundo,
Me miserum, vt Regem, de nihilo facias.
Nam si Terrarum Dominis admisceor, & iam
A multo Regem tempore iussus ago.
Non ideo in tanti titulos consentio fastus:
Nec pœna, vt speras, arbiter esse queo.
Hoc nihil ad Reges, talique absoluere culpâ
Ipsemet haud nescis, non opis esse meæ.
Mox ergo ad Regum supplex conuertere Regem,
Et bene si facias, Rex eris ipse mihi.
Nec mihi Rex vni, sed & omnibus his quoque, quorum
Nunc tuus incauto læditur ore pudor.
Tota pium domus hæc, quæ doctum tota fatetur,
Te colet, exemplo facta modesta tuo.
Hanc, Ogere, tuis animi si dotibus addes,
Tum quoque quem prensas, sponte sequetur honor.

Admodum mihi, vt verum fatear, placuerunt isti versus, præsertim ab homine, qui à tot annis grauioribus negotiis districtus, otiosa ista Musarum auocamenta impune obliuisci, ne dicam contemnere, poterat.

Primâ die Decembris per inchoantem niuem oppidulo illo profecti sumus, reliquimusque Smalandiam, quod verbum pusillam terram

significat; nam ferè tota syluis contegitur, exiguumque spatium agriculturæ patet. Ingressi inde sumus in Ostrogothiam, quæ regio paulo fertilior est; mansimusque in pago N. *Gniza*, vbi Rex diuersorium habet ventis peruium. Itaque potiores nobis fuerunt rusticorum domus.

II. E media culina, in qua cum centum agasonibus humi iacentibus magna prærogatiua dormieram, antequam dies illucesceret, sequentes Legato misi versus.

Orator Gallos inter suauissimus omnes,
Qui passim ad Reges munera Regis obis;
Tu-ne etiam mecum certes de iure Poeta,
Nec mihi præcipuum munus id esse sinas?
At non ista tuis obiecta est gloria votis,
Carminis vt nobis præmia præripias.
Ergo tuis vltro monitis parere paratus,
Culpa iterum fateor probra pudenda mea.
Rite Deum lacrymis prius obtestatus amaris,
Vt veniam offensa quam tulit, ipse daret.
Numine placato: si me vel conspuat orbis,
Laudibus aut vanum sydera ad vsque ferat.
Vnum te spectem, tua me correctio, MEMMI,
Torqueat, inque tua stet mea laude quies.

Inde per Castellum N. *Broquin*, quod aquis cingitur, ter mutatis equis, Lincopiam venimus.

III. Quæ Dominica erat, Lincopiæ mansimus, vbi Academia est litterarum, at exi-

quo Scholasticorum numero. Insignis item ibi est pro regione Ecclesia longa, lataque, in qua sacella hinc & inde plurima sunt, quorum aras diruerunt, sepulcra ac tumulos substituerunt. Præfulget inter alia Bielcorum familiare sepulcrum, quæ familia est inter Regni præcipuas. Concionantem vidimus pastorem in veste linea, quam *albam* vulgo vocamus. Sunt ibi duo organa separata. Est crucifixus, sunt imagines Sanctorum. Triste ibi disciplinæ Suecicæ exemplum vidimus, infelicem nimirum puellam, quæ in corpus suum peccauerat, quam ideo, vt illius pudor omnium oculorum conspectu suffunderetur, ad ingressum templi in conspicua catasta genibus flexis toto mane ad meridiem vsque collocauerant. Legatus qui hereticorum templa aspernabatur, ne nihil ageret, adiit domum Regiam, ædificatam ad morem deliciasque regionis. Post cœnam Scholastici sub frigidissimo Ione musicè ad Legati fenestras cecinerunt, quibus aliquot thaleros aspergi iussit.

IV. Ter mutatis equis Norcopiam deuenimus.

V. Propter illius vrbis dignitatem, quæ inter Regni primarias censetur, Legatus per vnum ibi diem demorari voluit. Enimvero res consideratione dignas, inter peregrinandum incuriosè præterire, si id ex contemptu fiat, superbiæ tribuitur, si ex incuria, stupori. Quod quidem Legatis, cùm iter faciunt, negligen-

dum non est: nulla quippe res est, qua opportunius, & facilius Principibus ac Ciuitatibus gratificari possint, quàm si illorum possessiones, ac dominia magni faciant, subditorumque ingenia, artificia, atque virtutes mirentur. Vnicumque est istud, meo quidem iudicio, honestum rectè peregrinandi compendium, vt omnia quæ oculis occurrunt, vndique delibentur; vnde illis qui ad res gerendas vocantur, sapientiæ, & exemplorum promptuarium sit, aliis verò, quos sua sors ad ignobile otium damnat, exstet aliquod in sua recordatione, & commemoratione solatium. Norcopia igitur vrbs est inter præcipuas Sueciæ, tam ob numerum, quàm ob industriam ciuium, qui varias artes exercent. Influit in illam rapidissimum flumen, quod à lacu non admodum remoto originem ducit, seque tortuoso salebrosoque alueo, magno murmure per saxa ex alto præcipitat. Vnde Norcopienses plurium molendinorum exstruendorum occasionem sumpserunt. Visenda præsertim ibi est cupri, siue æris officina, vbi & fornacibus funditur, & defæcatur, & in laminas typosque varii generis formatur, expoliturque. Ibi Brontes, ibi Steropes, & nudus membra Pyragmon. Horrendum est videre malleos, molendinorum ope laminas æreas terentes, tenuantesque, tam ingenti strepitu, vt ipse tonans Cælo Iupiter exaudiri non possit, videre pueros qui laminas illas incudibus malleisque supponant, alios qui forficibus chalybeis illas in longum secant, deferuntur illæ de-

inde virgulæ ad aliam officinam, vbi citissimarum rotarum conuersione, impulsioneque ab aliis artificibus torqueri repente videas in fila, quæ vulgò *d'Archal*, *ou*, *de richal* vocamus: hoc verò tam præcipiti, tam celeri, tamque acuta ac ingenti collisione fit, vt ipsæ surdorum aures, si huc se sistant, aperiri possint; audientium, nisi protinus abeant, obtundantur. Vidimus inde quemadmodum sclopeti, fistulæque ferreæ perforentur, ac poliantur exteriùs, interiùsque: vidimus tenuissimas bracteas, quas ex auro diceres, expoliri, conuoluique, ex quibus ligulæ laqueique aptantur. Horridum erat imprimis intueri in ingressu omnium ergastulorum perpluentia vndique tecta, guttasque aquæ in crystalla, glaciesque indurescere: Præcipitantemque desuper spumantemque inter saxa & rotas fluuium, commatibus & repagulis, quibus hinc & illinc cohibetur, indignantem. Iucundum contemplari Neptuni-Vulcanique iras, hominum industria domitas, & coërcitas, imò etiam ad eorum vsus & commoda transductas. Charta ibidem, aliaque plurima fabricantur. Multique passim in variis officinis operarii laborant, quorum plerique Belgæ, Batauique, qui Gallicè loquuntur. Inuestigauit hæc omnia Legatus comitante vrbis Præfecto. Deambulauit inde secus fluminis ripam, ibi naues ædificantur, vbi permultæ maiores bombardæ ferreæ iacent, quas ad Batauos conuectant. Est illic cuniculorum nigrorum maxima copia, qui accedi se, ac fer-

me contingi patiuntur: Nondum didici an & ipsi per hyemem, colorem mutent, candidique fiant. Scio quidem manifestumque est, lepores omnes hyeme prorsus canescere, fierique albos, ac deinde adueniente vere colorem resumere pristinum, atque leporinum. Pridie mihi Legatus versus miserat, quos ideo edo in vulgus; tum vt summæ eruditionis laus illi cōstet tum, vt plerisque diuitibus illiberaliter natis, & institutis palam sit, solam (vt ipsi aiunt) negotiorum trituram, ac veteratoriam, ad res bene gerendas non sufficere, falsumque esse, quod asserunt; nihil esse tam facile, quàm obire Legationes; suamque Legatis methodum in mandatis esse perscriptam, næ vehementer falsi sunt illi. Nam nisi sapientissimus pariter, ac doctissimus fuisset noster Memmius (ausim istud affirmare quod ipsum verissimum est) nihil apud tam sapientes eruditos, callidosque Reges, tam fortes Populos, tam prudētes Ciuitates, quæ ab Optimatibus, hoc est, sapientioribus reguntur, efficere potuisset; aditum illi sua scientia, atque facundia; gratiam comitas; auctoritatem sapientia, atque virtus comparauit. Deputetur verò in Germaniam homo nullius prosapiæ, contemnetur. Qui Gallicè tantum sciat; non intelligetur. Qui historiæ profanæ ignarus sit; irridebitur à plurimis; qui sacræ, etiam ab omnibus. Sed adscribendi sunt tandem Legati nostri versus.

Nec me hodie effugies, aut indonatus abibis:
Nam quid ego in vatis longius are morer,

Quam sterilem accusas, tibi fert hæc carmina tellus:
Heu possint genium non retinere loci.
Vasta pererrantem regni deserta Sueci,
Lenire hac tardos me iuuat arte dies.
Per glaciem, atque niues dudum & contraria iactor
Æquora, quà peragam non bene verius iter.
Interea & versus, & cætera ludicra fingo,
Vt fallam ingrata tædia longa viæ.
Ac medium in Boream penetrans, mediumque Decembrem,
Quo calcam, Phœbum mens agitanda vocat.
Sed mihi surdescis Phœbe, atque facillima vestrum
Virgo mihi (ô Musæ) nil paritura manet.
Non inuita tamen tê commendare Minerua
Spernet, amatoris laudibus æquâ sui.
Nec quia securus vulgi suffragia tantum
Nostra ambis, faciles in tua vota sumus.
Sed quæ fama tui nostrum pellexit amorem,
Nostrum eadem adiungit cognita iudicium.
Macte igitur meritis quæsitum, Ogerie, nomen
Externæ haudquaquam laudis egenus, habes.
Quod mea si porrò tibi sit sententia tanti,
Malim ego quàm index, æmulus esse tuus.

VI. Ad pagum *Ostrohusby* nuncupatum deuenimus, vbi lectorum penuria, in densa palea humi iacuimus.

VII. Satis mane decem precurrimus, vt fretum maris in quod flumen Norcopiæ influit, transiremus: quia nauigia vniuerso co-

mitatui nostro capiendo idonea non erant. Fretum illud *Bravvic* appellatur, separatque Ostrogothiam vnde exibamus, à Sudermania, quam ingrediebamur: est illud latum medio milliari; postremique è nostris, qui illud sub meridiem transfretarunt, aliquo periculo, plurima certè formidine, vt ipsi fassi sunt, non caruerunt. Pusilla est ibi à Sudermaniæ parte affixa radici montis, quasi ostreum scopulo, Ecclesia; dignusque hic esset tam Poëta, quàm pictore locus. Venimus inde ad pagum N. *Thuna*, diuertimusque apud loci Sacerdotem.

VIII. Propter festum Concept. B. Virginis ibidem mansimus; atque in domo Lutherani sacerdotis, quod illi vehementer gratum fuisse dubium non est, Missa Catholica à sacerdote nostro celebrata est. Huic duæ mulieres interfuerunt, non sine magno pietatis sensu: quarum vna tribus ante annis Amsterodamum se contulisse religionis causa dicebat, nec ab eo tempore Catholica sacra participasse. Vtile esset ad occultorum Catholicorum solatium, pios illuc sacerdotes submitti, quod modico pro tantis opibus, quibus passim apud nos redundat Ecclesia, sumptu fieret, fructu verò non modico: Credo ego quod nec Constantini, nec nostrates Caroli, ac Ludouici, quos sua pridem pietas ad Cælos euexit, dicatos à se Ecclesiis reditus, ad illos vsus non quererentur intercipi, atque diuerti. Neque hic temerè ac fictè religiosum ago: subiit me sæpe iste sensus; subiret omnes viros bonos, si illuc penetrarent,

Transiit summo mane per hunc pagum cursor publicus, qui magnum litterarum fasciculum Legato attulit, in quo septem ad me scriptæ erant, quarum recentiores dabantur 7. Sept. effluxerantque tres menses. Septenarius iste numerus testatissimæ necessariorum meorum amicitiæ symbolum fuit. Eo ipso mane dedi Legato sequentes versus, vt Poëtices curriculum quod aperueram, clauderem

Memmi, *fortunæ donis qui diues abundas,*
Fortunam meritis anteuenisque tuam.
Quâ rerum vice continget debere Poetæ
Tam misero, vt quicquam tantę Poeta velis.
Hanc animo curam procul abiice, scilicet iste
Libero te, si sim creditor ære lubens.
Me tam fortis in hanc ne perge lacessere pugnam:
Non ego sum tanto dignus Achille pugil.
Vincor ab ingenti (si qua est ea gloria) vate,
Seruaque victori prebeo colla meo.
Forte mihi tamen hoc magno tribuatur honori,
Quod me perpetuo carmine sollicitas.
At non vlla meam pertentet gloria mentem,
Quam potiore mea parte quietis emam.
Nolim Tarpeiæ sortem subiisse puellæ,
Quæ fuit acceptis obruta muneribus.
Desine meque tuis compellere, teque loquelis:
Ingenii est acies quippe retusa mei.
Me labor exhaurit, mihi mentem pectore in imo
Concutit incessus succutientis equi.
Adde quod infausti sydus glaciale Bootæ
Constringit nimio pectora nostra gelu.

Quò magis admirer sub tali sydere, Memmi,
Te tantâ vena commoditate frui.
Hic vbi concreto canescunt frigore montes,
Nascentesque suo fonte gelantur aquæ:
Hic vbi nitentes pinus ad sydera, possunt
Depressum multâ vix niue ferre caput.
Hic communis vbi quondam consortia regni,
Frigida cum cæca nocte locauit hyems.
Et quisquam his regnis Phœbeum numen adorãs,
De tam longinquo lumine speret opem?
Phœbum ego cum Musis, iubeo castamque Mineruam,
Dum redeo ad nostros, res sibi habere suas.
Si quis forte sinu deinceps ebulliat ardor,
Ad numeros, si quæ verba diserta loquar:
Hunc mihi subiicient hypocausta Sueca calorem;
Hic, tu Bacche, mihi garrule, Numen eris.
Desine te porrò nobis committere Memmi,
Putida cui capiti vina vaporque nocent.
Nam metuo, ne quam statuis mihi carmine laudem,
Prodat diffuso libera lingua mero.

Visenda est iuxta illum pagum fornax, in qua maiores bombardæ ferreæ fabricantur, conflarique vidimus maiores globos ferreos: vidimus & machinam quibus illæ perforantur. Cùm hîc essemus; aduenerunt duo à Regina missi, Franciscus nimirum Kruzzius, & Laurentius Vanderlinus, vt Legatum Reginæ nomine salutarent, ac Stokholmium deducerent.

IX. Nicopiam venimus.

X. Quæ Dominica fuit, Nicopiæ Missam

celebrari iussit Legatus in hospitio suo, vbi Aula erat magnæ alicuius celebritatis capax. Castellum ibi est non contemnendum. Est monetæ officina. Dimidia pars vrbis paucis antè annis flammis absumpta fuerat, quod mirandum non est; nam omnia fere ædificia lignea sunt, ita vt magis mirandum sit, quod quotidie incendia non accidant, cùm passim ex caminis, qui non satis excelsi sunt, scintillæ à vento spargantur.

XI. Post meridiem in itinere offendimus Baronem Skutzium, patrem illius adolescentis, de quo supra, Regni Suecici Senatorem, virum doctum, ac prudentem, multisque antea grauibus negotiis & legationibus functum, qui tunc etiam Legatus in Daniam mittebatur, pro negotio Episcopatus Bremensis, prætereaque in Angliam. Cum illo Legatus noster, per sesquihoræ spatium, seorsim loquutus est, emunxitque, quod potuit: erat enim iste, vt iam dixi, è præcipuis Reipublicæ geniis. Nec parùm est in illis Regnis (de Dania, Suecia, & Polonia intelligo) esse Senatorem: cognoscunt enim illi, deliberant, ac definiunt de summa rerum. Peruenimus ad pagum nomine *Oby*, diuersati apud Landtzmannum, hoc est, vici, siue municipii iudicem. Landtzmanni enim, & sacerdotes hospitia inter se partiti sunt, atque cauponas: Vnde maior peregrinantibus securitas constat, cùm apud optimos quosque habitant.

XII. Ad oppidum venimus N. *Telga*, vulg

go *Tellier*, quod tribus ante annis, incendio penitus abſumptum fuerat, tametſi aqua non egeat; eſt enim inter medias lacunas, quæ ad mare vſque, plurima tamen ſcopulorum, breuiumque iſthmorum interruptione, atque obiectu, pertinent: quod idem contingit aliis oppidis in illo tractu ſitis.

XIII. Ibidem manſimus; dumque prandlerem, obortum eſt mihi frigus in humero, brachioque ſiniſtro, quod me à menſa ad lectum adegit; vbi poſt aliquot horarum febriculam, conualui. Legeram quippe pridie nimis otiosè in cœmeterio quædam epitaphia litteris Gotticis perſcripta, vbi id forte incommodum contraxeram. Dies hic pluuius fuit. Legatus in domo Regia habitauit, non paucis cubiculis conſtante, at ligneis ac ſine ornatu vllo.

XIV. Cum tandem Metropolim Sueciæ Strocholmum appropinquaremus, obuii Legato venerunt Axelius *Banner*, ſtrenui huius Mareſchalli Bannerii frater, & Guſtauus *Horne*, Mareſchalli Horni, fortiſſimi Ducis agnatus, qui inter medias niues properantem Legatum non admodum breui oratione morati ſunt: Loquebatur Suecicè pro ſua dignitate Bannerius, Aulæ Mareſchallus: interpretabatur Gallicè pro ſua comitate Hornus, qui nobis ſemper per manſionem noſtram familiaris, & humanus fuit. Nouem nos rhedis in vrbem inuexerunt, iiſque præclaris, atque ad morem Gallicum, credo etiam in Gallia factis: nam Ioannes Oxenſtierna in ſua Gallica, Anglicaque legatione,

Anglicas, & Gallicas pompas, atque delicias delibauerat, ac pro suæ ætatis, paternarumque opum captu, vt earum aliquas in Sueciam traduceret, curauerat: At dubitauerim profectò nec iniuria, num illæ antiquis austerisque Suecorum moribus conuenire possint. Ille certè Stokholmi situs, inæqualesque viæ non admodum facilem triumphalibus rhedis decursum permittunt: Est enim illa vrbs inter scopulos, ac salebras ædificata, quod, vt ipsimet narrant, non ex hominum delectu, qui hunc locum optauerint, sed ex fortunæ casu, cui se permiserant, factum est Aiunt enim, cùm sua Metropolis, vel incendio, vel aliis casibus sæpius diruta, ac instaurata fuisset, consilium cepisse maiores suos, vt aliam, vbicunque sors ferret, ædificarent; baculumque in profluentem iecisse, vt quocumque in loco adhæresceret, ibi se sisterent. Cumque ille tandem baculus his scopulis, inter maris aufractus substitisset, vrbem ibi suam statuisse, infelicemque vrbis situm hâc excusatione defendunt: Verumtamen quæ terræ commoditas deest, tantâ maris opportunitate, & vtilitate compensatur, vt nullibi fortasse securior sit, ac tranquillior portus: Maximæ enim, & onustissimæ naues tam adhæreſcunt vrbi, vt domos ipsas contingant, ac sine anchoris, & funibus in portu quietissimæ sint. Quod quidem eâ ratione fit, quia Stokholmum ab alto mari duodecim aut ampliùs milliaribus abest: tortuosisque fretis, ac diuertigiis, quæ à variis insulis ac promon-

toriis teguntur, ad illud naues appellunt: quarum beneficio per æstatem omnia illis ad victum necessaria importantur, vicissimque illi terræ suæ dotes exteris communicant, atque commutant. Ampla satis est illa vrbs, nec paucis habitatoribus constat, quorum tamen per plateas, ac vias frequentiam vidi nunquam, adeo frigora per quæ ibi morabamur, vniuersos in hypocaustis concluserant: Neque enim tam sunt imprudentes opifices vlli, aut venalitiarii, vt per hyemem in patentibus officinis ac tabernis laborent. Rarus verò est fœminarum in publicum egressus, vixq; illæ cōparent, nisi cū ad templū se conferūt. Adscribo ego importunissimæ anni tēpestati, quod tam rarū fuerit nobis cum ciuibus illis commercium: per enim quinque ipsos menses viguit intensissimum frigus, indurati lacus, solidata flumina, constrictum mare: impalluerant omnia niue, torpebantque quasi in profundo naturæ veterno. Et vero statim atque intepuit, necdum bene liquatis niuibus profecti sumus in Borussiam. Parum commodum Legato hospitium assignatum est, at melius tota vrbe non fuit: nos in separatas domos commodius quàm ille, distributi fuimus, nec vlla humanitatis officia hospites nostri à se desiderari passi sunt: nusquam verò tam mitem hyemem expertus sum, nisi cum meâ sponte, sine necessitate vlla cum sociis peregrinari placuit. Cæterùm tanta nobis ligni copia suppetebat, vt perfacile esset regionis frigora eluctari. Memini, Auaugurium, quâ liberali est indole

indole, numquam ad cœnaculum vbi comedebamus, ingredi, quin accenso iam foco integram ligni vehem ingereret.

XV. Dux Bipontinus, idemque Comes Palatinus Rheni, qui Gustaui Adolphi sororem duxit, moraturque Stokholmi, Legatum nostrum prior salutatum venit, cui Legatus ingressum cubiculi detulit, dextramque manum, cumque postea egredientem ad rhedam vsque comitatus est: de illius hominis ingenio, atque virtute non disputo. At profectò, parum dignitatis externæ seruant Principes, quos fortuna deseruit: magnumque est ad elationem animi, maiestatemque personæ, in vestibus, in comitatu, in aliis denique opibus præsidium: dubitaremque ego, in illis, quorum ignota est origo, quique se alterius orbis Principes faciunt, qualis erat nuper iste Æthiopiæ, an superbus incessus, atque vultus, gloriosusque sermo, ad fidem magis valeant, quàm ad imposturam. Cæterùm quâ natalium dignitate quaque est cum Regina necessitudine, ille Dux Bipontinus nullæ sunt eius in Suecico Consilio partes: Est illi tamen filius, filiaque, duo istius Aulæ ornamenta, qui Nobilitatis suæ indolem præclarè vterque repræsentant: & filia quidem venusta, ac plenis nubilis annis, Reginæ matri in deliciis est. Iunior est filius, iunioremq; Reginam paucis annis excedit. Neque verò hîc me Suecici Regni Proceres maiestatis reum faciant, qui huiusmodi ætatum comparatione, de illis matrimonio copulandis aliquid præiu-

dicare velim: quod vidimus, testamur: quòd è Republica sua sit, ac suis singulorum vsibus, ipsi viderint. Ea ipsa die Mathias *Soope*, & Petrus *Spare*, qui Hafniæ ad Nuptias Danicas Legatus fuerat, Regni Senatores, Legatum nostrum domi salutauerunt.

XVI. Iterum Legatum inuiserunt idem Petrus *Spare*, & Ioannes Saluius, Cancellarius Aulicus, qui tamen Regni Senator non est, licet præcipuis Regni negotiis adhibeatur, vir omnium linguarum, omnium scientiarum peritus, qui Regi Gustauo ab Epistolis fuit. Nunc grauissima per Germaniam Legatione præclarè fungitur.

XVII. Quæ Dominica fuit, Missa celebrata est in cubiculo Legati; idem enim illi locus, & cubiculum, & cœnaculum, & sacellum fuit: adeo incommodè habitabat: erat tamen atrium superius satis amplum, vndecim maioribus fenestris in mare patens, vbi nos comedebamus, & vbi ipsi Legato, cum palam, & ad pompam epularetur, instruebatur mensa: Verumtamen ille, cui alioquin condimenta extera non sapiebant, maturè & suis ipsius commodis, & Reipublicæ vtilitati cauit, professus, quandoquidem sibi diutius in vrbe morandum esset, nolle se tanta celebritate, ac sumptu vesci: habebat enim quindecim aut viginti Nobiles Suecos ministeriis suis deputatos, quibus lautè, & magnificè, vt publica illa conuiuia postulabant, alendis, maxima esset impendenda pecunia: Idcirco non inuiti Proceres Legati consilium excepe-

runt, vt priuatim comederet, quod etiam honestissimo colore prætexuit, nimirum se commodius ac salubrius habiturum, si à suis famulis suæ dapes pararentur more Gallico. Primis verò aliquot diebus, ne se publico spectaculo inuideret, palam epulatus est: Istaque die Ioannes Oxenstierna, magni Cancellarii filius, cum eo pransus est, illique in fine conuiuii mantile ad abstergendas manus prębuit, nec cum eo in ingressu abluere voluit, adeo ibi magnus honos Legatis exhibetur.

XVIII. Cum Lutzauio, adolescente Germano, qui Principis Daniæ puer honorarius fuerat, Legatoque nostro commendatus, Germanicè studui, vicissimque illum docui Gallicè.

XIX. Duo Senatores Legatum nostrum domum conuenerunt, & ad Reginæ virginis audientiam deduxerunt, comitantibus multis aliis Nobilibus Suecis, quorum magna pars pedibus rhedas nostras præcedebat: quod & ipsum in Polonia fieri assolet, vt cum gestatur ex Magnatibus quispiam, comites illius tametsi Nobiles, vel lecticam, vel rhedam pedibus antecedant; famuli verò subsequantur. Palatium Reginæ maiestate sua non caret, vetusque est ædificium satis capax, pluribusque diætis constans: obliti isti non erant pretiosissima quęque peristromata sternere, quacumque transire debebat Legatus. Intrauit ille tandem in Reginæ cubiculum, vbi illa in editiore loco, sola sub Vranisco sedebat, quæ nobis, qui Legatum præcedebamus, ingredientibus assur-

rexit, nosque singulos genuflexione salutauit. A dextris illi adstabant Regni Tutores, ac Senatores: à sinistris suæ Matronæ, ac puellæ: proxima illi erat filia Comitis Palatini, Ducis Bipontini, eius consobrina. Ascendit, tribus rite factis inclinationibus, in hunc thronum Legatus: & cum Reginę manum deosculatus esset, Latino sermone hæc ferè dixit. Nisi Reges quâ ingenti sunt potestate, ita ingentibus erga populos suos officiis tenerentur, quæ illos ditionibus suis excedere non sinunt, Serenissimam Succiæ Reginam non conspecturam tunc Regis Christianissimi, in Legati persona, adumbratam imaginem, at illum ipsum cum omni maiestate, & splendore, quo circumfunditur, intuituram fore. Nihil enim Christianissimum Regem tam in votis habere, quàm vt beneuolentiam suam dilectissimæ magni Gustaui filiæ coram contestari posset. Verumtamen quod per suæ conditionis sortem liceret, istud nunc præstare, misisseque Legatum, qui amicitiam, auxilium, subsidium denique omne illi offerret: velle Christianissimum Regem in eodem fœdere, quod cum felicis memoriæ Gustauo percussisset, manere: hanc autem Legationem non è suis vsibus, quod plerunque à cæteris Regibus fit, sed ex Reginæ commodis adornasse: proinde sub tempus quo Regni Sueci negotia postularent, huc Legatum extra ordinem deputasse, qui seriò illorum vtilitatibus promouendis incumberet. Id debere Iustissimum Regem antiquæ vtriusque Coronæ fœ-

derationi, quæ & historiæ testimoniis manifesta, & nouissimorum temporum, Caroli nimirum noni, exemplo confirmata sit. Debere prætere a magni Gustaui memoriæ, qui, si oculis nostris præmaturo fato exemptus sit, animis certè adhuc penitus hæreat. At debere id denique infanti Reginæ, quæ paternorum amicorum officia ipsa, vel sexus, vel ætatulæ conditione imploret: Regem itaque suum semper præsto futurum, vt Serenissimæ Reginæ, totique Reipublicę Suecæ opituletur, communi videlicet Europæ bono, cui procurando, Gustauus tam feliciter hactenus adlaborauerat: vnum illum fuisse his sæculis, qui se veterum Gothorum hæredem reminiscens, quemadmodum illi Imperii quondam Romani potentiam, & finitimis grauem, & reliquis mortalibus exosam retuderant: sic ille ad impotentem dominandi libidinem, quæ aliquos inceſſerat, qui iisdem artibus ad idem Imperium nitebantur, quique Ciuitatibus liberis imminerent, coërcendam sese deuouisset. Quæ cùm in vota consiliaque iampridem cum Gustauo Ludouicus Rex Christianissimus consensisset, ea cum Serenissima Regina eius filia continuare velle, neque id modo, sed in aliis omnibus, quę ad vtilitatem eius pertinerent, Regem Christianissimum se libentissimè offerre, ac præsertim in his quæ inter Sueciam Poloniamque sunt, iurgiis disceptandis; qua in re quicquid sui arbitrii esset, iustè, constanterque collaturum. Hæc in summa esse, quæ Serenissimæ Reginæ

Rex Christianissimus si coram fuisset, dicere ipse voluisset, quem putabat desideraturum, vt Reginam, quam adeo diligeret, præsens ipse alloqui posset; ob eamque causam, illum in suæ Legati locum libenter intraturum: quem quidem honorem soli etiam suo Regi concedere vellet, frui nimirum tantæ Reginæ præsentia, atque colloquio. Itaque ingenuè fateri, se suum infortunium, cùm nuper naufragium pati crederet, non nisi media ex parte agnouisse, per quod tam elegantis, tamque præstantis Reginæ conspectu sibi carendum fuisset.

Dum hæc incredibili grauitate, ac gratiâ Legatus pronuntiaret, octennis Regina constantissimè illum intuebatur, intelligenti similis. Petrus Saluius ad solium eius proximè accedens, ex consilii Sueci mente, quam præceperat, respondit: Summas gratias suam Serenissimam Reginam Christianissimo Regi habere, quod tanto illam amore prosequeretur, resque Suecas eam libenter promoueret: hanc veterem esse inter vtramq; Coronam confœderationem, quæ variis temporibus renouata fuerat, multisque, ac grauibus testimoniis confirmata, ac sancita. Qua in re non degener maioribus suis Ludouicus, & induciarum inter Sueciam, Poloniamque sequester fuerat, & in bellis, quæ pro bono publico felicis mem. Gustauus susceperat, suppetias fidelissimè tulerat. At quandoquidem inchoatum, affectumque à Gustauo opus mors præmatura diremisset, superesse, vt illud idem Rex Christianissimus, qua potens est

armis, & consiliis perficeret, Germaniamque communi hoste liberaret: Eum honorem imprimis Regi Christianissimo haberi debere, quod in publico Sueciæ luctu, atque infortunio amicitiam, quam viuo Gustauo vouisset, hæredi eius infantulę filiæ tam religiosè persolueret. Hoc porrò magnanimitatis Regis Christianissimi illustre testimonium esse, quod non è suis ipsius commodis, sed amicorum vtilitatibus agat, afflictorumque calamitati subleuandę, tam promptus accedat: in illius præcipuè amicitia, ac beneuolentia vniuersam Sueciam, Reginasque ipsas solatia ingentis luctus, si quę sperare possent, constituisse: nec se esse falsos, qui tam pręsens Regis Christianissimi auxilium foris, experti domiq; essent: Quibus tamen efficacibus benefactis non contentus Rex generosissimus; vt id etiam vniuerso Orbi patefaceret, hanc tam celebrem Legationem instruxisse, hominemque eximiis virtutibus præditum, aliisque magnis Legationibus perfunctum, in Sueciam misisse; vt post rite factas salutationes continuo in Prussiam ad disceptandam grauem illam inter Suecos Polonosque litem se conferret, arbitrioque, quod Rex Christianissimus in se receperat, fungeretur. Habère itaque Reginam, Remque publicam Suecam Legato magnam gratiam, quod in tam difficili tempestate, hoc tam longinquum, durumque iter suscepisset.

His dictis Legatus Regis sui litteras Reginæ porrexit, postulauitque, vt comitibus suis il-

lam salutare liceret. Illique manum ordine deosculati sumus. Legatum reduxerunt iidem, qui deduxerant, & cum illo pranderunt.

XX. Ad Reginæ matris audientiam iuit Legatus. Comitati sunt illum Mathias *Soope*, & Ioannes *de la Garde*, regni Senatores, itemque Benedictus *Oxenstern*, vir multis Legationibus perfunctus, nimirum qui pridem in Aula Regis Persarum cum dignitate versatus, ante paucos annos, ad Regem Christianissimum Legatus fuerat: vir ille est summæ modestiæ, atque dignitatis, & linguæ Italicæ apprimè sciens, quod in homine Sueco satis rarum est. Aderat etiam Ioannes *Oxenstern*, Cancellarii filius, & Gustauus *Horne*. Ascendimus in amplum atrium, in quo Regni Comitia haberi solent; vbi ad lacunar insignia depicta sunt omnium Regni Prouinciarum. Satis multi Nobiles nobiscum aderant, at pauci in cubiculum Reginæ admissi, quippe quę ab excessu desideratissimi coniugis, omnium virorum alloquium, atque conspectum hactenus aspernata fuerat, sibique à solis suis fœminis ministrari permiserat, & se huius Solis lumine orbatam, tristi, ac maligna funerearum facum luce, in atro conclusoque cubiculo damnauerat; quas quidem tenebras paucis antè diebus aliquatenus discusserat. Itaque nobis, qui desolatam deformemque luctu viduam cogitatione præceperamus, cùm sese pulcherrima, ac venustissima Princeps obtulit, oculi animique nostri mirè præstricti sunt; nam vix alibi, vel oris suauitate, vel sta-

turæ dignitate præstantiorem intueri liceat. Stabat illa in quadrato, eoque amplo cubiculo (nullo tamen lecto; nam vbi lectus est, nullos admittunt viros) in quo parietes, lacunar, & solum atro panno constrati erant; à dextris matronas, à sinistris aliquot Regni Senatores habebat. Ingredientes nos singulos salutantesque resalutauit. Legato verò, qui & ipse inexspectato splendore perculsus fuerat, suas totidem salutationes genuflexione reddidit. Cúmque illi manum deosculatus esset, humanissimâ illam dignissimâque oratione Gallicè allocutus est: ad quam, quia Reginæ contemplandæ cuncti attentiores eramus, non satis aduertimus. Illud tantum notauerim, de Rege defuncto ne verbum quidem factum à Legato: ne intempestiuè suos luctus piissimę Principi renouaret. Pro Regina Saluius Latinè respondit, cùm illi suam ipsa mentem in aurem insinuasset; cúmque Reginæ Christianissimi Regis litteras dedisset Legatus, excepissetque ipsa illas humanissimè, iussit Legato dici, se admodum dolere, quod illum Gallicè alloqui non posset, cùpere enim multa de Rege, Reginaque Galliæ sciscitari. Replicauit continuò Legatus, se à Serenissima Regina fuisse pręuentum, seque illud idem dicere voluisse; nimirum vehementer angi, quòd Germanicè loqui non posset, optareque omnes linguas, quas studendo, & peregrinando didicisset in vnam Germanicam commutare posse, vt tantæ Reginæ colloquio frueretur. Rogauit deinde, vt illius manum

oscularemur, quod & fecimus. Ductus inde est Legatus ad aliam Palatii partem, vbi Senatus Regni illum expectabat. Vniuersi illi occurrerunt ad Aulæ portam, nosque cum eo ingressi sumus, deinde statim regressi, eumque sub conopœo medium sedentem, habentemque hinc inde Senatores dispositos reliquimus. Primi sunt inter illos, quos Regentes, siue Regni Tutores vocant, quos summæ rerum Gustauus in expeditionem Germanicam proficiscens præfecit, quorumque potestas, atque auctoritas Regni Comitiis post Regis excessum confirmata est. Primus est Gabriel Oxenstierna, Regni Dapifer, qui consilio ac iuri dicundo præest. Secundus est Iacob Pontus *de la Garde*, Magnus Regni Mareschallus, siue Generalis armorum Præfectus. Tertius, Carolus Caroli filius, *Carle Carlesohn*, Magnus Admiralius, siue Thalassiarcha. Quartus, Axelius Oxenstierna, Magnus Cancellarius. Quintus, alius Oxenstierna, Magnus Thesaurarius: alii deinde Senatores suo quique antiquitatis ordine, quibuscum per horam Legatus remansit, Latinéque locutus est: aberat verò tunc temporis Cancellarius, atque in Germania rem publicam procurabat.

A prandio Iacob Pontus *de la Garde*, quem deinceps Generalem appellabo, Legatum salutatum venit. Illum Excellentiæ nomine Legatus nuncupauit, perque plures horas cum illo fuit, Gallicéque locuti sunt.

XXI. Gabriel Oxenstierna, Archidapifer,

vel, vt vulgo dicunt, Droſtus, Legatum conuenit, ſalutandi causâ, cui Legatus in antecubiculo obuiauit, illique ingreſſum obtulit, quem pertinaciter recuſauit Dapifer. Itaque in Suecia, ac Dania eum honoris gradum ſeruauit Legatus, vt in ſua etiam domo prior incederet, ac ſederet. Pluribus horis Latinè inter ſe collocuti ſunt, neque enim iſte Gallicè intelligit. Eodem die ſerò celebrata ſunt magna celebritate ſponſalia inter Ioannem Oxenſtiernam, Cancellarii filium, & filiam Comitiſſæ *de Stoar*, quæ Reginam proxima cognatione pertingit. Inuitatus ad hanc celebritatem Legatus, primum locum tenuit, omnique honorum, & officiorum genere exceptus eſt. Dum interponuntur, pronuntianturque ſtipulationes nuptiarum, viri ex vna parte, fœminæ ex alia ſtant inuicem ſe reſpectantes, habenturque orationes à præcipuis cognatis, & propinquis, qui ſponſo ſponſam, qui ſponſæ ſponſum commendent; quemadmodum Hafniæ factum ſuprà memini. Offertur deinde ſponſæ ab ſponſo armilla, vel torquis, vel quidpiam huiuſmodi, aliudque viciſſim ab ſponſa offertur ſponſo; Tum demum inuitati mutuis ſeſe percuſſionibus, per iocum, impetunt. In tres ipſas horas conuiuium productum eſt: interimque muſica inſtrumentorum non iniucundum concentum efficiebat. Regi Chriſtianiſſimo, Reginiſque Sueciæ rite per omnia triclinia propinatum à ſtantibus, nudoque capite, idque per ſeſquihorę ſpatium: nam vnicuique compotori li-

cet, antequam bibat, longis ambagibus amici ſui beneuolentiam demereri, haſque præfationes hiſtoriarum longâ, altaque repetitione amplificare: tum demum calefactis, incenſiſque à vino animis in Imperatorem Regemque Hiſpaniæ inuehi, eoſque ſuper menſa debellare. Armamentarium vnde hæc tela promebantur, erat ingens abacus poculis capaciſſimis, ac præaltis crateribus onuſtus, in medioque aulæ cõſtitutus, infinitâ famulorum multitudine ſeptus, qui ſuę vel dominorum ſiti indefeſsùm poſtulabant, ne quis calones, atque lixas militibus ipſis, atque ducibus ſegniores putet. Poſt ſublatas dapes choreæ ductæ ſunt, quas cum contemplari cuperem, propinatum mihi iam ſatis ſuperq; madido poculum occaſionem exeundi fecit. Legatus pro dignitate ſua ad horam quintam matutinam faſtidioſo ſpectaculo ſe ſatiauit.

XXII. Scripſi in Daniam litteras ad Cornificium Vlfeldium, & ad Petrum Vvibium.

XXIII. Cum Theologo noſtro aliquas Eccleſias perluſtraui, vidimuſque Lutheranum ſacerdotem in habitu, veſteque vulgari, cum ocreis, & calcaribus, duodecim, aut ampliùs, tam viris, quàm fœminis abſolutionem impertientem: circunſtabant illum pœnitentes genibus flexis, quos ille ad virtutem, vt credo, capeſſendam hortabatur: cúmque quæſiuiſſet ab illis, nunquid coram Deo peccatores ſe eſſe faterentur? Profeſſi ſunt. Nunquid illos peccatorum ſuorum pœniteret? Aſſeruerunt. Num

etiam crederent, se pastorem ac verbi-ministrum, potestatem habere dimittendi peccata? Consenserunt. Tum verò ille pronuntiauit, declarare se illorum omnium peccata esse dimissa. Eosque ille, seque illi inuicem amplexati sunt. At in Ecclesia Germanica, in quam euestigio nos contulimus, obseruauimus singulos in aurem ministri confiteri. Quâ autoritate scripturæ fundata sit hæc diuersitas, penes sit illos controuersia. Cum redii domum, ad Archidapiferum misit me Legatus, à quo petebat excusari, quod eum inuisere non posset propter Natiuitatis Dominicæ festum, quod nobis Catholicis imminebat; nam illi post decem tantum dies celebraturi erant: excepit me ille comiter. Ad Latinos delegari, erant meæ partes.

XXIV. Quæ Dominica, & Dominicæ Natiuitatis vigilia erat, sub noctem vespertinas preces cuncti recitauimus: Sacerdosque noster breui oratiuncula nos ad sequentem celebritatem hortatus est, ac deinde cum illo preces matutinas recitauimus.

XXV. Nascentem Christum Seruatorem nostrum, quâ potuimus pietate, ac reuerentiâ prosequuti sumus, omnesque Dominicum corpus communicauimus. Sub noctem preces iterum vespertinæ à nobis recitatæ. Fortasse nec in ipsis Catholicis vrbibus, tam religiosè, modestéque hanc diem peragere nobis contigisset.

XXVI. Archidapiferum Legatus inuisit, qui illum extra suæ domus limen excepit. Iuit

inde ad Generalem *de la Garde*, apud quos singulos per sesquihoram mansit. Profectus est illa die rediitque Calmariam vir bonus.
Claudius, Batauiâ oriundus, qui Legatum in itinere comitatus fuerat, commeatusque ac omnium rerum curam susceperat: quod officium vulgo Præstauum vocant, fortasse quod præsto sit. Credo par esse istud munus Chiaussorum muneri, quos Turcæ Legatis adhibent, partim, vt eos iuuent, partim, vt iuuandi prætextu, omnia quæ vel dicunt, vel faciunt, speculentur, ac referant. Abeunti Claudio, aureum horologium non exigui pretii Legatus dedit: Successit illi in Præstaui munere Thuro Lilisparus, satellitii Regii præfectus, vir satis austerus, qui nobiscum comedebat, Legatoque cum egrederetur, semper apparebat.

XXVII. Pietati, ac litteris tributa est.

XXVIII. Elegantissimas litteras, quas à Nicolao Borbonio excellentissimo Oratore Latino pariter ac Poëta Legatus acceperat, mihi pro sua humanitate communicauit, & quam illi pari elegantiâ responsionem destinauerat.

XXIX. & XXX. Litteris Lutetiam scribendis absumptæ sunt.

Suprema mensis annique die Ecclesiam, quæ Franciscanorum olim fuit, adiuimus: in qua celeberrimæ memoriæ Gustauus Adolphus sepultus est. Adiunctum est templo, & inædificatum recenti opere sacellum, sub quo excauatus est fornix ibique conditum defuncti corpus: nulle

adhuc erant imagines, nullæ inſcriptiones : calcauique non ſine reuerentia, atque luctu tanti Viri cineres, ac nondum etiam fortaſſe cineres, ſed fœtidum ac deforme cadauer, eius nempe Herois, qui paucis ante menſibus vniuerſæ Europæ terror fuerat. Iamque animum meum altiùs iſta meditantem triſtis humanæ conditionis commiſeratio angebat, cùm vulgare funus, quod in eandem Eccleſiam ducebatur, abire me cum ſociis compulit, nonnihil elogii epitaphiique illi deſtinantem. Foris verò in exteriori illo ſacello ſecus tecti ſuggrundam inſcripta ſunt capitalibus litteris hæc verba. *Gloria altiſſimo ſuorum refugio.* Et infrà. *Sepultura potentiſſimi Principis Guſtaui magni, Dei gratiâ, Regnorum Sueciæ Regis incomparabilis, qui Regno vndique hoſtibus obſeſſo ad Imperium intrauit, pacatis deinde Danis Moſcoque, & Polono mitioribus factis, regnum ampliauit, ſummaque prudentia gubernauit, tandem retruſo Cæſare, Germaniſque à Papæ deformatione liberatis, in pugna Lutcenſi victor Heroïcè obiit. Octauo Cal. Nouembris.* Deinde infrà. *In anguſtiis intrauit, Pietatem amauit, hoſtes proſtrauit, Regnum dilatauit, Suecos exaltauit, oppreſſos liberauit, moriens triumphauit.*

Glorioſam hanc & magnificam inſcriptionem cùm aliquando legiſſet Legatus noſter, excanduit ad hæc verba (*Germanis à deformatione Papæ liberatis*:) decreueratque ſuper illa re apud Reginam Senatumque Sueciæ conqueri : nam acerrimum vbique ſe geſſit tam Eccleſiæ, quàm patriæ ſuæ defenſorem. Et certè, ſi

de illa inepta iactatione expostulasset, dubium non est, quin quicquid est Procerum, & honestiorum hominum, abiiciendum hunc titulum censuissent: neque enim Principes, Nobilesque viri, qui plerumque rectè instituti sunt, alios Principes conuitiis, ac maledictis lacessere solent: at istæ sunt ineptissimorum Ludimagistrorum elegantiæ, quibus popelli gratiam demerentur, sibique ad famam, & quod famâ illis antiquius est, ad opima sacerdotia viam muniunt: nam quò quisque Pontifici Romano infensior, ac maledicentior est, eò diligentius, ac studiosius suo munere videtur defungi. Quod ea tamen cautione dico, vt moneam, non deesse inter diuersarum opinionum professores, quos vidi plurimos, qui modestè, qui verecunde, qui grauiter loquantur, & scribant, quorum laudibus suo tempore non parcam, vt palam sit, me veritatis enarrandæ semper studiosissimum fuisse.

Annum millesimum sexcentesimum trigesimum quintum Stocholmi feliciter inchoauimus, sacrorum nostrorum apud Legatum celebratione, pro cuius præcipua, nostrûmque omnium incolumitate vota suscepimus. Post meridiem cum Lutzauio Germanicæ, Gallicæque linguæ commercium exercui ad horam vsque tertiam, quæ quotidianæ, per hos dies, lectionis meæ terminus fuit: nam quadrante pòst, non nisi admotâ candelâ, tametsi in clarissimo cubiculo, vnde mare, & montes prospiciebam, aut legere, aut scribere poteram.

Itaque

Itaque hunc calculum pono, horâ vnâ integrâ Stocholmi citiùs, quàm Parisiis noctem aduentare. Diem verò semihorâ tardiùs, paulo nimirum ante octauam, hoc est, sesquiseptima, quod quemadmodum fiat, aliis indicandum relinquo. Interdum tamen ipsâ pulsante octauâ, etiam ad fenestram omnino legere non potui. Crepusculum huius diei cùm Molæo contubernali meo, circumeundo portui partique vrbis absumpsi, deindeque ante cœnam, quæ ad sextam condicebatur, per duas horas, nonnulla in libro Grotii de iure belli, & pacis, delibaui.

II. Reginam viduam, per sesquihoram, Legatus priuatim inuisit sedens. Huius colloquii Interpres fuit Generalis *de la Garde*. Interim ego propter morbum capitis, debilesque, qui sub axillis mihi per hoc tempus oriebantur sudores, in lecto decumbebam.

III. Quæ Diuæ Genouefæ sacra erat, manè antequam domo egrederer, hos illi versus composui.

Piissimæ Parisiorum Patronæ,

D. VIRGINI GENOVEFÆ,

CAR. OGERIVS, Paris.

IN mediis iaceo, Diua ô Genouefa, Suecis;
Nullus vbi possit ferre propinquus opem.

Me capitis dolor infirmat siue hæc mea, siue
Praui temperies aeris illa fuit.
Qua iuuet hic, non est Medicorum copia: & vt sit,
Qui petat à Suecis Gallicus æger opem?
Vt tactu possint ægroti corporis, ægra
Certè non possunt noscere mentis opus.
Terra salutares aut hic non educat herbas,
Aut si sint, densâ delituere niue.
Diua sagax, ægri quæ morbos corporis, ægra
Intima quæ mentis vulnera nosse potes.
Quæ nullo emplastri, nullo medicamine potius,
Seu cures corpus, seu mala mentis, eges.
Quamuis Parisiâ, quam protegis, absumus Vrbe
Mite tuum imploro, Diua Patrocinium.
Exue cor curis, eadem capiti exime morbos:
Mutua se vitiis corque, caputque grauant.
Si redeo, sacro si possum adrepere cliuo:
Impendo hoc aris [illegible]que, caputque libens.

A prandio Petrum Vvibium, qui in hanc Suecię Aulam à Rege Daniæ missus fuerat, inuisi, qui mihi multas ab honestissimis personis salutationes attulit, quas quidem summè colo ac veneror. Pridie ille Legatum nostrum salutauerat.

IV. Lutherani isti vetus Calendarium obseruantes, Natiuitatem Dominicam celebrauere: Itaque, vt illorum cærimonias propiùs intueremur, Ecclesiam maiorem Suecicam adiuimus, vbi post Regni Proceres in subselliis maioribus sedimus. Duo sacerdotes ad altare ac-

tesserunt, quorum senior, qui missam celebrabat, cappâ indutus erat, *vne chape*, alter qui diaconum agebat capsulâ, *vne chasuble*, vtrique erat cum vestibus illis ecclesiasticis collare rugatum, *vne fraise*, quod satis ineptum est. Huiusmodi Missæ ordo ad nostrum proximè accedit: nullam tamen confessionem, aut introitum celebrant. Statimque cantores cum organo incipiunt *Kyrie eleison*; quo finitó sacerdos incipit *Gloria in excelsis Deo*, vulgari idiomate, excipiuntque cantores atque vniuersus populus continuo cantu, non alternanti vt apud nos. Cantus ille satis musicns est, nec populus in dissonantias scinditur. Hymno hoc finito; sacerdos vnam orationem siue collectam canit. Postea Diaconus ad populum conuersus, tergoque altari nitens epistolam recitat à parte, quâ Euangelium Catholici. Decantatus est deinde à Musicis tractus *Verbum caro factum*, idque Latinè, quod postea Suecicè repetunt. Sequitur Prosa, vbi de Beata Virgine pia, ac honorifica mentio fit; nam Sanctos illi non aspernantur: non orant tamen. Recitatur deinde à Diacono Euangelium, in eodem situ, quo epistola: tumque se etiam sacerdos conuertit ad populum, qui post Euangelium incipit *Credo*, quod vniuersus populus excipit. Offertorium deinde personant organa, atque cantores. Suggestum postea conscendit sacerdos vniuerso stante populo, atque in eum intuentę, ac post aliquam submissâ voce præfationem factam, non salutationem Angelicam,

ſed alium hymnum inchoat, quem populus canẽdo excipit genibus (ni fallor) flexis. Euangelium poſtea prælegit, ac deinde explicat. Tum verò viri hinc ab vna parte, & inde ab alia fœminæ ſe inuicem ſalutant, ac deinde ſedent. Cùm perorat ſacerdos, inclinant ſeſe mulieres. Ille quæ populo tam ab Eccleſiaſtica, quàm politica poteſtate indicenda ac publicanda ſunt, ſignificat. Redit deinde ad altare ſacerdos, præfationemque, ac conſecrationem canendo facit, nec hoſtiam, nec calicem attollens: Poſtea vtrumque communicandum populo præbent, tam ſacerdos, quàm diaconus. Miratus ſum, id ſine vllo cereorum lumine celebrari, cùm ante concionem plurimi in altari accenſi fuiſſent. Arbitror ego, eos igne vti in templis ad diſcutiendas tantùm tenebras, non autem ex veneratione, ac religione. Poſt meridiem in Eccleſiam redeunt: Iterumque habetur concio ab eodem, vel ab alio ſacerdote: veſpertinæque preces cum vocibus, muſicis inſtrumentis, & organis concinuntur, in multam vſque noctem. Impoſitus erat altari Crucifixus argenteus, facieſque templi vniuerſi prorſus Catholica; de Eccleſia Germanica loquor, nam mane in Suecica fueramus: Cœnaui deinde cum Legato priuatim, qui hæc omnia ex me intelligere cupiebat: mihique ille viciſſim quâ comitate eſt, quam in Reginæ viduę colloquio humanitatẽ, & vrbanitatẽ expertus fuerat, non iniucundâ recordatione retulit.

V. Quæ pluuia fuit, in Legati cubiculo to-

tam absumpsi, longamque, & grauem epistolam, quam Vladislao IV. Regi Poloniæ per Henricum *Canafilhes*, Dantisci Gallorum Consulem, Latinè, eleganterque scripserat, descripsi: cuius sententiam quoniam obliuisci me iussit; nec memini, nec refero.

VI. Epiphaniæ festum celebrauimus, reliquumque diem cum Legato transegi humanioribus litteris.

VII. Legatus euoluendis perscrutandisque Geographicis tabulis operam, me adlaborante, posuit: Incertus enim per hos dies rumor increbuerat, Christianissimum Regem quatuor munitissima oppida ab Hollandis emisse, quibus Hispano Belgas vndique cingere posset, Mastricum videlicet, Ruremundam, Venlo, & Rhimbergam: quod quidem quàm à veritate alienum sit, patet: at ego huiusmodi fabularum, nec autor fui vnquam, nec esse velim: sed quod fama tunc ferebat, tantùm refero. At Regina graui eodemque vero perculsa nuntio, quod Augusta Vindelicorum, quam Sueci obtinebant, à Cæsarianis capta fuerat, id Legato significari statim iussit, vt cum illo hunc dolorem diuideret; certè, vt illius suo nomine salutandi occasionem arriperet.

VIII. Ego & Molanus domum Capitanei Huberti, Galli, ex vrbe Meldensi, adiui, in quam senex Hubertus, istius pater, nos duxit: aberat filius profectus in Galliam in comitatu Baronis *Skut*. Miser iste senex euitandi carceris causâ in Sueciam se receperat, habitabatque

cum nuru, quicum nullius omnino verbi commercium habebat, nutibusque tantum intelligere sese inuicem poterant. Suasi illi sæpe, vt statim atque mare liberum esset, rediret in Galliam, vbi & homines alloqui, & Deum suo more venerari posset.

IX. Henricus *Canasilhes* terrestri itinere Calmariam profectus est, vt inde Dantiscum peteret, ac deinde Varsauiam ad Regem Poloniæ Legati litteras, ac mandata perferret.

X. In cubiculo, scribendo, & legendo transacta est. Rerum quippe, ac linguarum ignoratio, foris aëris rigor, domi hypocaustorum temperies, satis causarum, & opportunitatis mihi erant ad bene beateque studendum.

XI. Quâ Lutherani annum suum orsi sunt, in Ecclesiam Germanicam me contuli. Latinè isti cecinerunt *Gloria in excelsis Deo*, reliqua omnia Germanicè, epistolam & euangelium conuersus ad populum sacerdos recitationis tono dixit, non cantus. Exuit deinde sacerdotales vestes, & suggestum ascendens in toga nigra perorauit eadem methodo, quam suprà in Ecclesia Suecica obseruaui. Tecto iste capite concionatus est: at alibi detecto id fieri semper vidi. Christi sanguinem animorum medicinam esse dixit: Medicinæ autem tres esse præcipuos effectus, præseruandi nimirum, curandi, ac confortandi, quæ singula persecutus est, vti vel intelligere, vel diuinare potui: exiguum enim in lingua profectum feceram. Publicauit deinde, quæ publicanda erant, admonuit, quę

admonenda, signoque Crucis, vt nostri faciūt, omnia conclusit. Resumptis postea vestibus ad altare rediit, duosque calices vini plenos, qui ab Euangelii parte erant, ad epistolæ transtulit; nam liber in medio altari statuitur. Consecrauit deinde plurimas hostias, quæ super patinis erant, manus desuper imponens & extendens. Laici communicant tam corpus, quàm sanguinem genibus flexis, & se strophio quo se emungunt, abstergunt, quod satis incongruum mihi visum est. Missæ finem pauci expectant.

XII. Vtramque Reginam Legatus priuatim allocutus est, quas eadem die Petrus Vvibius, Agens Regis Daniæ salutauerat.

XIII. Dedi litteras Lutetiam.

XIV. Tres extra ciuitatem per intensissimum frigus deambulatum iuimus. Nullibi quis credat tam planæ, tamque æquabiles ambulationes inueniri possunt, quàm in Suecia; quid enim solidis lacubus, & glacie constrictis æquabilius, & planius esse potest? non ipsæ speculorum planicies læuigatiores sunt, ac politiores. Nam & in ipsis cultissimorum hortorum apud nos xystis sentiuntur, inter ambulandum, scrupi, & calculi, quibus delicatiorum plantæ læduntur: in ista glacie nihil neque ardui, neque asperi inuenitur, ibique nix sicut lana, ingredientium passus emollit.

XV. Cùm circa horam decimam nocturnam vnà cum Laurentio Vanderlino, Sueco, domum redirem, obseruauimus in aëre fulgo-

cum nuru, quicum nullius omnino verbi commercium habebat, nutibusque tantum intelligere sese inuicem poterant. Suasi illi sæpe, vt statim atque mare liberum esset, rediret in Galliam, vbi & homines alloqui, & Deum suo more venerari posset.

IX. Henricus *Canasilhes* terrestri itinere Calmariam profectus est, vt inde Dantiscum peteret, ac deinde Varsauiam ad Regem Poloniæ Legati litteras, ac mandata perferret.

X. In cubiculo, scribendo, & legendo transacta est. Rerum quippe, ac linguarum ignoratio, foris aëris rigor, domi hypocaustorum temperies, satis causarum, & opportunitatis mihi erant ad bene beateque studendum.

XI. Quâ Lutherani annum suum orsi sunt, in Ecclesiam Germanicam me contuli. Latinè isti cecinerunt *Gloria in excelsis Deo*, reliqua omnia Germanicè, epistolam & euangelium conuersus ad populum sacerdos recitationis tono dixit, non cantus. Exuit deinde sacerdotales vestes, & suggestum ascendens in toga nigra perorauit eadem methodo, quam suprà in Ecclesia Suecica obseruaui. Tecto iste capite concionatus est: at alibi detecto id fieri semper vidi. Christi sanguinem animorum medicinam esse dixit: Medicinæ autem tres esse præcipuos effectus, præseruandi nimirum, curandi, ac confortandi, quæ singula persecutus est, vti vel intelligere, vel diuinare potui: exiguum enim in lingua profectum feceram. Publicauit deinde, quæ publicanda erant, admonuit, quę

admonenda, signoque Crucis, vt nostri faciũt, omnia conclusit. Resumptis postea vestibus ad altare rediit, duosque calices vini plenos, qui ab Euangelii parte erant, ad epistolæ transtulit; nam liber in medio altari statuitur. Consecrauit deinde plurimas hostias, quæ super patinis erant, manus desuper imponens & extendens. Laici communicant tam corpus, quàm sanguinem genibus flexis, & se strophio quo se emungunt, abstergunt, quod satis incongruum mihi visum est. Missæ finem pauci expectant.

XII. Vtramque Reginam Legatus priuatim allocutus est, quas eadem die Petrus Vvibius, Agens Regis Daniæ salutauerat.

XIII. Dedi litteras Lutetiam.

XIV. Tres extra ciuitatem per intensissimum frigus deambulatum iuimus. Nullibi quis credat tam planæ, tamque æquabiles ambulationes inueniri possunt, quàm in Suecia; quid enim solidis lacubus, & glacie constrictis æquabilius, & planius esse potest? non ipsæ speculorum planicies læuigatiores sunt, ac politiores. Nam & in ipsis cultissimorum hortorum apud nos xystis sentiuntur, inter ambulandum, scrupi, & calculi, quibus delicatiorum plantæ læduntur: in ista glacie nihil neque ardui, neque asperi inuenitur, ibique nix sicut lana, ingredientium passus emollit.

XV. Cùm circa horam decimam nocturnam vnà cum Laurentio Vanderlino, Sueco, domum redirem, obseruauimus in aëre fulgo-

res pererrantes, nubes videlicet lucidas, quas à nimio frigore inflammari per antiperistasin, aiunt.

XVI. Quâ suam Epiphaniam Lutherani celebrabant, prædicationi Germanicæ interfui.

XVII. Legatus Archidapiferum inuisit, à quo plurimas res, quæ ad Rempublicam Suecicam pertinent, didicit, quarum plerasque inter cœnandum pro sua humanitate mihi retulit. Inter quas hæc imprimis scitu digna est. Statim atque allatus est de Regis morte nuntius, Regni Comitia Stocholmi indicta & habita fuisse: quæ quidem ex quatuor Ordinibus constant, Nobilium, Ecclesiasticorum, Oppidanorum, ac denique Rusticorum. Cuius erant in hoc cœtu præcipuæ dicendi partes (an Cancellarius, vel ipse Dapifer fuerit? non satis scio: cum sic incepisset, *Rex mortuus est*; ab omni statim multitudine eiulatus & clamores facti sunt, qui, cùm aliquo interiecto spatio resedissent, ac pergeret Orator loqui, iterum redintegrata sunt suspiria, atque lamenta: silentio demum facto, cùm res gestas iste narrasset, quidque facto opus esset, proposuisset: nimirum nihil Reipublicæ cõducibilius, quàm si defuncti Regis, quem tantopere desiderabant, filiam in Reginam eligerent, vti Patri in expeditionem proficiscenti spoponderant, si quid illi humanitus contingeret. Tum continuò & ex abrupto vnus ex Ordine Rusticorum, N. *Laurentius*. At quænam est illa, inquit, Regis filia? eam non nouimus, nec vidi-

imus vsquam. Exorto sub hæc murmure. Ego verò (inquit Archidapifer) vobis illam protinus adducam. Cumque puellam nullâ morâ adduxisset, populoque, Laurentioque præsertim illi, exhibuisset : intuitus in puellam rusticus, verum est (inquit ille) En nasus, en oculi, en frons Regis Gustaui. Regina nostra sit. Continuoque omnium Ordinum conclamatione, atque suffragio renunriata est Regina, atque in solium sublata. Optimates deinde, quos Gustauus summis rebus præfecerat, confirmarunt, vtique Reginæ, Regnique Tutores essent, suâ auctoritate sanxerunt. Horum munus est inter alia, vt singulis annis Regni Prouincias perlustrent, ne quid detrimenti Respublica capiat; diuersi in diuersas partes abeuntes, populi querelas audiunt, siue in Nobiles, siue in Magistratus, nullâque dilatione ius dicunt, exequunturque. Rex ipse id munus obire tenetur, obibatque Gustauus, populoque suo, cùm aliquod bellum parabat, vel rem alicuius maioris momenti gesturus erat, consilia sua communicabat, causasque proponebat, vel conscribendi militis, vel imponendi, augendique vectigalis. Denique quod Regum præcipuum munus, vt iustitiam subditis administrent, id agebat. Aiebat præterea Archidapifer, liberam semper fuisse apud Suecos infimis etiam personis Reges adeundi facultatem, neque quemquam, qui quid expostulare vellet, à Regio conspectu impune excludi : quod si fie-

ret, statim in Prouincia vnde ille esset, tumultus oriretur.

Istâ die tantum frigus inualuit, vt, cùm spatiandi causâ in suburbium cum Lutzauio exiissem, nobis regrediendum fuerit: adeo non ille quidem violentus, sed perstringens tamen vigebat ventus: venitque mihi in mentem quod apud Barclaium scriptum est, per has tempestates nasum, auresque interdum stupefieri, & excidere. Redii itaque domum, vbi nos Vvibius inuisit. Ipsâ die Magni Marescalli vxor ad Legatum misit egregiam Reginæ matris imaginem, quam Rex ipse sexto postquam illam duxisset, mense, illiusque pulchritudinem adhuc deperiret, pingi curauerat, quam pro sua comitate, atque in Reginam obsequio, humanissimus Legatus libentissimè accepit.

XVIII. Historiam tempestatis nostræ Balthicæ à *Canasilhe*, Dantisci Consule, descriptam, contuli cum mea, nam erat illa longior, metuebamque ne mihi nimis vanos terrores finxissem.

XIX. Iuimus cum Legato ad Generalem, siue Magnum Mareschallum, qui ex muneris sui debito certas Regni Prouincias obire debebat, quemadmodum & alii Regni Tutores, vnusquisque ad sibi commissas: Quorsum verò hyeme potiùs, quàm æstate labores illos suscipiant, & quâ ratione tanta spatia obeant tam cito, dicam statim postea. Habebat in comitatu suo Gallum quendã, Pictauum, N. *des Ousches*,

exigui corporis virum, at non exigui animi, qui post aliquot annos in exercitu Vvrangelii Prætorianæ illius cohortis Præfectus fuit.

XX. Dedi litteras Vvibio ad Cornificium Vlfeldium.

XXII. *Carle Carles sohn*, naturalis filius Caroli Regis, atque adeo Gustaui Magni frater, cum Legato pransus est. Est iste vir valde bonus & comis, qui per duodecim annos in Polonia captiuus, catenisque oneratus fuit, eo quòd semel è custodia euasisset. Redditus deinde & commutatus in cuiusdam Lithuani Principis vicem, quem Sueciæ Rex in bello ceperat. Eo digresso adiit Legatum Henricus Larsonus Vanderlinus, vir multæ negotiationis, quique à Gustauo multis muneribus deputatus fuerat, opulentamque pecuniâ, ac præclarâ supellectile instructam domum constituerat. Inuisi deinde cum Auaugurio Vvibium, qui quidem Auaugurius litteras nobis exhibuit Hamburgi datas, quibus nuntiabatur, Ducem Fridericum, alterum Regis Daniæ filium, Visurgim transiuisse, vt possessionem Episcopatus Bremensis caperet, ad quem bis electus fuerat, primùm quidem viuo, ac cooptante Episcopo, qui è familia Holsatiæ erat, quique Fridericum gentilem suum ex consensu, & suffragio sui Capituli (ad quod hæc potestas pertinet) in Adiutorem, atque adeo in Successorem elegerat. Cui tamen inuestituram suam, aut certè auctoritatem, præstare Imperator recusauerat, imò præcipuas vrbes Episcopatus Bremensis, cùm in Iutiam ad-

uersus Regem Daniæ irrupit, inuaserat, ac pace postmodum cum Rege Daniæ inita, præsidia sua ex illis vrbibus abducere noluerat, sperans nimirum illic Episcopum Catholicum instituere. At contigit secus; nam, cùm Imperator suas copias in Italiam ad opprimendum Ducem Mantuæ reuocasset, pauloque post Sueci in Germaniam erupissent, eos euocauit Episcopus Bremensis, vt Cæsaris præsidia ex ditione sua abigerent, quod libenter fecerunt, suaque ipsi in iisdem vrbibus collocarunt: vrbes illæ fuere Stada, & Boxtehuda, quæ Albi non procul distant. Domicilium Episcopi est Vvorda. Brema verò vnde Prouinciæ nomen est, ad Visurgim est sita: atque Imperialium Hanseaticarumque numero censetur, vt Lubeca & Hamburgum. Vniuersa ferme hæc diœcesis Prouinciis quæ ad Regis Daniæ gentiles ac propinquos spectant, cincta est, atque adeo Duci Friderico commodissima. Quamobrem mortuo demum Episcopo iidem ipsi Canonici iterum Ducem Fridericum elegerunt.

XXII. Legatus Reginam viduam priuatim inuisit. Ego interim ad balnea iui cum Ioanne Grossio, quæ alibi commodiùs describam: ea vulgo *Badstube* vocant.

XXIII. Litteris Lutetiam mittendis absumpta est partim: partim etiam examinandis Geographicis tabulis, quibus perfectius intelligendis prȩsto mihi fuit Petrus Vvibius, qui Prouincias ipsas peragrauerat.

XXIV. Vidi apud Henricum Larsonum

Vanderlinum plurimas optimorum pictorum tabulas è Germanicis spoliis; neque enim ab antiquo, huiusmodi supellectile abundauit Suecia.

XXV. Inuisit Legatum Admiralius, indeque exiit Ciuitate ad Prouinciam suam obeundam, vt suprà de aliis Regni Curatoribus annotaui.

XXVI. Cum Thurone Liliesparo, ego & Molanus post meridiem ad primum ab vrbe lapidem deambulatum iuimus: ad villam quam Thesaurarius *Schatzmeister*, ad totius vrbis inuidiam excitabat, illucque super glacialem fluuium perreximus: quasi qui Lutetiâ Confluentum per adstrictum Sequanam se conferret: vt verbo dicam, tam distant illæ Suecicæ à Parisiensibus villis, quàm Lutetiâ Stocholmum. Et illis tamen deliciis sunt qui inuideant, vti apud nos Quæstorum & Publicanorum magnificis substructionibus inuidetur: at non sunt tam patientes Sueci, vt eas populorum sanguine condi, & coagulari sinant. Iste verò, de quo mihi sermo nunc est, frugi est, ac prudens paterfamilias: enimuerò ingentem conficiendæ ceruisiæ officinam ædificari curauit, pluribus superstructis horreis, vbi lupuli, atque hordei maxima copia condi, asseruarique possit; vbi capacissimæ cupæ, & furni, aliaque ad hanc fabricam pertinentia. Parte alia fornaces varios struxit, & longa vastaque tecta, vbi lateres coctiles tam ad ædificandas, quàm ad tegendas domos conficiuntur. Eodem

itinere obseruauimus piscatores, qui acutis mucronibus ferreis glaciem maris perforant, sub qua retia sua abdunt, singulisque diebus eadem loca terebrant, si quos fortè pisces captos inueniant, manusque, brachiaque inter medias glacies immergunt. Eâ præsertim die experti sumus, quātum esset cæli Suecici cum nostro discrimen; nam licet à matutino tempore frigus resedisset, tantum tamen fuit, vt in medio itinere dubitauerimus, num Stocholmum regredi, an ad propositam villam pergere deberemus, parumque abfuit, quin ibi in illa hæsitatione rigidi, ac recti super medio lacu desfigeremur.

XXVII. Litteras Parisios scripsi.

XXVIII. Quæ Dominica fuit, post meridiem in summo, quo abundabam, otio ad concionem Germanicam me contuli, periculum facturus, si quid in illius linguæ cognitione profecissem. Audiui loquentem in veste vulgari Ministerii candidatum, qui nuper defuncti sacerdotis locum ambibat: cuius vniuersæ, ac singulæ periodi in allegatione alicuius scripturę loci desinebant. His nimirum Apostolis omni sanctimoniæ, ac Theologiæ commendatione destitutis, non nisi sub idonea cautione à populo fluctuante crederetur.

XXIX. Ad balnea experiundi caloris ergò iui, inde secus flumen ad delibandum frigus deambulaui: plerumque enim gratæ non modò diuitibus, sed etiam pauperibus vices.

XXX. Legatus mane Bened. Oxenstiernam inuisit, qui ad regendam Liuoniam proficiscebatur, quique itineri quingentorum milliarium se, vxoremque accingebat, erat nempe illi fere tota pertranseunda Lapponia. At vehemens, & continuum, quod per eos dies inualuit, frigus, sinus Bothnici, & Finnici fauces constrinxit ac solidauit, quod illi maximo tam sumptus, quàm laboris compendio fuit, breui enim traiectu penetrauit in Prouinciam.

XXXI. Egi Medicum, persuasique Legato, ne nimis assiduâ sessione ingrauesceret, vt in sphæristerii palæstram semel saltem descenderet. Consensit; depositisque sub fune pignoribus, assumptoque ludi socio cum Auaugutio, cui socius itidem erat, decertauit; vicitque magno nostrum omnium applausu, qui studia nostra in illius partes contuleramus. Excepit me deinde priuato conuiuio, scilicet, ne suus sibi pro tanta victoria encomiastes deesset.

Prima Februarii die (qui mensis olim Diis Manibus sacer erat) tenebricoso cælo, non sine morbo capitis, & aliqua mentis caligine, diem legendo, scriptitandoque transegi, Poësimque Gallicam, quæ mentis amaritudinem superet, in Acrisianos quosdam satellites effudi.

II. Qui Purificationis B. Mariæ dies fuit, benedictio cereorum priuatim apud nos pro Ecclesiæ Cathol. more celebrata est, singulique nostrum tulimus. Pomeridiano tempore cum Huberto Sene duos pictores inuisi, & eos quidem satis mediocres.

III. Funesta me, ac tristis incessit curiositas consequendi tres miseros, qui ad supplicium extra ciuitatem ducebantur. Inter illos mulier erat, quæ partum suum necauerat. Cum ad supplicii locum ventum est, vbi mulier decollari debebat, satellites se in circulum ordinant, protensisque in longum hastis populum arcent, mediosque includunt miseros, quibus suus vnicuique Minister siue Sacerdos adsistit, factisque precibus tam submissa voce, quàm cantu, iussa fuit mulier misera humi in genua procumbere, atque trunco ligneo caput imponere, quod illi à carnifice ictu securis amputatum est. Feretro statim imponitur cadauer, quod suis vestibus non exuitur; nefas quippe huiusmodi vestes à quoquam tangi. Rapti sunt deinde duo viri ad patibulum, quod monti præalto impositum à tota vrbe conspici potest. Magno id populi concursu, at nullâ cuiusquam miseratione, peractum est, quod regionis duritiem mirum quantum arguit. Imò etiam à famulis nostris, qui propiùs tristi spectaculo interfuerunt, relatum nobis est, cùm vnus ex illis suspendiosis carnifici reluctaretur, nec se colligari patienter sineret, circunstantes quasi lepidum aliquid ac scurrile illis fuisset obiectum, in risum sæpius erupisse. At verò, cum de huiusmodi rebus vti ex occasione plerumque fit inter otiosos, disputaremus, rem nobis stupendam, ac pene incredibilem enarrauit Theodoricus, Legati Oeconomus, cuius se testem fuisse asseuerauit.

Aiebat

Aiebat enim duobus mensibus post Rhimbergæ expugnationem anno circiter 1604. cum exercitus Batauorum Mursiæ esset, in quo ipse militabat; tres milites Anglos, qui ob graue facinus morti adiudicati fuerant, ita tamen, vt vnus pro aliis plecti deberet, coactos esse (vt plerunque fit) aleæ iactu de infelici sorte decernere. Factum esse, vt qui ditior illorum esset idemque nobili prosapiâ ortus, sic ferente fortunâ, pro tribus luere deberet. Cumque se impotentissimè animi angeret, excruciaretque, alter eorum quibus sors pepercerat, obtulit, si quo idoneo pretio infortunatus ille vitam redimere vellet, paratum se, vt vicem eius subiret, dummodo hæc pecunia ad hæredes suos peruenire posset: pacti sunt itaque trecentis quinquaginta thaleris, quorum quinquaginta debitor statim soluit, reliquorum syngrapham dedit. Renuntiatum est Principi Arausicano horribile commercium, qui monstrum hominis ad se duci iussit, continuoque, cùm nefastum caput conspexisset. Oportet (inquit) vt conscientia scelerum tuorum te vehementer exagitet, qui te ipsum tam lubens ignominiosæ morti addicas, à qua benignior fortuna exemerat! At doce nos, quæso, quæ te ratio, vel quæ potius furiæ, ad id impulerint: Intuitus intrepidè suum Imperatorem miles. Mihi verò, inquit, in promptu est, vt te mei consilii certiorem faciam. A quindecim amplius annis, quibus mereor, ne vllo quidem nummulo hactenus inopem vxorem, & quatuor liberos iuuare

potui: prope autem est, qui quotidie in belli periculis versor, vt me breui vel pestis, vel ensis absumat. Itaque deputaui lucro, si infelices dies, qui seni militi pauci admodum superesse possunt, oblatâ hâc repentinâ morte minuerem, & pecuniam quam à commilitone stipulatus sum, egentissimæ familiæ relinquerem. Permotus hominis siue calamitate, siue audaciâ optimus Princeps vincula statim illi laxari iussit, vitamque, quam tam parui pendebat, vltro condonauit, subministratoque aliquo donatiuo in patriam redire iussit. Stupendi post homines natos; commercii spectatorem se fuisse Theodoricus, vir valde bonus, nobis iterum, atque iterum affirmauit. Atque vt Respublica sine iustitia non consistit, ita nec œconomica: Ideoque Legatus noster duos ex famulorum grege, quorum alter ensem in socium nudauerat, alter ictu calcis prouocauerat; alium carcere includi iussit; alium relegauit ad tempus; vt cæteris modestiæ, reuerentięque exemplum foret.

IV. Allatum est de victoria Mareschalli Fortii in Cæsareos; quos Heidelbergâ expulerat numero sex mille. Vrbs illa à Carolo Duce Lotharingiæ, qui Cæsareorum ductor est, capta fuerat, atque in ea sex militum millia collocata, qui arcem oppugnabant. Egregii huius facti historia typis impressa est.

V. Inceptum est inter me, & Vvibium Epistolarum commercium. Latinè ille ad me, ego ad illum Germanicè scripsi, vicissimque

præceptores ac diſcipuli fuimus. At verò ille in Latinitate valde prouectus, ego in Germanica lingua totus infans ac balbutiens.

VI. Ad euitandum inertis otii faſtidium, artuſque ſoluendos, pilâ luſimus bini in binos.

VII. Pomeridianas horas ſerotinaſque & cum Legato, & cum Vvibio Germanicis ſtudiis inſumpſi: nam, cùm interdum à negotiis reſpirabat Legatus, aut grauioribus ſtudiis, ne nihil ageret, Grammaticam etiam nobiſcum euoluebat.

VIII. Cùm inuiſerem pædagogum quendam Græcè & Hebraïcè ſcientem, (nam honeſtiorum ciuium propter linguam rara mihi conſuetudo erat, fœminarum verò prorſus nulla) deprehẽdi octennem puellam apertis bibliis incubantem, indormientemque; credo, quia ceruiſiam virguncula hauſerat: nam perpetua hæc eſt inter diſcipulos, magiſtroſque teſſera, & alibi paſſim apud doctos, & indoctos, Nobiles ac plebeios, hinc pocula, hinc biblia menſis impoſita videas. Is itaque eſt vniuerſi Lutheraniſmi genius, vt nullo neque ſexus, neque ætatis, neque conditionis habito diſcrimine corruptam ſcripturam, vapidamque ceruiſiam alumnis ſuis perpetuò infundant.

IX. Allatum eſt Legato, Regem Poloniæ eſſe Dantiſci, reuertique Vvarſouiam ad Comitia.

X. Miſi Lutetiam Elegiacos verſus, quos Sueciæ Reginæ compoſueram, quæ enim regio noſtri non plena laboris: hos itidem Legatus

Illustrissimo Patri sub misit, cui Latina valde sapiunt. Litteras accepit Hamburgo Auaugurius, quibus illi nuntiabatur, creditum esse Amsterodami, nos in mari Balthico periisse. Hoc nos induxit, vt crederemus, hanc esse caussam cur Parisiis nullæ litteræ ad nos mitterentur, quod nimirum illic etiam naufragii nostri fama increbuerat; Deus meliora. Allatæ sunt illâ die litteræ Henrici Canasilhis, quibus se adhuc Hafniæ esse scribebat, tentasseque omnes portus siue Calmariæ, siue alios, vt Dantiscum se conferret. Multas illa die siue epistolas, siue relationes Legato perlegendas misit Saluius, inter quas mirati sumus, quod in Vrbe Gandensi XVI. Decembris contigerat; nimirum quòd, cùm vniuersa regio densissimâ niue tegeretur, ciuitas illa ingenti tonitru, & calore afflata ac perculsa est. Allatum item est tam epistolis, quàm constanti famâ, exercitum Cardinalis Infantis, quem Comiti Mansfeldio commiserat, ad octo millia hominum peste, & fame esse redactum, cùm longe plurimorum esset. Scriptum est in relationibus Germanicis, Marescallum Brezæum exeuntibus Heidelbergâ dixisse, qui Cæsarei forent, eos se iure belli incolumes sinere, quandoquidem ita pactum fuerat: at qui Lotharœni essent, eos se ex mandato Regis Christianissimi interfici iussurum, quod ad metum illis iniiciendum, vt sibi cauerent, interminatus est.

XI. Quæ Dominica fuit, Legatus à prandio Petrum *Spare*, & Mathiam *Soope* Regni Sena-

tores inuisit, honestos, ac frugi viros, quippe in cœnaculo, quo excepti fuimus, nulla parietibus stromata; Vraniscus duntaxat cæruleus mensam obumbrabat ad defendendas araneas. Sic Curius, sic Fabricius habitabant: sic carne rancida, rapisque, ac radicibus vescebantur. Cœnaui ego paulò lautiùs, vt ferè quotidie cum Legato, cuius tametsi mores, nec insuaues, nec horridi sint, nihilo tamen, neque veteribus Romanis, neque his Suecis virtute inferior est.

XII. Celebrauerunt Lutherani festum Purificationis, adiique illorum Ecclesiam Germanicam, tum vt concionem, tum vt organum audirem. Inuisi inde Vvibium.

XIII. Totum diem consumpsi cum Legato, quem quia dolore dentium laborabat, Ouidii lectione oblectaui, legimusque fabulas; quæ in illius cubiculi Aulæis descriptæ erant.

XIV. Februarii cum Auaugurio, Gernando, Bardono, & Nicolao Valentino, adolescente Stocholmensi, difficile, ac longum iter suscepi ad Æris fodinas, vulgo *Coperbergam*: Vnde ducitur maximus, & certissimus Regni Suecici reditus: operæpretium enim iudicauimus, si montes illos, quos è solido ære prædicant, propiùs intueremur. Gratum fuit vtrique Reginæ, Regnique Proceribus consilium nostrum: se quippe despici, ac contemni putant, cùm ea quæ maximi faciunt, ab aduenis insuper habentur, præsertimque à beatioribus populis, quos cæteris rebus, quę ad vitam neces-

sariæ sunt, abundare sciunt, à quibus suam semper inopiam, & infelicitatem exprobrari suspicantur. Ergo ex mandato Reginæ imperatum est Prouinciarum Præfectis, quà iter nobis instituendum erat, vt omnia ad vsus nostros presto essent, vtque id opportunius fieret, deputatus est è satellitio Regio, qui præiret, admoneretque Landzmannos, hoc est, Vicorum, siue Parochiarum Præfectos, vt suos rusticos tali die, atque horâ ad prestolandum transitum nostrum compellerent, equosque ac vehicula præberent, nosque per mansiones epulis, atque lectis, omni denique rerum necessariarum largitione exciperent. Hæ sunt rusticorum in Suecia angariæ, quas tam diligenter prestant, vt id etiam sponte, & cum alacritate facere videantur, quamlibet iniqua sit, & rigida anni tempestas. Profectò, cùm pueros, puellasque totos dies, totasque noctes videbam in triuiis, mediisque in campis, aduentum nostrum pede fixo opperientes, pigebat me pro nostra libidine tot animas frigore, fame, ac tædio enecari. Genus illud vehiculorum, quod trahas vocant, hyeme commodissimum est, æstate verò prorsus inutile: est quippe sine rotis labiturque super niues, ac glacies, etiam ad voluptatem: amant illis vehiculis fœminæ, ac virgines interdiu ad vicinas villas, noctu verò per vrbium plateas, & compita cum suis amasiis circumferri.

Omnium eiusmodi vehiculorum eadem est in infimo figura, quâ videlicet terram attingunt,

nec distant ab illis trahis, quibus grauiores sarcinæ apud nos trahuntur à portubus maritimis, ad mercatorum horrea, vel officinas. Cæterùm, in superiori parte illæ quibus Proceres, ac præsertim Nobiliores fœminæ vtuntur, tectæ sunt, veluti rhedæ, aut lecticæ nostræ, clauduntur que vndique ab iniuria aëris; aliæ sunt in scamni formam, quibus viri inequitant, pedibus hinc inde dispositis, aliquando bini aut terni, quasi in eodem equo insiderent. Communior verò figura est veluti sarcophagi, aut cymbæ, eæque sunt vulgares, & quæ nobis à rusticis ministrabantur, quarum aliæ aliis ornatiores sunt, instratæ videlicet plumâ, puluinaribus, ac culcitris, pellibusque vrsorum, aut luporum, interdum fœno, ita vt commodè ibi liceat iacere, ac dormire: nam altę niues scopulorum & lapidum offendicula emolliunt. Traharum dorso, siue stiuę, innituntur pueri habenas tenentes, ac pedibus hinc inde infima trahę tigilla insistentes; imminentesque capiti sui vectoris per valles, camposque, & abrupta montium equos suos citatissimè impellunt. Euertitur interdum vehiculum, at id nullo ferè periculo contingit, imò risum excitat, cùm in niuis cumulos aliqui deuoluuntur, quod vix tamen accidit, nisi cùm inexperti se ipsos sine rectore agere volunt; nam, cùm adest auriga, titubantem inclinantemque currum corrigit, ac firmat.

Prima die, quâ Stocholmo profecti sumus, ad Pagum *Ereby* deuenimus: at cum incredibili

solicitudine, atque molestia fuit mihi sociisque meis, prima nox illa transacta. Contigit enim sub noctem, vt, cùm alii præirent, ego sequerer, ac pre asperitate frigoris caput mihi cucullo obuoluissem, imprudenter confisus aurigæ mei, qui puer è Finlandia erat, industriæ, non aduerti quorsum properarent, vel flecterent socii. Vt vidi me desertum, iussi, vt potui, puero equum impellere; impulit. Appulimus domum Sacerdotis cuiusdam, quæ è regione Ecclesiæ erat, quam cum vndique per fenestras & caminos flammis, fauillisque collucentem viderem, putaui illuc penetrasse, ac consedisse socios, paratæque iam cœnæ nidorem mihi subodorari videbar. Sed cùm illos alta voce inclamarem, nec responderent, vlterius perrexi, dubitans apud me, num ductor meus sciret, quò diuertere deberemus: at neque ille regionem satis nouerat. Itaque dimisso me inter medias niues, atque tenebras, ad tugurium se contulit, vt viam peteret. Exiit tandem è subterraneo specu mulier attonita, quasi homines vidisset nunquam, quæ digito nobis viam monstraret, ac per illunem noctem in auiam syluam ingrediendum esse significaret. Cohorrui ego, maluique ad Ecclesiam, quam à tergo reliqueram, regredi. At quo idiomate, quo indicio id Finnoni meo præciperem, hoc opus, hic labor fuit; dum id quod volo, eloqui non possum, neque se ille explicare ab his anfractibus potest, trahamque huc & illuc allidimus, deuoluor

idemtidem in niues, hinc ego, inde sarcinæ. Hic mihi, fatendum est enim, excutitur patientia, & qui homines alioquin interficere non soleo, stringo ensem in Finnonem meum, quasi percussurus, quòd ille ad has angustias me redegisset. Eiulat miser adolescens veniamque deprecatur flexis genibus, regredimurque Ecclesiam illam versus, quam dixi. Domum sacerdotis adeo, fores pulso, certus ibi noctē transigere potiùs, quàm inter vrsorum luporumque saltus. Clamo ergo, appelloque inquilinos, intensissimâ quàm possum voce: at vox illa meticulosæ sacerdoti barbara visa est, vetuitque fores aperiri: exeo aliorsum, si quam aliam domum reperirem: at alia non erat. Redeo iterum, atque tertio: cumque ad portam semipatentem accessissem, tres continuo famuli magno impetu illam mihi in os impulerunt. Subit animum meum Iouis opt. maximi consilium, aurum videlicet per medios ire satellites, saxaque, & adamantinas, æreasve portas perrumpere potentiùs ictu fulmineo. Clamo itaque Germanicè *ich gib euch vil reichsdal*, dabo vobis plures thaleros. In hoc verbo patefacta est mihi amplissima porta. Succedo statim, rectaque ad atrium domus pergo, vbi erant plures fœminæ, tam filiæfamiliàs, quàm ancillæ, ac vernæ, ditis examen domus: inuolutusque cucullo, ac penula ad focum accedo anhelus, ac prope enectus labore, frigore, & fame. Obstupescebant illæ monstrum admirantes, neque enim loquebar quicquam: sed pectore ab

imo suspirans, oculosque huc & illuc conuertens, globulos, quibus penula iungebatur, distringebam. Viderunt tandem illæ mihi baltheum & capulum ensis deauratos esse, conieceruntque hominem alicuius dignitatis, quod cùm renuntiatum esset Reuerendo sacerdoti, qui in alio conclaui cum Medico Vpsaliensi cœnabat; venit ad me tandem graui vultu, atq; incessu, digitisque post tergum nexis ambulauit iterum, atque iterum in atrio, toruùm me intuitus. Ego verò deposito istius, vel superbiæ, vel rusticitatis sensu, salutaui, compellauique illum, prior sciscitatus, an Latinè sciret. Quidni? respondit ille. Iucundius profectò verbum fateor audisse me nunquam, tametsi horridâ voce, ac indignabundâ prolatum fuisset: respiraui tum demum, salutisque meæ spem aliquam cœpi concipere, risique tacitus apud me, sperans feram belluam cicurare quàm primùm, atque ad vsus meos conuertere. Affertur interim mihi vinum combustum, quod inter cardiacas potiones principatum, meo quidem iudicio, obtinet: huius beneficio recreatus recitaui illi meum infortunium: cùm adhuc loquerer; Ebrius fortasse eras, (subiunxit ille) qui sic à sociis aberrasti. Pupugit me, vt verum fatear, acriter hoc verbum: at animaduerti, me in loco esse, vbi id vitio verti non solet: Itaque dissimulaui iniuriam, & quia de Legatione nostra iampridem audierat, interrogauit ille me de toto negotio, ac de nostro itinere, multa super Legato rogitans, super Rege Galliæ multa: ad

quæ ego pro rei præsentis necessitate humanissimè respondi. Quid multa? amici euasimus. Ampla mihi carnium, ac piscium cœna instrata est. Inductusque postea in cubiculum Medici Vpsaliensis, cum eo in multam noctem Latinè collocutus sum. Spes interim mihi à sacerdote meo facta est, antequam sequenti die euigilarem, daturum se operam, vt sociis meis, quorum anxietatem satis coniiciebam, de incolumitate mea constaret.

XV. Summo diluculo, intelligo socios meos non procul abesse, eosque de me factos certiores. Sacerdos interea meus, qui me tam superbè pridie, ac insuauiter exceperat, nulli Suecicæ comitatis officio pepercit, quin eo me cumularet. Ergo ex armamentario suo pulcherrimam traham eligi iubet. Erat illa in antica posticaque parte, ex ebeno, certè ex pruno, vel pyro politissimâ: insternitur tapete Turcico: credo qui concionanti sacerdoti seruiebat interdum: aptatur equus toto equitio præstantissimus, qui arrecta ceruice, acutoque hinnitu satis se à muneribus seruitiisque publicis liberum esse testabatur: adduntur duo comites, illi ipsi qui mihi auxilium poscenti, superiore die illuserant. Properabam exire: at propinatione vini combusti ab hospite meo distineor. Bibitur Legato, bibitur Reginis: iterant illi, reposcuntque, vt paria faciam: excuso me: insistunt: orat Sacerdos, vrget Medicus, sic frigora prohiberi, sic caliginosum aërem depelli, sic ægrimoniam procurari, & lætas cogitatio-

nes excitari. Thalerum interim pro hospitio matrifamilias offero, abnuit. Do filiæ, cui dextram palpo (est ille mos gentis) rogoque, vt dum viuet, Gallicæ Legationis recordetur. Hæc dicens currum inscendo, ceruicique focale lupinum circumdo, ac demum socios orta iam luce reuiso, qui milliaris quadrante aberant, quibuscum terrores meos communicaui, & illi mihi vicissim suos. Profecti hinc sumus, mutatisque ter aut quater vehiculis, ad pagum aduenimus, N. *Ruclin*, mansimusque apud Lantzmannum. Priusquam illuc perueniremus, sub vesperum prope diuersorium quoddam inuenimus Colonellum. N. Ioannem Vxellum, qui inter medias niues nos salutauit, longoque sermone distinuit, reduxitque ad diuersorium, vnde ille exibat, inuitos, & nocte oppressos, & vltra properantes; nam est ille mos gentis, vt te non ad tuum arbitrium, atque votum, sed ad suum libitum suscipiant. Ergo Auaugurium per laciniam pallii in cauponam rapit: sequimur nos: pocula obtruduntur: Reginarum saluti bibitur genibus flexis; istique cerimoniæ vxor hospitis vetula interesse iussa est, eodemque cantharo putidum os proluit. Indeque Ruclinum perreximus.

XVI. Cùm læti, alacresque per montes, ac lacus gelu constrictos cucurrissemus, factum est, vt post meridiem, cùm vltimus è diuersorio exiissem, socii aliquo me interuallo præcederent, quos cùm assequi non potuissem, per totas quatuor, aut quinque horas solus syluas,

& lacus prætereuectus sum. Tandem cùm illos contingere posse desperarem, singulisque momentis à via aberrauisse metuerem, & nox ingrueret, recepi me in quandam domum, vbi ex fumo aliquos habitatores esse conieci. Cùm inclamarem, vt auxiliando mihi adessent, ingressus sum domus aream, respexique grandem hominem, prolixo crine, barbaque, qui mihi Suecicè respondit; vicissimque nos interrogabamus, nec alter alterum omnino intelligere poterat, nisi quod ex hora & dimissione vehiculi, & aliis quæ, mutorum in morem, edebam signis, coniecit, me istic pernoctare velle, dum aliquis Deus, vel Genius erueret, atque ad socios reduceret. Intraui in illius conclaue, vbi vxorem infantesque ad ignem otiantes cõspexi. Conuertebant in me oculos admirabundi, mihique statim lac ferum pro potu, cùm nec vinum, nec ceruisiam, nec aquam haberent, obtulerunt. Cibus potum adæquauit, halec nimirum salsa, quam mulier squalida, quæ scabiosum infantem depectebat (horresco referens) identidem craticulâ versabat, digitosque sugebat. Appositus est mihi pro cœna ille pisciculus, quem, tametsi nauseam mihi maiorem, quam mare Balthicum commoueret, comedi tamen, ne se hospites mei à me sperni putarent. Assedit mihi è regione Barbatus ille, qui me ad bibendum edendumque inuitaret, quem ego respectans sæpius, cogitabam apud me num meam ille necem in sequentem noctem fortè destinaret. In extrema parte mensæ, vbi cœna,

bamus, extensum erat stragulum, sub quo panes delitescere ac foueri credebam: at ibi iacebat vir ægrotus, qui suæ febris trepidatione, atque halitu nos concutiebat, atque afflabat. Quis mihi tunc esset cernenti talia sensus, satis explicare non possum. Post deuoratum, nec bene concoctum istud tædium, deducor ab hospite meo in remotum totâ areâ cubiculum, ad quod per parietum rimas, omnibus ventis, ac tempestatibus aditus patuit. Potueram in illius hypocausto quiescere, at me illæ sordes, atque miseriæ affecerant, expulerantque: Cæterùm bonus vir omnia, quæ suæ potestatis erant, mihi congerebat, offerebatque; sed obruebat suo ignoto sermone: Itaque, vt solum relinqueret, contuli me statim in lectum: cùm exiisset fausta omnia apprecatus, proripio me è strato, procumbensque in genua Deum Opt. Max. obtestor, eripiat me quamprimùm aliquo miraculo ex iis angustiis: sin hæc peregrinationum mearum columna, ac meta esse debebat, animum vt obfirmet ad mortem fortiter obeundam, delictorumque veniam, faciat. Fuit illa è feruentissimis, quas vspiam conceperim, oratio. Potueram ianuæ, fenestrarumque repagula, ac seras interius munire, sed quid tandem effecissem in domo solitaria, atque inuia? ergo fortunæ cetera mando, repetoque lectum: at ille tam breuis erat, vt mediis cruribus superarem: ibi tamen, per intolerabile frigus, mihi nox octodecim horarum erat transigenda. Dici non potest, quàm diuersæ cogitationes, quàm varii ter-

rores, quàm amaræ recordationes animum subierint. Socii interea mei, qui apud regionis Landzmannum erant, plures huc & illuc rusticos speculatum miserant, si quid de me audirent. Noster ipse adolescens Stocholmensis, itinerum, & pagorum sciens, recepit in se hanc operam, ac pluribus locis perlustratis, deuenit tandem ad istum, in quem diuerteram; & procul, cùm illîc me esse intellexisset, magno clamore edito, ingentique postea ad ostium cubiculi strepitu facto, è lecto surgere compulit, atque ad alios in proximo pago expectantes migrare. Nullus mihi vnquam, quod sciam, præcordia nuntius penitius demulsit: neque enim recreatus modò, sed rediuiuus planè factus sum: finxi tunc ego primùm, me à tam commoda mansione diuelli non posse; deinde verò inuectus in eos, qui me tam imprudenter deseruissent, crudelissimam vindictam minitatus sum. Quid multa? induor protinus; cúmque hospiti meo aliquot asses spargere vellem, vetuit id Stocholmensis noster, asserens, nos vbique gratis diuersari debere. Ascendimus parata vehicula, & ad socios citatissimè delati sumus, qui me, conuersa in lætitiam anxietate sua, pilis niueis aduenientem exceperunt. Erat tum hora decima nocturna: inde tamen Hemoram, quæ duobus milliaribus aberat, profecti sumus, vbi à Primario Burgi magistro expectabamur. Contigit verò, vt ex Landzmanni mādato, ille ipse hospes meus penes quem cœnaueram, suam vtique traham ad commeatum

nostrum adducere deberet, quam & ipse incunctanter adduxit, ac me in ea Hemoram vsque vexit ac rexit, & quem domi quietum reliquisse existimabam, capiti meo cucullis, ac focalibus inuoluto imminentem per duas horas habui, perpetuoque sermone me, qui alia meditabar, compellantem, scilicet vt mihi viæ tædium, & asperitatem frigoris deliniret: miratus sum, cùm ad appositum tandem lumen agnoscendum se mihi ille præstitit. Proieci illi aliquot denarios Suecicos, vinique potu, quem delibare non solebat, hilariorem meique memorem reddidi. Iucundum interim fuit, dum super lacus planissimos citatissimè laberemur, stellatum vndique intueri cælum, rectaque ad stellam polorem tendere, sperantibus intra paucos dies sub ipsa Poli vertigine habitare. Ergo Hemoram media nocte aduenimus, mansimusque apud oppidi Consulem siue Burgi-magistrum, cœnauimusque amplissimè.

XVII. Cùm per duas aut tres horas, in lecto iacuissemus, nec dum esset superior cœna bene concocta; en summo mane, primo diluculo hospes noster, assumpto Exconsule, viro grandi, ac seniore, qui Gustauum Gustauique Patrem sæpius viderat, sæpius exceperat, cùm in Dalecarliam venirent, nam istic incipit Dalecarlia, desinit Vplandia, nos mane salutatum isti duo veniunt: illatis poculis ad bibendum è somno excitant. Nihil fingo, euigilamus, surgimus, in genua adhuc nuda procumbimus. O pios viros, (dicet aliquis) qui tam sedulò

tamque

tamque mature Deum orant. Non est ita: Reginarum Sueciæ, Optimatumque saluti mero facimus, ac libámus: tum etiam pro Christianissimo Rege, & Illustrissimo Legato nostro vota nuncupantur; proque nostra ipsorum incolumitate, vt instituta feliciter nostra Legatio feliciter desinat, vt inita inter vtramque Coronam, pro communi vtilitate fœdera, fideliter & sanctè obseruentur, & quasi reipublicæ salus his poculis ac pharmacis firmius constitui posset, certatim ex vtraque parte rite, & sine fraudatione exsiccauimus calices; ac veluti in communem Hispanorum, & Austriacorum despectum, vinum Hispanicum largè ac perperam effudimus. Credebamus obsequiosâ illâ compotatione hospitibus nostris satisfecisse: At continuò mensæ dapibus onerantur, sedendumque nobis fuit: Ingeruntur vina Francica ac Rhenana, tam mera, quàm mille modis condita, ac medicata, non ad stomachi modò, sed ad narium & oculorum fastidium. Neque hoc nobis semel, aut iterum contigit, sed in quotidiano conuictu: Enimvero non propinant tantùm, sed vrgent, vt cyathos ad fæcem vsque exhauriàs; quod si defugias, saturoque conuiuæ fucum facere coneris, te à tergo famuli, ipsæque mulieres ad siccandum poculum adigunt: huius laboris indulgentiam ne ipsi sacerdotes apud quos diuersoria sunt, tibi fecerint.

Hemoræ ergo incipit post Vplandiam Dalecarlia, estque illa prouincia populosior, me-

quidem indicio, omnibus quas in Suecia hactenus videram. Homines ibi grandes sunt ac plerumque bellaces, cuius rei fiduciâ nonnisi æquis moderatoribus libenter subsunt, nec ipsi rustici sibi vel à Regibus superbè imperari sinunt. Itaque à paucis annis in aliqua prouincialis comitij contentione Gustauo magno à quodam rustico in os dictum est, si mea vxor (inquit ille) tam splendidè induta esset, ac tua induta est, ô Rex, tam esset illa speciosa, ac pulchra, quàm est tua Regina. Nihilo demissiores illi sunt erga suos magistratus Ecclesiasticos: nam eo ipso die, quo illic eramus, cùm Episcopus prouinciæ equos sibi concedi peteret ad obeundum munus, adhæserunt nobis Burgi-magistri, Episcopumque subsistere coëgerunt. Nomina nostra Illustrissimique præsertim Legati illis dedimus, quod amicitiæ monumentum ibi, & in Germania familiariter vsurpant.

Hemorâ satis tardè profecti ad pagum *Setram*, qui omni æris fabricandi opere celebris est, pransum venimus; exceptique lautè humaniterq; fuimus à nobili matronâ, Petri Krutzii, qui prouinciæ præfectus est, vxore. Indeque ipsâ die ad pagum *Vvticam* perreximus, atque in diuitis sacerdotis domo mansimus, apud quem nec combustum, nec Hispanicum vinum nobis defuit: & dum ille ad habendas sequenti die plures conciones se pararet, vxor illius, quæ ad vsus nostros necessaria erant, sedulò comiterque curauit.

XVIII. Quæ Dominica fuit, è cubiculo nostro, cuius satis liber prospectus erat, circumiectas enim syluas fodinarum vicinia depopulata est, conuenientem vndique ad Ecclesiam populum à diuersis vndique pagis conspeximus. Viri vxores infantesque suos in trahis agunt, trudūtque. In centro vici in plures pagos & villas distributi, situm est templum, ad quod per impressas in densa niue semitas, rectâ lineâ confluunt, ita vt circa templum magnus sit equorum & impedimentorum cumulus, atque numerus. Cæterum plebs illa rusticana, neque lacera, neque ieiuna est, vt apud nos. An ergo est clementiore ac beatiore situ Suecia, quàm nostra Gallia?

Horâ decimâ matutinâ *Falhonium*, siue, Coperbergam attigimus. *Falhonium* oppidi nomen est : Coperberga, fodinæ. Præparata à præcursore nobis est mansio apud oppidi Præfectum, quem *Probst* vocant : non est ille iudex, sed iuris executor; atque apud illum querelæ litigantium, libellique deponuntur. Obuiam deinde iuimus Petro Krurzio, prouinciæ Præsidi, qui nondum à templo redierat. At ille quos nunquam viderat, nunquam videre sperauerat, arctissimè, & libentissimè amplexatus est; pranditque nobiscum apud hospitem. Cùm per tres horas perseueratum esset in conuiuio, omniumque Regum, & omnium amicorum Populorum saluti inchoata esset propinatio, præuideremque tantum opus non nisi de multa nocte absolui posse, vt abeundi occasionem alicunde

raperem, quæsiui ab illis, quâ ratione officium diuinum ibi peragerętur: rectissime (inquiunt illi) & more à vobis Catholicis, vt credimus, non improbando; vtimur enim & musicis cantibus & organo. Tum verò ego occasionem nactus, quæso (inquam) Clarissime Præses, quia organi amantissimus sum, videamus quomodo preces illæ vestræ peragantur. Idem statim vna voce socij mei rogauerunt: at isti verò, qui se arbitrati sunt obsequium magnum præstare Deo, illico nos à mensa surgentes in templum deduxerunt, ingredientesque iam absolutis precibus præmonitus Organistes lætissima modulatione excepit. Eò statim accurrit ingens populi multitudo, vt homines nouos intueretur, nam rari huc vsque peruenerunt Galli. Vnum è verbi Ministris Auaugurius agnouit, quem in Gustaui castris viderat. Ascendimus deinde in colles vicinos, vbi foueas captandis lupis fodiunt, nam ibi multi sunt ingentesque lupi, quos tamen in vsus suos traducunt, eorumq; pellem tribus thaleris vendunt. Diem bibendo absoluimus.

XIX. Ipse prouinciæ Præfectus, & præcipui municipes ad fodinam nos duxerunt. Obstupuimus profectò, statim atque ad os præcipitii appulimus. O qualis facies, & quali digna tabella. Patet ingens terræ hiatus latissimus, profundissimus, quem in circuitum repagula lignea ambiunt, ne temerè quisquam ad marginem fossæ accedat, aspectuque profunditatis tantæ terreatur, ac corruat. Licet tamen his re-

pagulis innitaris, si oculos in imum demittas, continuò caligant, turbanturque: si illos tandem intenderis, videbis homines euntes, redeuntesque ima in fossa; at illi auium, aut potius formicarum speciem referunt, adeo pusilli apparent. Quocunque conuertas oculos, contemplaris res tam miras ex sese, quàm inter se comparatas, ignes, glacies, splendorem, tenebras, permixta omnia: vetus illud esse chaos diceres, adeo moles illa indigesta est, ac indiscreta: si curiosiùs aduertas, deprehendes illic omnis generis colores æris, ferri, chalcanthi, siue vitrioli, sulphuris; pallet hoc, viret illud, rubescit aliud, flauet alterum: & vt alia Deorum arma, aut insignia in Æolia insula conflata & procusa sint, hîc certè fabricatus est, asseruaturque Iridis arcus. Satiabantur auidè hoc spectaculo animi, oculique nostri; cùm ecce tibi de repente quidam ex his operariis demittit se per funem, quo lapides metallici trochleis, rotisque ab ima fossa in altum trahuntur: labi illum tam intrepidè, non sine horrore conspeximus: Cùmque illi inter labendum pileus excuteretur è capite, cubito illum retinuit, adeo id securè agunt.

Ergo descendimus in fossam per excisos, abruptosque in rupe gradus, habebatque vnusquisque nostrum suum ductorem, qui gressus nostros regeret, nosque in arduis lubricisque locis, qui plurimi sunt, gestaret: pallia, collaria, balteos abiecimus, ne malignis vaporibus inficerentur. Postquam ad ducentos profundi-

tatis passus descendimus, putauimusque in imo esse, sustulimus in altum oculos, eosque, qui superius in margine fossæ erant, quia homines esse sciebamus, homines credidimus: cæterum coruorum, aut cornicum specie nobis videbantur. Parum fuit istuc peruenisse: penetrauimus inferius alios ferè ducentos passus, atque in hoc tanto locorum spatio inuenimus, subiuimusque fornices quà glacie, quà crystallo, ac vitriolo factos, excauatosque, quorum frigora tam suâ sponte, quàm ob admoti ignis ab artificibus viciniam per interualla soluuntur, superque transeuntes pluunt. Cæterùm cauernas illas, flammarum, quæ saxa emolliunt, & excedunt, splendore ac coruscatione fulgere, res est tam mira, quàm horrenda visu. Rotæ alibi variæque machinæ sunt, quibus è fossæ profundo eruuntur inexhaustæ aquæ, quæ nisi continuo attrahantur, fossoribus incommodãt. Accidit verò ante aliquot annos, referente ipso Prouinciæ Præside, qui se præsentem fuisse dicebat, vt ex illa infima lacuna extractum sit corpus humanum, tam recens, tamque integrum, quàm si illâ ipsâ die tantùm submersum fuisset, & tamen ex nummis, qui in eius crumena inuenti sunt, atque ex vestium modo, coniectum est, ante ducentos annos ibi submersum fuisse, & ex chalcanthi, seu vitrioli virtute eatenus mansisse incorruptum. Linteum si istâ aquâ tantisper intingas, rubiginem statim contrahit, quæ non nisi difficulter, ac longo temporis spatio elui, abstergique potest. Vapor ille nedum li-

quot aureas, aut argenteas vestes penitus maculat, ac deterit: In his subterraneis porrò cuniculis hæsimus per duas horas, nec vllum locum visu dignum intentatum reliquimus: imò & loca quæ penetrari non erat tutum, etiam adiimus. Pridie enim, quàm huc venimus, duo fossores ruinâ montis oppressi sunt, quorum alter illâ primâ vice in fodinam intrauerat. Idem potuit nobis casus contingere, qui eundem locum semel subiimus. At penetranda hominibus curiosis fuerant hæc Naturæ arcana, & qui tot terrarum superficiem transieramus, etiam ad illa inferorum suburbia penetrare voluimus.

Profectò Virgiliani inferi speciem nihil oculis magis exhibere potest: ibi Sisyphos, ibi Ixionas, alios saxa trudere, alios rotas torquere, alios in varios labores, ac pœnas, quasi pro suorum scelerum expiatione, distributos videas. Sunt reuerà inter illos quidam scelestissimi homines, inter quos à paucis annis duo notantur insignes; quorum vnus, cùm socium qui se innocenter per funem illum quem diximus, demittebat, deiicere, ac præcipitare vellet, ac propterea se per eundem funem, magno impetu in illum demitteret: Prior animaduertens inimicum super se ruere, fortiter ac tenaciter funem prehendés, seque sistens in medio lapsu effecit, vt ille qui desuper ruebat, hoc obice tam constanti, contra quàm expectabat, inuento, ipsemet casum quem alteri procurabat, subierit. Alterum prodigiosi facinoris exemplum est, quod quidam ex illis fossoribus, qui in

focium infenfo animo erat, cùm illi duo fimul in corbe, quo lapides attolluntur, fe efferendos collocaffent, iamque ad fummum perueniffent, alter è corbe egrediens cùm calce inimicum in foueam præcipitare vellet, nec attigiffet, ipfemet præcipitatus eft; cadendoque (horrendum dictu) auditus eft clamans. Aperi os tuum, ô diabole, en tibi affum paratur. Alii de feipfo, alii de inimico quem impellere volebat, intellexiffe, exiftimant. At alius, & is quidem peruicaciffimæ audaciæ, cùm fortè, credo noctu, in plumbi fodinas incidiffet, nec fe admodum læfiffet, iratus tamen, & quafi dolens, quod vltra in profundiorem foffam non incidiffet, quin tu (inquit) ô diabole, quandoquidem tot itineris confeceram, ad infernum vfque me compulifti? Hunc tam præfractæ audaciæ hominem cùm Rex Guftauus ob ingens miraculum cernere voluiffet, dixiffetque, illum Deo valde deuinctum ob hunc euitatum tam periculofum cafum, agereque debere magnas gratias. Quid, inquit ille, gratias agam; eò quod me Deus in præcipitium labi permifit! Guftauus, qui alioquin viros intrepidos, qualis hic erat, magni faciebat, illum à confpectu fuo abegit, fupplicium illi interminatus, fi deinceps in Deum impius effe perfeueraret. Et verò defcenfus ille funium multis capitalis fuit; nam & nobis narratum in argenti fodina ad Salebergam, duos nuper è fofforibus fe impofuiffe corbi quo metallum attrahitur, incolumefque cum metallo in altum perueniffe: at cùm alius fe eidem va-

euo corbi statim postea imposuisset, funem qui alioquin crassus erat, abruptum esse, miserumque hominem in frusta discerptum: Ergo nos temerarios nimis, ne dicam amentes, qui etiam corbis periculum tentauimus.

XX. Quæ Bacchanalium dies fuit, quæque apud hos populos nullo discrimine ab aliis diebus censetur, nam perpetua Bacchanalia sunt, iuimus cum Ioanne Trosto, qui bombardis conflandis præest, in varios fornaces, vbi cuprum coquitur, ac liquatur. Res est digna visu, ac scitu, quam ille nobis pro nostro captu studiosissimè explicuit. Primùm enim, vt lapis metallicus, qui durissimus est, à rupe abradi & euelli possit, admotâ accensâq; lignorum strue emolliendus est. Cùm est è fodina erutus; secundo igne coquitur, ac sub dio stratis incensisque lignis imponitur, ibique per plures dies relinquitur, ac fimo, ni fallor, aut terrâ tegitur: si ad hos cumulos accedas sulphureus odor, ac fumus tibi continuo asperrimam tussim & sternutamenta prouocat. Post hanc coctionem lapis ille metallicus in fornacem coniicitur, vbi liquatur: liquor ille cùm refriguit, in massam coalescit, quæ quidem massa deinde in frusta frangitur, septiesque in illis stratis pyris per certa dierum spatia recoquitur. Hæc denique frusta & ramenta, quæ per tam multas calefactiones splendorem aureum, quem in fodina habebant, amiserunt, iterum, & postremò in fornacem coniiciuntur, liquanturque; ac tum demum cuprum perfectum est. Cæterùm in spu-

mam, atque in fumum qualitas lapidea, & terrestris exit, metallumque remanet purum, & defæcatum. Harum rerum experimenta fieri vidimus, ac tandem cùm totum ferè diem his arcanis perscrutandis posuissemus, sub noctem bombardam maiorem conflare vidimus, cùm priùs illius typum, in quem metallum funditur, curiosè, diligenterque essemus intuiti.

Inter hæc belli instrumenta rimanda excurri ego cum Francisco Gernando ad locum, in quo solennis quædam iurisdictio exercebatur, quod bis, vel ter in anno accidit. Præsidebat ibi in capite mensæ Præses Prouinciæ, malleum ligneum tenens, quo ad imperandum silentium mensam feriebat. A dextra illi erat iudex idemque scriba; à sinistra oppidi Præfectus, quem iuris executorem dixi. Assident ordine hinc & inde viri tam staturâ & barbâ, quàm natu grandes, periti consuetudinum, ac legum patriarum, quarum tamen liber, ne aberrent, mensæ impositus est. Cùm lis aliqua agitata est, quam quidem iudex scripto excipit, tum ille legem, quæ pro diiudicanda lite facit, alta voce recitat. Assessores deinde sententiam submissa voce in aurem dicunt, quam senior demum iudici in aurem insinuat, atque ille continuò pronuntiat. Qui damnatus est, debet illico soluere, vel fideiussorem dare, vel carcerem subire. Mihi certè hic iudicandi, cognoscendique modus non displicuit.

XXI. Quæ dies Cinerum apud nos erat, & quadragesimalis ieiunii initium, summo ma-

ne properabamus *Falbonio* oppido proficisci Stocholmium versus; at longo jentaculo impediti fuimus, cui Præses Prouinciæ & Ecclesiæ Pastores interfuerunt. A carnibus quidem nos Catholici illic & vbique per hæc tempora abstinuimus, à vino non item: alioquin deserenda nobis fuisset ac prodenda gentis nostræ dignitas, & fœderum communium fides abjicienda.

Dicuntur Reges multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitiâ dignus.

At in Suecia ac Germania rustici ipsi hominesque nihili, etiam clarissimos Viros ad bibendum adigunt, ac torquent. Itaque in hoc potissimùm discessu nos, per omnes Deos Deasque, ad bibendum adegerunt. Nam nec necessaria sitis, nec voluptas ipsa, arbitrium est bibendi, id ex conuiuantium vel comitate vel pertinacia pendet, qui tum demum se magnificè fecisse putant, si te dolo an virtute, vino immerserint. Pastorem ego Ecclesiæ N. Laurentium Blaxstadium ad colloquendum selegeram, virum alicuius dignitatis, cúmque ille me tam inciuiliter ad compotandum vrgere nollet, id gratiosè obtinere voluit. Habes (inquit mihi ille) adhuc vtrumque parentem? Respondi, me non habere. At habes fortasse fratres ac sorores: Habeo (inquam) quos summè diligo. Nesciebam quorsum hæc interrogatio pertineret. At (inquit ille) saluti illorum, vbicumque sint, tibi propino. Itaque præbitus ac præbibitus à Sacerdote calix, exsiccandus fuit. Denique, pro

amicitiæ tessera, dedit mihi veterem baculum, quo rustici Sueciæ olim suum Calendarium inscripserant, quem accepi lubens, hodieque asseruo adhuc. Dedi vicissim illi Elegiam meam de aduentu nostro in Daniam, subscripsique nomina nostra, ac imprimis Legati, pro cuius incolumitate ac gloria plurima vota concepta sunt, quæ nos rebibendo rata habuimus.

Insiluimus inde in vehicula nostra, cúmque oppidum Setram, quod tribus milliaribus Coperbergâ distat, maturè venire cogitaremus, tres è conuiuis nostris, qui nos comitari voluerunt, in villam, quæ iactu tantùm lapidis, à loco vnde exibamus, aberat, nos inuitos, ac seriò repugnantes abduxerunt, madidique ipsi madidis nobis vinum infuderunt, ac nisi post horam ab illis diuelli potuimus. Hoc fuit causæ, cur ego & Gernandus à via aberrauerimus, coacti in Sacerdotis cuiusdam ædes diuertere, qui famulum nobis commodauit, à quo per niues & abrupta viarum, in densissimis tenebris, Setram vsque directi fuimus. Socios nostros iam mensæ accumbentes inuenimus, in domo Petri Krutzii, quem Falhonii reliqueramus: aderat verò illius honestissima vxor, aderant liberi, præsertimque natu major, Franciscus Krutzius, interuenerat Franciscus Mazaretus, Vasco, rei metallicæ peritus, quique adeo se Reipublicæ Suecicæ vtilem præbuit. Cùm eos ego adueniens iam in bibendi procinctu deprehendissem, vt me superiorum dierum laboribus confectum periculosæ aleæ subducerem, finxi dolorem sto-

machi, atque in lectum me conieci. Tum illi continuò à mensa surgentes, alii mihi discos ligneos ferventes ventri imponebant, alii calidum merum sacchato, & cinnamomo conditū, combustum alii ori infundebant. Quodque pro deliciis aspernabar, pro medicina mihi ingerebant, adeo medicinæ proprium est, vt illius remedia, cùm adhibentur, iniucunda & fastidiosa sint.

XXII. Cum Fr. Krutzio omnes omnium generum fornaces, quibus æs in opus redigitur, ac formatur, lustrauimus, omnisque generis officinas, in quibus pelues, lebetes, sartagines, & alia huiusmodi vasa fabricantur; vidimus thoraces, & galeas cudi, vidimus monetam fabricari; aliaque plurima, quæ per fornaces, Vulcani, ac per molendina, Neptuni ope constantur; inde post lautum prandium exiuimus.

XXIII. Ad villam N. *Husbyborg*, quæ ad Fr. Krutzium pertinet, ipso comitante venimus. Domus illa Ecclesia olim fuit, vti vel ex aspectu coniecimus, sancto Illano vel Iuliano sacra, ibi etiam fons est eiusdem nominis, credo, qui olim aliquibus morbis salutaris fuerat. Acerrimum frigus experti illic fuimus.

XXIV. Vpsaliam venimus.

XXV. Insignem tam ædificio, quàm sepulcris, & aliis vetustatis monumentis Ecclesiam Vpsaliensem lustraui. Hæc est totius Sueciæ metropolis: litteras Gothicas tumulis insculptas, curiosissimè perlegi. Demoliti sunt, vt

iam alibi notaui minores aras, ibique ſepulcra ſtruxerunt ſiue Regibus, qui plures ſepulti ſunt, ſiue etiam aliis Regni primoribus; vbi & epitaphia ſunt notatu digna, quippe ab eruditis viris, quibus hæc ciuitas celebris fuit, compoſita, ac plerique tumuli ſunt, pro regione, non contemnendi operis.

Inter hos eximius eſt Regis Erici cippus, qui à ſiniſtra parte magni altaris eſt, longitudine quinque aut ſex circiter pedum; totusque argenteus, cui corona ſupereminet à pariete dependens, primus ille Suecorum Regum Chriſtianá fidem profeſſus eſt, auditque apud illos vltimoſque populos ſanctimoniæ nomine: ideoque, quia *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, reliquias illius tam pretioſè condiderunt, quas quidem ego non vidi; at nonnulli è ſociis meis poſtea viderunt. Eſt item ibi fons in loco concluſo, quem è Sancti Viri, cùm mactatus eſt, ſanguine exiliiſſe ferunt; piiſque Catholicis, antequam Lutheranâ Veſaniâ perculſi eſſent, plurium morborum medela fuit, ac ſalus. Neque tamen hactenus huic religioni palam derogare audent ipſi omnium irriſores Miniſtri, ſiue hunc honorem Sancto, ſiue Regi habere velint. Eſt à poſtica parte magni altaris horologium ingenioſiſſimum, vbi vniuerſi dies anni cum Feſtis notati ſunt, item Lunæ incrementa, ac decrementa.

Hæc omnia, pro temporis breuitate ſatis commodè inueſtigare non potui. Poſt meridiem arcem luſtrauimus in colle ſitam; vnde

vrbs atque circumfusi latè campi conspiciuntur. Si tamen campi sunt, nam suspicor fuisse lacus glacie constrictos & niuibus contectos. Ædificata est illa ab Rege Ioanne ante non multos annos. At quia fundamenta perperam iacta fuerunt, idcirco ruinæ proxima est. Ibi est sacellum satis elegans, cuius muri tectorio gypseo incrustati sunt, vt & omnia ferè cubiculorum lacunaria, in quibus permultæ historiæ ac fabulæ descriptæ sunt. Inuisimus inde Gabrielis & Axelii Oxenstiernarum liberos, qui illic studiorũ causâ cõmorantur. Nam Vpsaliæ ab antiquo, Septentrionis Athenæ fuerũt.

XXVI. Ad Academiam excurri, audiuique Professorem, qui D. Pauli Epistolas Græcè prælegebat. Centum ibi scholastici stipendiis Regis aluntur. Omnis generis scientiarum ac linguarum Doctores ibi sunt: quàm boni sint, & quo præsertim Catechismo pueros informent, alius mihi erit dicendi locus. Contuli me posteà ad Archiepiscopi Vpsaliensis ædes, qui totius Sueciæ Metropolitanus est, vt quâ dignitate esset, viderem: erat is, tunc temporis Petrus Kemnitius, vir octogenarius, tenuis staturæ, hebetiorisque, propter ætatem, ingenii. In illius cubiculo nullus alius erat ornatus, quàm stanneæ lances, ac patinæ super asseribus circumquaq; dispositę. Affecit me mirũ in modũ hęc supellex, cõparauiq; apud me cũ plerisq; nostratibus hunc Archiepiscopũ, non quod eos, qui diuitiis ac deliciis affluunt, de Deo meliùs sentire existimem; sed vt, quod

animaduerti, patefaciam; miseros istos, qui tam clamosè in Pontificios quondam inuecti sunt, dolere admodum, quod erepta illis Sacerdotia cum vniuersis reditibus, & omni dignitate non retinuerint.

Vpsaliam accuratiùs peruidere cupieram, & litteratorum alloquio frui. Verumtamen sociis meis obsequendum fuit, qui ad argenti fodinas properabant, quæ ad oppidum Salebergam iacent. Cùm illuc tenderemus, incidimus in Sacerdotis cuiusdam diuersorium, vbi, cùm equos tantùm mutare vellemus, ac pergere, bonus ille Pastor, qui de aduentu nostro audierat, nosque affari peroptabat, atque in lecto propter valetudinem distinebatur, nos non inciuili dolo moratus est: petiit enim, vt aliquis è nobis saltem momento illum inuiseret. Deputatus est statim Gernandus: cui dixit pastor, se dolere admodum, quòd nos coram alloqui ipse non posset; habere enim rem magni momenti, quam nobis communicare vellet. Nimirum, se librum edere velle in lucem, quem Regibus Galliæ, ac Angliæ dicare decreuerat; at dubitare, vter duorum Regum, alteri præferendus, ac præ-nominandus esset. Retulit hęc ad nos Gernandus, statimque nos qui præterire alioquin aue-bamus, in pastoris cubiculum intrauimus. Vidimus ibi senem inter libros decumbentem, qui nos comiter excepit, ac omnibus illecebris, vt maneremus, compulit. Quid multa? remansimus, & tametsi meridies tantum esset, exeundi consilium pro hac die abiecimus. Surrexit interim

interim ille à lecto, ſeque in hypocauſtum noſtrum duci iuſſit, vbi reliquum diem ad multam vſque noctem canendo bibendoque tranſegimus: habebat enim filiam, quæ & teſtudine ludebat, & Latinè loquebatur: ille autem ceruiſiæ cantharos eoſque argenteos capaceſque, nobis identidem propinabat. At illius interfuerat, nos tamdiu non retinere: tandem enim deprehendimus huiuſmodi homines, tametſi litteratos, & ſenes, & in oculis omnium poſitos, cùm ſiue vino, ſiue ceruiſiâ incaluerunt, non in ineptas tantum voces, ſed in turpes etiam atque inceſtas efferri. Circunferatur (inquiebat ille) cantharus: adducatur virgo nuda. Atque hoc carmen canens repetebat, addebatque, en inquit, cantilena quam iuuenes perſonabamus. Didicimus poſtea, illum hâc etiam ætate petulco more in oues ſuas inſilire. At enim vxorem habebat, in quam libidinem iſtam deſpumare poterat. I nunc, & Luthero crede, nefandorum ſacerdotum laſciuiam matrimonio compeſci poſſe.

Mirum eſt quantum hæc tam potus, quàm concubitus libido in pleriſque his hominibus ardeat. De potu manifeſtum eſt. De altero verò obſeruaui, nihil magis caſtiſſimis Theologis inculcari; quàm hanc matrimonii neceſſitatem omnibus, qui caſtè, ac pie viuere cupiant, eſſe ſubeundam. Hanc doctrinam adoleſcentulis ipſis, qui nondum puberes ſunt, & nondum

de Venere cogitant, in infimis scholis insinuant. Id cùm sæpe aliàs, tum Vpsaliæ præsertim animaduerti; sic enim audiui philosophantem Iesperum Krutzium, filium eius qui Cuprimontanis præest, quem ausim affirmare, quâ ætate, quâque constitutione erat, nullas adhuc Veneris illecebras expertum fuisse. Eò denique amentiæ ac impudentiæ deuenerunt peruersissimi Doctores, vt apud populum rumores spargant, Vrbanū hunc VIII. Pontificē Romanum de vxore ducenda cogitare, idemque consilium omnium Cardinalium animos subiisse; quam stolidissimam fabulam non in hac modo Suecia, quæ longius ab hominibus abest, sed iam in ipsâ Dania audieramus. Memini, alium Pastorem, cuius nomini parco, excusare se, quod nos vti cuperet, in domo sua satis commodè excipere non posset, suas quippe fortunas pene esse subuersas, vitamque sibi inuisam: cùm rogarem, quid rei esset: vxorem, inquit, non habeo ampliùs. Fortasse (inquam) secundam aliam ducere non potes? Putabam enim ob honorem Sacerdotii, quòd Laïci continentiores forent. Possum quidem certè (replicauit ille gemens) sed non nisi post annum luctus. Ingemui hominis infortunio, & admiratus apud me Ecclesiæ reformatæ genium, finxi, me sortem illius admodum misereri. Itaque, vt de his quæ vidi quæque perpendi, fideliter tester, crediderim ego, hunc solùm matrimonii & concubii obicem eos à nostra communione diuidere. Plura possem, quæ mihi occurrunt, in

hanc materiam congerere, nisi ad alia properarem.

XXVII. Cùm hospiti nostro vale-diceremus, inuenimus illum oculis non lippis modò, sed penè cæcis ob superiorem compotationem, quæ etiam illi crus, quod igne sacro tentabatur, acriùs inflammauerat. Solatus sum ego illum comparatione Philosophi Posidonii, qui in mediis & acutissimis podagræ doloribus, tam comiter Pompeium exceperat. Dicet quispiam, nos non fuisse Pompeios: neque etiam ille erat Posidonius. Respondit, se quæcumque nobis officia exhibuerat, ex debito persoluisse, seque hoc pingui Sacerdotio eâ lege & conditione frui, vt honestos viros illac transeuntes hospitio susciperet; cæterùm, homines Gallos huc aduenire non solere: gaudere itaque de aduentu nostro, seque tam diligere Galliam, vt cum vxore, & liberis, in eam migrare destinauisset: quod quo consilio diceret, hâc præsertim ætate, atque valetudine, non videbam: verùmtamen postea hominis ingenium, ac mores didici.

Oppidum Salebergam post meridiem aduenimus. Sic vocatur à Sala fluuio, quo alluitur.

XXVIII. A Ioanne Krisbach, Regni fodinarum Præfecto, in argenti fodinam ducti fuimus: nec fuit vel angulus, vel arduus ac profundus locus, in quem non penetrauerimus. In illam fossam descenditur per ligneas scalas, quæ ad perpendiculum rectæ sunt. Datus ita-

quæ est nobis singulis suus doctor, quo innitebamur, quique pedes nostros in scalarum gradibus regeret, nos in salebrosis locis gestaret, ac veheret. Nec ullum defugeremus periculum, per funem in corbe ad infimam fossam demissi sumus, ac deinde abstracti: quod quâ prudentiâ tentatum à nobis sit, vix, dum recordor, satis admirari possum. Nam præter eos, qui his ergastulis se devouent, vix est, vt alii sanæ mentis homines eatenus penetrent. Quod si damnandum hoc consilium fuit, certè quod hinc inoffensi exiuimus, Deum veneror, lætorque Naturæ adyta, vbi thesauros suos condidit, curiosè peruidisse, argentique fontes, quorum riuos, atque guttas tam auidè, atque improbè mortales bibunt, penitus deprehendisse. At istic argentum non est tam densum, neque copiosum, quàm in aliis fodinis est cuprum; sed per venas tantùm, & rara internalla inuenitur, ac eruitur: cæterùm eâdem methodo, quâ cuprum, perficitur, nisi quod cuprum duodecies aut amplius calefit: Argentum quater tantùm, aut quinquies. Vidimus molendina, in quibus lapides metallici teruntur, aquâque purgantur, ita vt impurior terra effluat, relinquaturque purior, in qua argentum delitescit. Est & illic ingeniosissima, ac præ sua longitudine stupenda machina, quâ aquæ ex ima fossa attrahuntur. Ruinam ante paucos annos minabatur fodina, at suppositis longis arboribus, ad sex vsque millia, sustentata est. Aiunt, illam viginti quinque millia Thalerorum quotannis Regi

producere. Lustrauimus deinde fornaces, vbi argentum liquatur, diuersique generis folles obseruauimus, quorum quidam aqua & rotis, quidam impulsu hominum agitantur, quod satis iucundum est visu; nam duæ vel puellæ, vel pueri ligno mobili impositi, impellentes sese, ac vicissim librantes, folles illos tollunt, ac deprimunt. Post totum diem his spectaculis insumptum, apud fodinarum Præfectum lautè cœnauimus, bibimus, cecinimus, ac deinde vehiculis in diuersorium nostrum relati sumus.

Prima die Martii post prandium Salebergâ Arausiam iuimus, quæ vrbs est inter antiquas ac præcipuas totius Sueciæ.

II. Ecclesiam vidimus, quæ nullâ re prorsus à Catholicis differt. Ibi residet Episcopus, cuius domum adiimus: at ille aberat, aut se abesse fingebat: nam pudet illos in tam tenui supellectile, inter vxorem, liberos, ancillas, nutrices ab hominibus Catholicis, quos honestiùs viuere non nesciunt, deprehendi. Adiuimus deinde oppidi Præfectum Thurorem Sparum, fratrem eius, qui Hafniæ Legatus fuerat, qui in arce degebat, à quo stantes ceruisiâ, ac vino excepti fuimus. Sub noctem, ita volente Anaugurio, iter Stocholmum versus corripuimus in miserrimis trahis, cuiusmodi ferè sunt illæ, quibus interfectorum cadauera raptantur, qui sibi mortem consciuerunt: erpauimusque per niues, perque acutissimos ventos, ad insequentis prope diei diluculum. Quis labores illius noctis, quis frigora fando explicet? piget me illo-

rum reminisci, ne me tot malorum species sola recordatione interficiat.

III. Iuxta vrbem Nicopiam summo mane transiuimus, indéque sæpius mutatis vehiculis, cum magnis molestiis, milliari à Stocholmo pernoctauimus, ac in stramine decubuimus. Eclipsim Lunæ, quæ hora septima incœpit, & ad sesqui octauam ac ferè nonam perfecta est, atque inde paulatim decrescere cœpit, ita vt horâ vndecimâ suæ pristinæ integritati ac luci prorsus esset Luna restituta, otiosè è vehiculis nostris obseruauimus: cùmque interim lacum glacie constrictum sesquimilliaris longitudine decurreremus, audiuimus non sine horrore glacies subter, se impellentes, collidentesque, edentesque sonos maioribus bombardis prorsus similes, cùm ex aliquo interuallo audiuntur.

IV. Quæ Dominica fuit, vt Stocholmum maturè perueniremus, & summo mane surreximus, & per constrictos lacus, equos nostros citatissimè admisimus. Purissimus, ac serenissimus fuit ille dies, itaque ab Oriente Sole, in quem rectà tendebamus, exoriens ventus vultus nostros ita afflauit atque perstrinxit, vt qui hactenus incolumes, & integri aduersus cæli iniurias extiteramus, eo demum die mihi, & Anaugurio extima nasi, ac genarum cutis penetrabili frigore adusta sit. Socios nostros adhuc in lectis iacentes, iucundo nostro aduentu exciteuimus, qui canitiem, quam barbâ, & crinibus præ frigore referebamus, venerati sunt. Mutatis

vestibus Legatum salutatum iuimus, qui Auaugurium prandio, me cœnâ humanissimè excepit, deduxitque post cœnam ad elegantissimas sorores Vandeliam, & Elizabetham, Gallicè indutas, Gallicéque loquentes, ac denique omnia Gallicè, ita vt me in Gallia esse somniarem; nam me somnus ex præcedentibus vigiliis, tametsi inter speciosissimas puellas, obruebat.

V. Et sequentibus ad nonam vsque Martii diem, legendis, quæ Lutetiâ ad me allatæ erant per absentiam meam litteris, rescribendoque, operam dedi, partim etiam curandæ, reparandæque cuti.

X. Allatum est de Philippiburgi à Cæsarianis interceptione, quod Legatum nostrum vehementer anxit.

XI. Inuiserunt Legatum Petrus Flaminius, Vice-Admiralius & Petrus Sparus, qui dixerunt, duas naues in duobus diuersis portubus nos expectare, alteram Barsundiæ in Ostrogothia, alteram in insula Oelandia Dantiscum versus, cùm primum discedere vellet ac posset.

XII. Kalendarici baculi vsum ab adolescente Sueco didici.

XIII. Diem cum Vvibio, vesperum cum Legato transegi.

XIV. Tres è sociis nostris Vpsaliam profecti sunt.

XV. Andream *Duben*, Lipsiensem, insignem Organisten, qui in Sudermaniæ suburbio habi-

tat, inuisi. Stipendium illi est à Regina Matre, trecentorum Imperialium thalerorum: habet ille tabulas satis curiosas, præsertimque Sacrosanctæ Trinitatis imaginem, quam Angelicæ facies vndique ambiunt, & circumuolant: est illa exemplum vel exemplar similis alterius imaginis, quam apud pictorem quemdam Silesium, Gedani vidi, quam pictor iste Alberti Dureri esse asserebat. Inscripsi me in illius amicorum catalogo, cum hac, nî fallor, sententia: *Proprium hoc statuo esse Virtutis, conciliare sibi animos hominum, & ad vsus suos adiungere.* Vel cum ista, nam duabus vtebar: *Beata sors est omnis æquanimitate tolerantis.* Erat idem ipse Germanicæ Ecclesiæ Organistes, vbi, cùm me ille inter auditores suos deprehendebat interdum, vt mihi gratularetur, vespertinas preces producebat in noctem.

XVI. Allatæ sunt ad nos per Petri Vvibii cursorem, plures è Dania litteræ. Allatæ vtique sunt è Germania relationes, quibus inter reliqua quæ ad rerum Politicarum statum pertinebant, narrabatur de sex stupendis lupis, qui vrbem *Vvolffenbutel*, in Ducatu Brunsuicensi plurimorum hominum cæde ac strage, terruerunt, quos cùm armati repente equitès persecuti essent, ex oculis suis euanuisse mirati sunt: vnde dubitatum est, an isti veri lupi, an etiam arte Magicâ personati fuissent. *Vvolffenbutel* luporum collem significat. Commodè hîc referre possum, quod à nobili viro Sthenone Botto audiui sæpius. Aiebat enim, quemdam Rusticum

fuisse patris sui villicum, qui suo, an alieno maleficio, lupi formam induerat, ac gesserat per tres ipsos annos, & quemadmodum alii lupi, carniuorus, ac cædis amans: ac dum curreret, manducaret, aliaque similia, quæ lupi faciunt, faceret; ingenio planè lupino erat. Si quando pedibus postremis insideret, ac paulisper capite recto & quieto erat, hominem se esse aut recordabatur, aut suspicabatur, nec tamen humani quicquam ob organorum inopiam præstare poterat. Tandem, post tres annos in pristinam humanam speciem fuit restitutus, excepto, quod in vna manu lupi vngulam, in postica parte caudam retinuit. Petii à Botto, & eo quidem viro erudito, ac prudente, an eum hominem vidisset? negauit. An pater vidisset? Asseruit. An etiam aliquis, qui nunc viueret? Promisit, se virum mihi hîc Stocholmi exhibiturum, qui prodigiosi hominis spectator sæpius fuisset.

XVII. Allatæ sunt Parisiis literæ, inter quas vna erat Stephani *du Chemin*, Causidici, viri optimi, ac familiaris mei, plena illa quidem vrbanitatis, & ioci, quam sibi bis perlegi Legatus voluit.

XVIII. Frigus aliquantulum resedit ex nouilunio.

Neque XIX. perperam transacta est, nulla enim abiit dies, quin linea saltem aliqua ducta superesset, pigebat enim meam peregrinationem tam inutilem esse, quàm fuerat mea plerumque in Gallia mansio: neque tamen istius sedulitatis, atque diligentiæ vberior mihi ad

lucrum fructus fuit: ad pascendum certè erudiendumque animum aliquis: ad valetudinem, prorsus non fuit.

XX. Legatus, vt decurrendi per niues constrictosque lacus voluptatem experiretur, ad villam quandam, quæ milliari ab vrbe abest, in traha Reginæ Virginis se contulit, tectâ illâ quidem, & holoserico cæruleo fartâ; méque sibi comitem sumpsit. In alio vehiculo erant Auaugurius, & Laurentius Vanderlinus. Erat illa domus non contemnendis tabulis ornata, quarum pleræque sunt ex Germanicis spoliis: nitidissima ibi supellex, sed non pretiosa: ædificium ligneum, vt sunt omnes domus rusticæ, etiam illæ, quæ à præcipuis Nobilibus habitantur: at speciosissimæ, quæ ibi commorabantur, Sorores, nihil rustici, neque in moribus, neque in vultu præferebant: obseruauimus in itinere, Reginæ matris villam lapide structam inter montes, & lacus: crediderim æstiuo tempore locorum faciem fortasse non iniucundam.

XXI. Aduenit Stocholmum Agens Magni Ducis Moscouiæ, qui per vndecim hebdomadas in itinere fuerat, Lapponiamque pertransierat, qui quidem erat Liuonus, & non Moscus. Habet vicissim Sueciæ Regina suum Agentem in aula Ducis Moscouiæ, cui septuaginta thaleros Imperiales singulis mensibus Moscus tribuit, totidemque stipendii Agenti Mosco Regina Sueciæ dependit.

XXII. Legatus Gabrielem Oxenstiernam,

Archidapiferum, qui ex Prouincialibus Circulis redierat, inuisit, viditque duos illius filios, qui è Gallia tum primùm reuertebantur.

XXIII. Scripsi litteras Parisios ad Steph. *du Chemin*, & Petrum Bonartium, familiares meos, tam vorsâ, quàm prorsâ.

XXIV. Scripsi item ad Fratrem, eumque modestiæ commonui, cum mira afferrentur de concionibus quas habebat in Æde D. Benedicti.

XXV. Olai magni siue historias, siue fabulas decurri, quas serò Legato enarraui, amplificauique, vt illum à morbo capitis oculorumque, quo propter nimis assiduas scriptiones, lectionesque tentabatur, recrearem.

XXVI. Annunciationem Beatæ Virginis celebrauimus. Sub noctem iui vnà cum Molano ad Pictorem quendam, qui in Sudermaniæ suburbio habitat, apud quem vidimus atramento exaratam picturam, quam Regina mater ipsa die delineauerat, sepulcrum nimirum desideratissimi Gustaui coniugis, cui illa duos versus inscribendos composuerat, vt dilecto cineri animi sui monumentum ac votum ære perennius ac firmius adhæreret. Sunt autem illi versus.

Sein tugent vnd ehr, vnd dapffer vnsterblich that
Im leben vnd todt, mit triumph obsiget hat.

Eos ego sic verti de verbo ad verbum.

Illius virtus, & honos, & fortia facta,
In vita, ac in morte suum retulere triumphum.

Dici satis non potest, quanto ingenio, quantâ comitate sit Serenissima illa Regina, quamque acerbo prærepti Inuictissimi Coniugis casu indigna.

XXVII. Inuisi Ioannem *Lehoutz*, qui Gustaui Secretarius fuerat, & quem istius, qui nunc ardet, in Germania belli facem, certè tædiferum appellare ausim, vti declarabo postea. Habet ille multos libros nec inconcinnos, inter quos vidi Ciceronis epistolas ad Atticum ex editione Aldi, quem librum Franciscus Hotomanus Iosepho Scaligero donauerat, in cuius margine erant nonnullæ Scaligeri correctiones & annotationes pulchro charactere rubro scriptæ, quas ego descripsi vniuersas, poteramque librum ab eo fortasse impetrare, nî meus me pudor cohibuisset.

XXVIII. Legatum, qui se per hunc ac superiorem diem Medico suo permiserat, tam alloquii à quo non abhorrebat, mei, quàm iucundæ lectionis auocamentis oblectaui.

XXIX. Ioannes Bardonus in Hollandiam emigrauit.

XXX. Agens Ducis Moscouiæ ad Reginæ audientiam venit, quem illa per duas ferè horas in solio pręstolata est. Istius moræ causa fuit, quod ille plura sibi vehicula ad imponendum suum comitatum sibi dari cuperet, quod noluerunt Suecici Proceres, eâ ratione, quia in Moscouia nuper Agenti Sueciæ vnicus tantum equus datus fuisset. Coactus est itaq; ille venire in vnica traha, eâque detectâ, substrato tapete

Turcico: comitabatur illum sedebatq; in anteriori parte vehiculi Nobilis Suecus, Petrus Krutzius, cuius frater in Moscouia Agens erat, atque iste interpretis munere fungebatur. Habebat Moscus duos ex suis comitibus, qui recti hinc inde à lateribus vehiculi erant, ac stiuæ innitebantur. Tres equi traham ducebant, quorum priori Moscouita, posteriori auriga Reginæ insidebat; ante omnes præcedebat in equo Secretarius Moscouita, qui dextra manu litteras Principis sui fasciâ sericâ inuolutas præferebat, ventilabatque. Aderant & nonnulli pedissequi. Ingressus Reginę cubiculũ, post salutationẽ, quam illi se inclinando, terramque vtraq; manu tangendo peragunt, statim fari cœpit, titulosq; sui Ducis longa enumeratione, sigillatim extulit legens, quę subinde post decẽ circiter verba Interpres Suecicè reddebat: tũ ille loqui pergebat, ac postquã omnes titulos absoluit, ter se inclinauit, propiusq; ad Reginã accedẽs, litteras ei suas apertas tradidit: celeriter deinde, ac ferè per saltum, quasi Elephanto stipẽ porrexisset, rediit vnde abierat: cõtinuauitq; sermonẽ per interualla, ac periodos, quas Interpres identidẽ reddebat. Cum perorauit, nullâ deliberatione habitâ, respondit illi Procancellarius Saluius Suecicè per interualla; ita vt idem Interpres singula Moscouiticè traduceret. Reginæ tandem manus osculatus est, quod item qui eum comitabantur, fecere. Abiit eodem ordine, atque ab quibusdam Nobilibus Suecis iuuenibus ad vehiculum vsq; reductus est. Longâ togâ indutus erat Agens

(quemadmodum & cæteri) fibulisque & globulis togæ sparsi intertextique plurimi vniones; Collare thoracis, quod rectum, ac præaltum est, ac togæ supereminet, vnionibus item prætextum est. Barbâ sunt rasâ in genis atque mento, at vtrinque in superiori labello pilos alunt. Reginæ aderant sex Regni Senatores; nulli ex Tutoribus, iique à dextra parte: à sinistra paruus Princeps Palatinus, Reginæ cognatus, itemque illius soror viginti circiter annorum, decem deinde fœminæ; quinque mulieres, quinque virgines. Regina togâ sericâ albâ auro intertexta vestiebatur: & cùm vel Senatores, vel alii Nobiles eam salutant, eos comiter resalutat, suasque etiam fœminas; quæ & illæ (nescio quo more) coram sua Regina non viros modò illustriores, sed etiam mediocres nobiles salutant; quod nobis incongruum visum est, præsertim apud eos populos qui Diuino honori detrahi existiment, si sanctis aliquid tribuatur; cùm tamen Deo Opt. Max. à sanctis suis nihil omnino, at Regibus à suis subditis iure metui possit, ne suus honor communicetur. Verùtamen huiusmodi Regibus hæc est fortasse imposita comitatis necessitas erga eos à quorum electione plerumq; pendent, vt ex historia cognosci potest. Interim à Saluio Procancellario didici, summos cærimoniarum obseruatores hos Moscouitas esse, ac nisi alia ratione, dolo certè venerationem ab exteris, qui illos adeunt, extorquere; nimirum id accidisse Hayo-curmemino, Regis Christianissimi Agenti, qui cùm ad

Regiam Ducis Moſcouiæ in equo adueniret, aiunt, eum, qui ex Ducis mandato, ei obuiàm ibat, qui itidem in equo erat, cùm appropinquauit ad Agentem Gallum, finxiſſe ſe ex equo deſcendere velle, quem cùm deſcendere crederet Gallus, ſtatim ipſe ex ſuo deſcendit. At non deſcendit Moſcouita: Imò aliquos adhuc gradus progreſſus eſt, vt hunc honorem ſuo Duci aſtrueret, quaſi Legatus Galliç lubens illi detuliſſet. Aiebat etiam Saluius, vera eſſe, quæ de clauo Legati Itali capiti affixo refert Olaus magnus, itemque Crantzius. Cæterùm non apud Moſcos modò, ſed & apud alios Principes, cautè à Miniſtris attenditur, ne aliquid peccent in his congreſſibus. Dicebat idem Saluius, cùm Miniſtri Sueciæ cum Miniſtris Daniæ congrediuntur, id plerumque fieri in ponte, qui vtrumque Regnum diuidit, atque è medio pontis tabulas auferri, ità vt ſpatium inter eos vacuum relinquatur. Factúmque eſſe ante non multos annos, vt Cancellarius *Friis* à parte Regis Daniæ, cùm ad pontem accederet, quò ſuum Regem ſuperiorem ſignificaret, prior inclamauerit ad Suecos, qui ex altera parte erant; Rex meus veſtrum ſalutat. At id Sueci pro Regis ſui honore interpretati ſunt, quaſi alter ei venerationem deferret. Dicebat etiam, moris eſſe in colloquiis, quæ inter Suecos, ac Polonos intercedebant in Boruſſia; vt in tabernaculo in quo conueniebant, duæ menſæ apponerentur, quas tapes aliquis ſiue velũ interiectũ diuideret, atq; hinc Suecos ſuæ menſæ, Polonos item ſuæ con-

sidere, ac deinde velum trahi, ita vt è regione se inuicem intuerentur, manusque pileis eodem momento adhiberent. Verùm iste mos in eo fœdere ineundo, cui interfuimus, vsurpatus non est. At non inurbanus planè fuit superioribus annis Polonorum cum Suecis congressus in paciscendis sexennalibus induciis; Nam, cùm vtrinque Commissarii æquo numeratóque passu alii ad alios accessissent, ac pro sua quique grauitate coram defixi & mutuò se respectantes, altùm silerent: tandem Poloniæ Cancellarius Christophorus *Zadzick*, qui pro sua valetudine diutiùs in pedes existere non poterat, compositò rumpens vocem: Vt à nobis, inquit ille, incipiat humanitas, precamur vobis, Illustrissimi Domini Sueci, bonum diem. Tum verò Cancellarius Sueciæ, Axelius Oxenstierna, qui suæ gentis superbiam perstrictam sentiret, extemplò respondit. Ne simus ingrati, Illustrissimi Domini Poloni, precamur vobis bonam mentem. Exindeque de negotiis communibus inter se collocuti sunt. Hunc verò sermonem ab vtrisque seorsim accepimus, cùm alii suam indè summam humanitatem, alii suam eximiam dignitatem nobis probatam vellent.

Vltimâ die Martii, ad Illustrem Daniæ fœminam Germanicè primùm scripsi.

Primâ die Aprilis aër intepuit, qui per totam hebdomadam admodum frigidus fuerat, cœperuntque niues liquefieri. Quia Dominica Palmarum erat, hæc cærimonia ritè à Pastore no-

stro

ſtro celebrata eſt, tulimuſque per Miſſam pineos ramuſculos.

II. Emi epiſtolas Buſbequii, ad cuius exemplum ſtylum hunc meum, ſi poſſem, exigerem. Vvibius me inuiſit.

III. Legatus ad curiam, in qua Regni Comitia habebantur, introductus ibi per tres horæ quadrantes, oratione Latinâ locutus eſt, vt eos ad pacem, ad inducias certè cum Rege Poloniæ prorogandas, hortaretur. At illos animo à Rege Poloniæ alienatiſſimo reperit, ob eam præcipuè cauſam, quod ille in inſtrumento procuratorio, quod ſuis Commiſſariis dederat, Chriſtinæ, titulum Reginæ Sueciæ non dabat, ſibi verò ſumebat: quod quidem iſti impatientiſſimè ferebant, præſertim cùm Sigiſmundus, pater huiuſce Vladiſlai, Guſtauo titulum Regis Sueciæ non denegauerit, & tamen Sigiſmundus potiori iure eſſet, quàm Filius. Petierunt ab Legato, vt ſuæ Orationis exemplum illis traderet, quod annuit; mihique iuſſit, vt illam deſcriberem. Profectò vix alius in tota Gallia non inter Principes modò viros, ſed nec inter eos, qui litteras profitentur, magis Latinè, certè ad audientium approbationem, atque iudicium magis appoſitè loqui potuit. Ad ianuam atrii, in quo Comitia habebantur, Proceres illum ſuſceperunt.

A prandio cum Theologo noſtro Paſtorem Eccleſiæ Germanicæ inuiſi, vidimuſque Muſeum nec inuenuſtum, nec librorum egens. Tam iſti homines prolis amantes ſunt, vt infantes in

cunis mortuos sibi pingi curent, fasciis, redimiculis, sertis, ac corollis ornatos.

IV. Post Missam ritè auditam, quæ quotidie per hos dies celebrabatur, horâ quintâ serotinâ matutinas preces, quæ in Hebdomada Sancta recitantur, recitauimus; ac lamentationes, homilias, & epistolas cecinimus, præeunte Pastore nostro, modulante Varenno, eximio Musico, nobisque reliquis accinentibus. Sicque hos dies piè transegimus.

V. Eadem pietatis exercitia continuauimus, ac sub noctem plures litteræ Parisiis nobis allatæ sunt, in quibus de Puylaurentii prehensione referebatur. At mihi imprimis pergratæ fuere illæ, quibus me Frater de suis concionibus certiorem faciebat.

VI. Dominicæ Passionis memoriam celebrauimus.

VII. Sabbati Sancti officium peractum est. Litteras ad vtrumque Fratrem, atque ad Sororem dedi.

VIII. Quam quidem diem Dominum fecisse Christiani prædicamus, & canimus, Dominicum Corpus vniuersi communicauimus, quod plerique è famulis diebus superioribus fecerant, itemque aliquot pedissequi, qui apud Nobiles Suecos degunt, quique omnes Galli erant. At nullus è ciuibus, tametsi aliqui Galli essent, ausus est interesse sacris, nam id illis ex Magistratuum mandato priuatim vetitum fuit, cùm tamen aliqui ex iis Sacerdoti nostro, se sacris nostris communicare velle, antea significas-

ſent. Timent nimirum Sueci Catholicos, cùm ob alias rationes, tum ne illi Regem Poloniæ adſciſcant, aut ſaltem deſiderent. Vidimus rem, quæ omnium noſtrûm animos vehementer pupugit: nam cùm poſt cœnam hymnos ſolennes in noſtro Sacello decantaremus, quidam ſenex Polonus è Reginæ famulitio, miniſteriis noſtris deputatus, cùm ſe in veſtibulo, quò ad Sacellum intrabatur, concludi permiſiſſet; vt nos vidit, audiuitque, continuò in lacrymas ac ſuſpiria effuſus eſt, ita vt ſingultientem illum exaudiremus: Quem cùm interrogaſſet Oeconomus noſter, ſi religionis Catholicæ amore adhuc diſtineretur, quin ergo in Poloniam reuertebatur? Reſpondit, ſe ante quadraginta annos in hanc Sueciam delatum, ibi habere vxorem, & liberos, quos quemadmodum abduceret, ac deinde aleret, penitus ignorabat, ac ſubinde obortæ ſunt ſimplici viro lacrymæ: Cæterùm per totam Hebdomadam Sanctam vinum delibare noluerat, quod plerique Poloni faciunt.

Interea Ioannes Baptiſta Groſſius, alter è Legati Amanuenſibus, vehementer ægrotauit, illique Sacroſanctum Chriſti Corpus Sacerdos noſter veſte Laïca indutus, nobis comitantibus, portauit. Habita eſt in cubiculo Legati ab eodem Sacerdote noſtro pia & erudita concio, quâ diei illius ſanctimoniam nobis commendauit. Quid verò per hos dies Lutherani egerint, coram non vidimus; noluimus enim illorum Eccleſias intrare, ne contaminaremur: didici

ego, illos ad sui paschatis celebrationem sic se comparare solere. Per quadragesimam non ludunt Organo. Feriâ quartâ & sextâ Christi passionem prædicant. In die denique Veneris sancta ieiunant. Ac tum demum quasi Chartusianorum abstinentiam adæquassent, maximum se Deo obsequium præstitisse arbitrantur.

IX. Post Missam mane rite celebratam, à prandio in montes Septentionem versus iuimus.

X. Ad Iacobi Ponthi *de la Garde*, magni Succiæ Mareschalli, villam iuimus per lacus glacie constrictos, verumtamen qui tunc ob aëris teporem, saltem in superficie, liquefiebant, ita vt restagnarent & diffluerent aquæ vndequaque, & ad equorum nostrorum genua rotarumque ferè axes peruenirent. At aurigæ nostri ductoresque qui tempus nouerant, quo tam solida lacuum fluuiorumque compages, ac veluti contignatio disrumpi, ac dissolui soleat, securè nos & intrepidè ductabant. Nullum tamen operæpretium erat, vt domus illa per tam ingens periculum adiretur, neque enim splendidior est domunculis illis, quæ in Parisiensi agro à mercatoribus minorum gentium, vel ab artificibus exstruuntur, quò diebus festis excurrere, otiarique solent. Non horti, non areæ; nihil plani, nihil æqui, aut recti, vbi deambules: non arua, non vineæ, non frugiferę arbores: At scopuli, salebræ, saxa prærupta, quibus turbidæ aquæ à liquefactis niuibus præcipitantur: Verumtamen ingeniosi homines has nouercan-

tis Naturæ iras ad suos vsus flectunt, & his aquarum præcipitiis molendina subiiciunt. Cæterùm in Procerum istorum atriis, vel cubiculis nulla peristromata, nulla nisi ex puro ligno sedilia: nihil denique splendidum, nihil ornatum præter ipsos. Parieti albo appensæ erant aliquot tabulæ, quarum vna erat Stanislai *Koniecpolski*, magni Poloniæ Mareschalli, cum quo decertaturum se esse propediem iste Suecicus gloriabatur; cuius & ipse virtutem, (vti virum bonum ac fortem decet) clarè, & ingenuè prædicabat. Narrabat ille, se, quando cum Moschis aduersus Polonos pugnaret, ab illorum manibus triginta Nobiles Polonos eripuisse, quos sequenti nocte mactare destinauerant: sicque barbaros illos erga suos captiuos gerere se solere. Vnde sors mihi Polonorum infelicissima visa est, quibus cum Moschis, Tartaris, & Turcis perpetua lis est finium regundorum, cuius disceptandæ Mars solus est arbiter. Coniugem ac Filiolam Mareschalli cùm alloqui Suecicè Legatus non posset, Varenni lyra, ac voce per semi-horam oblectauit. Imposita sunt mensæ sine linteis bellaria in Faentibus patellis: propinatum vinum tam merum, quàm saccharo, & aliis, vti solent, pharmacis conditum. Vt concludam: Sub tenui modicoque tecto ingentis animi, maximæque virtutis, & comitatis virum conspeximus; & cui olim in historiæ monumentis nihilò inferior tribuetur locus, quàm iis qui marmoreas, aureasque villas condiderunt.

Vndecimam Sueci festiuati sunt, vnum

enim præter nos festum Paschati, ac Pentecosti itemque Natalitio Dominico addunt, in expiationem pestis antiquæ, quæ per Sueciam aliquando grassata est. Post meridiem, vt se Legatus à grauioribus studiis recrearet, iussit, me sibi Senecæ Thebaïdem, ac Troadem legere; scilicet, vt iusti Lipsii de his tragœdiis iudicium experiremur.

XII. Ad montes Orientem versus ascendimus, vnde ciuitatem cernens miratus sum, quod amplissimi Regni metropolis, tot atque tantarum Prouinciarum Princeps, infelicibus scopulis alligata sit.

XIII. Regina Mater ad magni Mareschalli villam, deambulandi causâ se contulit. Decem Equitibus, inter quos ipse Mareschallus & Admiralius erant, rheda eius præcedebatur, quam ducebant Sex, instrati phaleris atris ad terram pertingentibus, equi. Sequebatur alia rheda, atra illa quidem; at duo aurigæ flauo (qui Reginæ regnantis color est) induti erant: quod quidem eò dico, vt quæ sit illius aulæ pompa atque impensa intelligatur. Nam & didici ab iis qui istud obseruauerant, Reginæ, dum apud Mareschallum cœnaret, quatuor aut quinque viros assedisse, quos inter erat Ericus Larsonus, qui ante paucos annos à Gustauo inter nobiles relatus fuerat. Fuit & illa tanta humanissimæ Reginæ comitas, vt, cùm Legati nostri domum eundo, ac redeundo præteriret, stantes ibi ante portam famulos etiam assurgendo salutauerit. Quod vnum potuimus, tubicini nostro, vt præ-

tereunti Reginæ lætum aliquid personaret, imperauimus, quò illi obsequia applaususque nostros significaremus.

XIV. Litteræ Parisiis allatę sunt Legato, quibus de Illustrissimi illius Patris morbo, ac recepta valetudine pariter nuntiabatur. At ille quasi cum fortuna summo iure decertare velle videretur, nec vllius officii, quod virum bonum deceat, esse debitor; & pii Parentis ægrotationi lacrymis, & pro restituta salute lætitiam, & sequenti die Deo Opt. Max. summam gratulationem, Dominicum corpus communicando, testatus est.

XV. Gynæceum Regium duabus elegantissimis rhedis extra vrbis portas gestatum est: credo, vt hac alacritate Reginam virginem, quę per hos dies ægrotauerat, conualescere significarent. Dictum est, incerto tamen rumore, Regem Angliæ ex equo inter venandum cecidisse, & post quatuor horas fato functum; Exercitum Comitis Mansfeldii à Duce Bernardo Vvemario cæsum: Exercitum Ducis Lotharingiæ à Marreschallo Fortio fugatum, rhedamque illius & alia impedimenta capta. An vera illa fuerint, tempus docuit.

XVI. Secus portum deambulauimus, vt de opportunitate maris aliquid possemus addiscere, an peruium, ac tutum esset, & proficisci liceret.

XVII. Aliqui ad Mazaræi portum deambulauimus, sic nuncupauimus locum in quem Mazaræus Vasco comportari curauerat tigna, &

longas arbores, vt nauim bellicam, quæ in medio ad portum aditu absorpta, ac demersa fuerat, cuiusque malus adhuc extabat, extraheret, quod quidem se facturum, certo constituto pretio, Proceribus Suecis spoponderat.

XVIII. Ad Regium Palatium me contuli, vbi ingredientes Regni Senatores satis otiosè consideraui, & quænam istius Aulæ facies, ratioque esset. Obseruaui Ærarij præfectum, vti alibi fit, maximo omnium comitatu incedere, plurimumque coli. Inde cùm Stenone Bonro ad Hippodromum deambulaui, vbi vidimus aliquot varii generis machinas bellicas tentari: circulos nimirum igneos, ac granata; quæ vel manu artificis iaciuntur, vel impulsu machinæ, quam *mortarium* vocant. Hæc mala circulique, cùm in terram deciderunt, disrumpuntur, ac dissipantur in varia frusta, ignemque vndequaque spargunt. Inseruntur ac veluti infarciuntur in illis tubuli breues pice illiti, quasi ferramenta illa quæ ensium vaginis præfiguntur, quibus inditur puluis, globulique plumbei intruduntur, qui vi ignis hinc & illuc diffunduntur, atque dissiliunt.

Cùm hinc redii, Missę interfui, postquam iterum Dominicum corpus Ioanni Grossio à viginti diebus ægrotanti, communicatum est, coram piissimo Legato, qui ad eum se contulit, & hanc supremam adolescenti minimè malo beneuolentiam, in antiqui fidique ministerii præmium testari voluit. At iste quasi impetratâ commeatus sui veniâ circa decimam nocturnam transiit

ad meliorem vitam, & ad meliorem patriam, quàm sit neque hæc vita, neque hæc Suecia, nec ipsa felicissima Lutetia, quam non sine læuo Puellæ vaticinantis omine mœrens reliquerat.

XIX. Ego & Theologus ad Petrum Saluium Aulæ Procancellarium iuimus, vt quid pro socii nostri sepulturæ facto opus esset, deliberaremus; neque enim illum in Lutheranorum Ecclesiis, aut cœmeteriis humandum esse censebamus. Consuluimus Reginæ virginis præceptorem illiusque libros, ac deinde Ecclesię Germanicæ Ministrum: discussâque illius bibliothecâ, decursisque tam nostris, quàm aduersariorum libris, omniumque apud Legatum relatione facta conclusimus tandem, nec in morte cum hæreticis communicare nobis licere. Itaque tametsi Regina Senatusque Suecię eligendi ad illam sepulturam loci, in quacunque liberet Ecclesia, facultatem daret, optauit Legatus locum in extremo Sudermanię suburbio, vbi colliculus erat, quem *Caluariam* nunc etiam vocant, in quo ad hunc diem extat Crux lapidea, anno millesimo nonagesimo sexto erecta; iuxta quam effossa est fouea, quæ propter loci duritiem, non nisi multo labore perfici potuit, plures enim tentati fuerant ligone, ac bidente loci, antequam satis pulueris atque arenæ ad condendum cadauer humanum inueniri posset. Itaque post vndecimam nocturnam, stipantibus satellitibus Regiis, quorum alii hastas, alii faces gestabant, comitantibusque omnibus Gallis, qui hîc eramus, nonnullisque aulicis,

mortuum nostrum in locum concessum intulimus. Ante ostium domus, vnde elatus est defunctus, Sacerdos noster Psalmum *De profundis*, nobis respondentibus, recitauit, indutus sultanâ ac longo pallio, impositâque collo stolâ, aspersitque aquam lustralem; omnia denique super fossa defuncti, quæ apud Catholicos fieri assolent, rite perfecimus recitantes, non canentes. Milites cæterique, qui illuc conuenerant, modestissimè se gesserunt. Commodissimè ingens qui illic iacebat lapis, vbi Christi Domini Crucem gestantis pompa insculpta erat, fossæ superpositus est, ac paulo post Regina suis sumptibus tumulum, lapideo septo in fornicem facto, concludi iussit, cui præfixa est ærea tabula insculptumque hoc à me dictatum Epitaphium.

Mons iste, in quo Dominicæ Passionis monumentum extat, à veteribus Suecis Caluariæ *nuncupatus, Piorum Christianorum qui suo sanguine fidem sparserant, fidem aluerunt, supplicationibus frequens fuit.*

Regnante Serenissimâ Christinâ, Gustaui Magni, & Mariæ Eleonoræ filiâ; cum Illustrissimus Claudius Memmius, Comes d'Auaux, *ad disceptanda Suecorum, ac Polonorum dissidia à Ludouico Rege Christianissimo extra ordinem Legatus per durissimam hyemem Stocholmi distineretur.*

Ioannes Baptista Geoffinus, Parisinus, alter ex illius Secretariis, obiit xviii. Aprilis, M.DC.XXXV. hic illi locus à Legato piè optatus, à Regina, atque à Quintum-viris piè concessus est, in-

gensque lapis, vbi Iesu Christi Crucem gestantis signum ab antiquo insculptum erat, corpori contegendo aduolutus est. Hanc insuper lapideum ambitum Serenissima Regina, quo suum in Catholicos Gallos amorem testaretur, religiosè extrui curauit. R. I. P.

XX. Celebrauimus pro defuncto priuatim officium defunctorum, & sacrosanctum Missæ sacrificium à Sacerdote nostro, eodem fine rite peractum est.

XXI. Lutetiam litteras dedimus.

XXII. Ad insulam, quam Palatio exstruendo Regina Mater optauerat, ego & Gernandus, cuius consuetudine pro sua virtute plurimum delectabar, deambulatum iui.

XXIII. Didici à Legato nostro egregium Legati cuiusdam Polonici facinus, quod illi pridie à Generali *de la Garde* narratum fuerat; nimirum per hos dies Legatum è Polonia in Moscouiam aduenisse, maximo (vt solent) comitatu, quadringentorum videlicet hominum, quique Imperatori Moscho plurima eaque preciosa munera Regis sui nomine obtulerat, rhedam nimirum holosericam, auro ac vnionibus intertextam, sex equos nigros, sex itidem candidos, peluim auream cum aquali aureo. Admissum hunc Legatum in magni Ducis curiam, vbi ille in solio sublimis sedebat, in medio Procerum ac Senatorum. Tum demum silentio facto, Legatum Regis sui titulos, ac Prouinciarum quibus imperat, nomina longo ordine (vti assolent) appellauisse, nudo illa capite: tum se

contexisse: Deinde cùm, se ad Imperatorem Moscouiæ missum diceret, eius itē titulos detecto iterum capite nuncupasse, ac postea tecto iterum capite perorasse. Eum verò qui Imper. Moschi nomine responderet, illius quidem titulos nudo capite recitauisse. At cum ad Regis Poloniç titulos item sigillatim appellandos ventum esset, id illum tecto capite incepisse. Quam cùm inurbanitatem, siue contemptum Legatus Polonus ferre non potuisset, superbo illi ac rustico auersâ manu pileum excussit, genasq; strinxit, Regisque sui contumeliam, magnificentissimo Principe spectante, nec prohibente, strenuò vltus est. Incredibilis viri audacia fuit, id attentasse facinus in eodem atrio, in quo, Legato cuidam Italo, quia capiti pileum admouisset, capiti pileus clauo affixus est.

Ista die iui ad balnea, experiundæ scilicet vtilitatis causâ. Ibi ex ingenti æstu, qui ad varios gradus ex libito suscipitur, manat ab vniuerso corpore sudor, qui nisi satis copiosè diffunditur, virgarum flagellatione prouocatur: istique, quod mireris, ministerio ancillæ inseruiunt solis suis interulis tectæ, quæ nullâ verecundiâ, nullo etiam fortasse flagitio, homines nudos contrectant, & vnguibus fricant, pædoremque corporis, ac capitis distringunt, ac smegmate linunt, poliunt, atque dealbant, aquam vndequaque iniicientes: Conueniunt illuc promiscuè cum viris fœminæ, puellæque, singulis hebdomadis: habent illæ interulas, viri pudenda sua virgularum fasciculis contegunt: mos illis ac

vtilitas hunc pudorem excussit: nec ipsæ castissimæ mulieres hæc loca aspernari solent; illuc cum maritis, & liberis eunt. Plerique ibidem se cucurbitulis ferè totos contegi iubent, vt sanguinem, quem ex nimio potu contrahunt, exsudent, totique cruenti sunt: spectacula visu horrenda. Qui ditiores sunt, habent sibi balnea domi priuatim. Ibi, cùm frigidam, quæ mihi à socio iniiciebatur, declinare vellem, lubricatione pedis in sinistram capitis partem lapsus sum, perque vnum aut alterum diem dolui. Cataplasmate rosarum vino calenti illitarum dolorem hunc sedaui.

XXIV. Valetudini indulsi, non quia multum Reipublicæ, sed mea plurimùm intererat.

XXV. Totus tetricus & æger ex meo lapsu ad Ioannem Lehoutzium, qui inter Regis Gustaui Amanuenses fuerat, me contuli, quem audiui libentissimè principia & causas belli Germanici à Gustauo suscepti enarrantem. Vtilissimum profectò esset historiam illius temporis perscribentibus hominem illum consulere, cuius ego personam in ista rerum scena non exigui momenti fuisse existimauerim. Aiebat enim, eo tempore, quo Lubecæ Imp. Commissarii cum Daniæ Commissariis de pace, rebusque communibus inter se tractarent, deputatos fuisse à Gustauo quosdam Sueciæ Proceres, quos ad illum Tractatum destinabat: qui quidem antequam Lubecam aduenirent, litteras Lehoutzio dederant ad Imperatoris Commissarios, à quibus ad

hunc conuentum admitti postulabant: quas cùm ipse litteras Imperatorio Secretario obtulisset, noluisse Secretarium illas accipere, tametsi interpellatus sæpius fuisset: Itaque cùm se longiùs deludi pati non posset Lehoutius, venisse ad eum locum in quem Commissarii conueniebant, ac duce puero honorario ad ianuam vsque, vbi Consilium habebatur, penetrasse, vt litteras illis suas ipsemet offerret: at se ab ingressu cubiculi prohibitum fuisse, audiuisseque ex illis quendam qui sexaginta fustium ictus infligendos esse dicebat: Verumtamen nescire se, an sibi, an puero, à quo ductus fuerat, hæc verbera intentarentur. Quam ob repulsam cum ad Regem suum, qui Nicopiæ in Suecia erat, reuertisset, & omnia illi fideliter retulisset; iterum Lubecam à Rege remissum protinus fuisse: Vbi cùm ad Baronem Diectrenstin, qui Imp. Commissariorum Princeps erat, admitti non posset; opertum fuisse tempus, quo Baro ad venationem egrederetur, eique in media platea litteras suas porrigere voluisse. At Baronem respondisse, se extra Collegarum præsentiam illas accipere non posse: veniret itaque ipse, si luberet, ad Consilii locum. Quò cùm sæpius ipse venisset; nec admitti posset; tandem assumpto notario cum duobus Lubecæ ciuibus introduxisse se ad Cõmissarios, petiisseque, vt aut litteras acciperent, aut se accipere nolle scripto testarentur: huius verò postulationis instrumentum sibi confici à Notario, testibusque requisiuisse, atque impetrasse. Quo quidem tam audaci facto indigna-

tum Baronem, qui Consilio præerat, Notario, qui suum contra Imp. ministerium præbuerat, fustium inflictionem minitatum esse.

Cùm ex Lehoutzio quærerem, num aliquid sibi periculi à Commissariis metueret? Respondit, se, si voluisset, vniuersam plebem Lubecensem in illos concitare potuisse, si tantùm duas ceruisiæ amphoras profudisset: Lutheranos quippe istos animo ab Imperialibus Officialibus, qui Catholici sunt, alienissimo esse; ad Gustauum verò, qui euangelicæ veritatis & Germanicæ pariter libertatis propugnatorem se profitebatur, tunc temporis fuisse propensissimo. Profectò iste contemptus Gustaui animum vehementer affecit, atque inter cæteras multas impressionis in Germaniam faciendæ causas, non mediocre fuit istud incentiuum. Crediderim ego tamen ætatem Lehoutzii, qui viginti quinque annorum tantùm erat, itemque hominis conditionem, qui mercatoris filius, Commissariis magnificè de se sentientibus, despectui fuisse: toti quippe sunt isti Germani in originibus & stemmatibus, plebeiosque nihili ęstimant. At peccant in hac plerumque parte; existunt enim è popularibus familiis claræ per sese indoles, quæ sequenti postea soboli, ac propagini initium tribuunt, vnde virtutum incrementa nascuntur, ac pullulant: Strenuum profectò, & industrium se iste gessit, dignusque fuit, qui à tanto Principe difficili, ac periculoso muneri destinaretur: diligentiâ certè summâ vsus est, qui Lubecâ Nicopiam, Nicopiâ Lubecam octiduo re-

petiit, quæ vrbes centum quinquaginta milliaribus distant, triaque maris Balthici freta, quæ per Daniam transeuntibus enauiganda sunt, iterum atque iterum pertransiit: ita vt se suo ipse Regi Imperatoriisque Legatis pro sua incredibili celeritate admirandum dederit. Cùm ex illo quærerem, quodnam ipsi tanti fuisset pretium cursus. Sola (inquit ille) qua solari meipsum soleo, rectè facti recordatio. Ergo (inquam) eiusdem fortunæ iniquitatis particeps tecum ero, quem nulla tot discriminum ac laborum, quos pro meo Rege ac patria suscipio, manet merces.

XXVI. Socii nostri defuncti tumulum adiimus, bene illi precati; indeque ad montes vicinos, vbi per aliquod spatium sedimus otiosi ac meditabundi.

XXVII. Intermissum Diui Marci festum celebrauimus.

XXVIII. Literas à propinquis amicisque meis accepi, quibus admodum me oblectaui: dum se vniuersi socii mei Treuirensis cladis nuncio angerent.

XXIX. Inuitatus fuit ad prandium Legatus à Mareschallo Generali *de la Garde*. Aderat Archidapifer, Admiralius, Ioannes *de la Garde*, Axelius *Bannier*, Aulæ Mareschallus, Mathias *Soope*, & Petrus *Spare*, Regni Senatores: aderat Petrus Vvibius, Agens Regis Daniæ; Plures itẽ Sueciæ Colonelli, nosque omnes è Comitatu Legati. Nobiles viri fercula inferebant: Conuiuium ad tres aut ampliùs horas protractum

est:

est: ad ducentos thaleros vinum aut bibitum, aut profusum: dapes non admodum delicatæ, neque nobis admodum sapidæ, suo quippe more illas condiunt. At bellaria ex sacchararo non iniucunda fuerunt: Omnium enim minutorum animalium ac florum species ad Naturæ typum exprimunt. Sublatis mensis ad noctem vsque tripudiatum est, interimque incessanter bibitum.

XXX. Partem cum Vvibio, partem cum Gernando, Germanicis addiscendis transegi.

Prima die Maii, quia Agens Ducis Moscouiæ pro sua vel suæ gentis barbarie, à Legato nostro salutando abstinebat, & nos tamen istiusmodi homines alloquendi contemplandique libido incesserat, iui ego cum Theologo nostro, Molæo, ac Ioanne Fuskio Polono, in domicilium Agentis Moscouitici; hoc prætextu, vt Sacerdotem illius viseremus: nam suspicabamur, illum, aut Latinè, aut Græcè, aut Italicè loqui. Deprehendimus verò ipsum Agentem in sordido cubiculo, cum duobus Scotis bibentem: propinauit ille statim mihi ingredienti combustum, ac deinde ceruisiam: at per Polonum nostrum, cuius sermo à Moscouitico non longè abhorret, declarauimus, nos illius Sacerdotem alloqui tantùm cupere; erat verò illius Sacerdotis cubiculum in quo eramus; vbi in angulo plurimas variorum Sanctorum breues tabulas affixerat: ligneæ erant illæ, infuscatæ omnes, ac subnigræ, nescio an vetustate, an arte: eminebant inter illas, Iesu Christi, B. Virginis, & D.

Nicolai, quem pari ferè cum Christo honore, & cultu prosequuntur. His imaginibus erant subterfixa candelabra: erat & inter illas ligneus Crucifixus, quem cùm Theologus noster leuiter attigisset, exclamauit subitò sacerdos Moscus, quasi grande piaculum admissum fuisset; dixitque, nefas esse quenquam istud attrectare, ne, si fortè in peccato mortali constitutus esset, præsenti, ac subitaneâ pœnâ mulctaretur. Impositus erat liber pulpito portatili, quem euangelii librum esse dicebant: mihi statim à primo conspectu characteres illi perpulchri, ac lectu faciles visi sunt, ad Græcos enim proximè accedunt; at cum illi ipsi legunt, longè à pronunciatione Græca absonant. Cæterùm libros illos typò impressos credidissem; adeo rectè manuscripti sunt. Sunt illi Sacerdotes ex Monachorum ordine, vestiti quemadmodum apud nos Benedictini, nisi quod in capucio vel potiùs occipitio, habent veluti dependentem placentam. Barbam illi alunt, Laïci non item, sed radunt. Indoctus erat ille prorsus, nec vllius linguę vsum, aut notitiam habebat, quàm suæ Ruthenicæ: Cæterum suorum rituum apprimè tenax. Sub lecto quodam misero istiusmet cubiculi erant iacentes sex, aut septem pueri laceri, ac ferè nudi, qui lectionem quisque suam admurmurabant; quid in comitatu Agentis agere, aut præstare possint, nescio: nec potuimus interrogare de omnibus propter linguæ difficultatem: solus ipse Agens loquebatur Germanicè. Læto nos alacrique vultu ipsi exceperunt, manus-

que inuicem nobis prensauimus.

II. Legatus noster à magno Sueciæ Admiralio ad armamentarium maritimum ductus est, vbi iurisdictionem ipse suam exercet, vbi reposita sunt quæcumque instrumenta & arma ad rem maritimam pertinent. Ibi etiam oblata nobis fuerunt bellaria, merumque propinatum ac diffusum. Vniuersam deinde classem, quæ in quietissima statione hæret, lustrauimus. Præcipuam inter alias ascendimus nauim, quæ sexaginta passuum longitudinis est, & latitudinis congruæ; altitudinis verò tantæ, vt si de summa puppe in mare despicias, oculi turbentur atque caligent. Quatuor habet illa foros siue pontes: cubiculum, præcipuum est vndecim passuum longitudinis. Quid multa? Longè capacior est illa nauis, quàm sit vniuersa domus Admiralii, & ipsius Archidapiferi, qui Procerum omnium Princeps est; vnde prædicari facile, ac verè de his hominibus potest, quod de Romanis alicubi asserit M. Tullius, eos priuatim parcos, publicè magnificos fuisse.

Ductus est deinde Legatus ad eum locum, vbi dispositæ sunt, quino aut seno ordine bombardæ bellicæ, quas de variis hostibus abduxerunt. Magnificum profectò, dignumque visu spectaculum, & quod Suecis longè maximos animos, ac spiritus efficiat! Hæ de Moscis, illæ de Polonis, istæ de Cæsarianis, ac Bauaris ablatæ sunt. Cùmque hæc gloriantur, & iactant, fides illis derogari non potest; insignia quippe, emblemata, ac nomina Regum Imperatorumque

durissimo ære insculpta sunt. Sunt præsertim quædam quas de Polonis tulerunt, quas fractas iudices, funibusque religatas: at funes illi ærei sunt, atque ad speciem tantùm facti, optimæque omnium illæ machinæ. Transiit postea per aream Palatii Regii Legatus, vt decem alias maiores bombardas, quas de Moscis Gustauus reportauerat, propiùs intueretur: Sunt illæ optimi æris, eximiique operis, vbi & emblemata, & litteræ Ruthenicæ egregiâ cælaturâ insculptæ sunt. Præcipuæ duæ sunt duodecim pedum longitudinis; congruæ crassitudinis, rotis, ac ferculis impositæ, atque ita dispositæ, vt inter illas spatium relictum sit, quo è culina Regiæ dapes afferuntur, quasi odore, ac suffitu pulueris tormentarii cibos suos condiri, ac inungi Rex bellicosissimus voluisset; vel etiam, vt sua Regibus patrimonia, his titulis constare, & amplificari significaret: à quo quidem sensu non abludit strepitus ille tympanorum ærreorum, ac tubarum, qui ferendis Regum dapibus, in toto Septemtrione, adhibetur. Cùm hæc omnia perlustraret Legatus, à Gynæceo Regio conspiciebatur curiosè è fenestris: Vidit etiam Sacellum Palatii satis longum marmoreis columnis, quæ de Finlandia asportantur, sustentatum.

III. Reginam Matrem Legatus inuisit, cuius præsentiâ per aliquod tempus caruerat, & cum illa, ac Principe Palatina, & Auaugurio chartis lusit, nobis adsistentibus. Profectò tantam comitatem cum tanta maiestate, ac pulchritudine alibi visurum me non spero: Nam,

si peccari nimia comitate potest, peccat illa identidem, cùm omnibus assurgit, omnes vel oculis, vel gestu, & nutu salutat. Enarrauit illa Legato consilium de extruenda sibi domo in insula vrbi obuersa: iussitque afferri suas chartas quibus ædificium, & hortos, omnemque consilii sui aream delineauerat. Iucundissimum erat elegantem feminam audire de omni Architectonices parte scientissimè disserentem; de Dorico, de Ionico, de Corinthiaco opere: quæ materia, quæ cæmenta, vnde peti, importarique possent: Vnde conducendi artifices, atque operę: quo sumptu, quo tempore: omnia denique, quæ frugi paterfamilias prouidere possit, sapientissima Regina sua sponte destinauerat, discertéque eloquebatur: quoque fideliùs hæc omnia Legato indicare posset, illum ad lustrandam suam Insulam in sequentem diem inuitauit.

IV. Sex seiugis rhedis, in Reginæ Insulam profecti sumus. Legatum illa in sua rheda deduxit cum Principe Palatina, elegantissima puella: aderat Admiralius, vir senex, attamen nec tetricus, nec insuauis. In arduam rupem pedibus ascendit ipsa Regina comite Legato, qui illam sustentabat: singulas illius virgines, ac feminas singuli ducebamus: plurimi hinc inde Nobiles Sueci equis, ac pedibus discurrebant. Didonem mihi Virgilianam intueri videbar, quæ sua Æneæ consilia, sua opera demonstraret. Per vniuersam Insulam inter proceras, viridesque etiam per hyemem, arbores in rhedis deambu-

lauimus. Illa mihi species fuit gestationis illius, quæ in Bononiensi vel in Vicennensi saltu ad Lutetiam fit.

Post circuitam Insulam deuenimus ad quendam locum, in quo erigi tabernaculum Regina iusserat, in plures diætas diuisum: suum illa cum feminis ingressa: suum Legato seorsim tributum est, vbi nitidissimis mensis pulcherrima pro regione bellaria imposita erant. Vinum illic largè profusum, Regumque ac Reginarum incolumitati liberaliter propinatum.

Reduxit Serenissimam Reginam in Palatium Legatus; ac cubiculum ingressus sedit cum illa, reliquis stantibus, assidente tamen Palatinâ Principe, Gustaui ex sorore nepte, in cuius gratiâ Legatus Varennum cantare iussit, dum interim ille Reginam, Gernando Interprete, de Musica non cogitantem affaretur. Aiunt enim illam ab excessu Gustaui, nullas vel licitas voluptates degustare voluisse. Confessus est mihi Gernandus Legatusque ipse sæpissimè, cùm inter loquendum, de Gustauo mentio incideret, oboriri piæ Principi lacrymas, diceréque solitam *mein gluk ist gestorben*; quod est, *felicitas mea periit*. Quod quidem illa verè profiteri potest, tam ob dilectissimi Coniugis iacturam, quàm importunas quorumdam excubias, qui illam acriter nimis, ac rigidè obseruant; quod & ipsi annotauimus: nam cùm hâc ipsâ die ab aliquo de hora admoneretur, continuóque Legatus surrexisset. Credo, inquit illa, istos horologium præcipitasse: adeo Illustrissima Princeps familiaris honesti-

que colloquii indiga, & amans est.

V. Ad Erici Larsoni Vvanderlini villam, ex illius inuitatione se contulit cum suo vniuerso comitatu Legatus; & quia per cæli temperiem peruii amnes erant, atque fluuii, nauigiis iter istud hilariter à nobis confectum est: domum nitidissimam inuenimus peristromatis ex deaurato, pictoque corio, vndique ornatam; non carò emptis dapibus fuerunt instructæ mensæ, at suauissimis ac tersissimis: lances ac disci argentei: crateres ac scyphi pariter argentei, ac deaurati: Regi Christianissimo Reginisque Sueciæ bibitum est. Totius conuiuii ac colloquii ornamenta fuerunt Vvandelia, & Elizabetha sorores, tam comptæ, tam venustæ, tamque Gallicum in morem indutæ locutæque, vt me ad sancti Clodoaldi pagum delatum esse suspicarer, præsertim cum hortulum cultissimum, & plantis nostratibus, atque arboribus consitum intuerer: nec deerant aquarum subsilientes tubi, qui incautos aspergerent. Ibi erant balnea, ibi alia ad commoditatem atque ad voluptatem pertinentia. Notauimus ver illorum integro mense tardiùs, quàm apud nos oriri.

VI. Quæ Dominica fuit, à prandio, ne nihil agerem, ad Ecclesiam Germanicam me contuli, ac post preces publicas, mei causâ, Organistes omnia instrumenti sui discrimina modulosque tetigit. Duabus magnis altaris columnis Petrus cum clauibus, Paulus cum ense affixi sunt: à duobus verò exterioribus lateribus de-

picti sunt ab vna parte Lutherus, cum hac inscriptione, *Veræ religionis propugnator acerrimus, ac Theologus consummatissimus, Dominus Martinus Lutherus.* Ab alia parte, Melanchthon cum ista; *ἐγκυκλοπαιδείας Professor, ac sacræ Scripturæ Interpres ἀκήριος, Philippus Melanchthon.*

VII. Legatus, quem ad proficiscendum anni tempestas inuitabat, Serenissimæ Reginæ Puellæ, coram Regni Proceribus elegantissimo sermone Latino vale-dixit: Illa quippe Latinè iam incipiebat intelligere. Responsum est Latinè illi à Procancellario, Petro Saluio, reductusque est domum Legatus à duobus Senatoribus.

Descendi cum sociis ad portum, vbi merces Batauicæ expositæ erant, plurimæ enim à paucis diebus aduenerant: Vina, sacchara, caseos, nuces, aliaque id genus important, Faënsia vasa, puppas etiam, vultusque gypseos, crepundia, & ludibria puerorum, subtiliores telas, mala punica, omnia denique quibus Suecia indiget, Indi, Indorumque populatores Bataui abundant.

Defunctus est illa ipsa die Thuro Liliesparus, vir bonus ac strenuus, qui Legati nostri Aulæ Præfectus erat, quod officium *Prestauum* vocant: assidebam ego illi proximus in mensa per omne tempus, quo Stocholmi fuimus, sinistrumque latus mihi tegebat: At miser Grossius, quem ante viginti dies extuleramus, dextrum mihi plerumque texit, quæ cùm apud ani-

mum perpenderem meum, erupi in exclamationem Dauidicam; *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit!* det illis clementissimus Deus, nobisque superstitibus, peccatorum veniam.

VIII. Legatus Reginam Matrem adiit, vt etiam ab illa exeundi potestatem impetraret. Interprete vsus est Principe Palatino, qui obsequiosa verba vtrinque excipiebat, vtrinque referebat. Gallicè locutus est Legatus. Postquam Serenissimæ Principi manus osculatus est, nos idem ordine fecimus. Inde ad Aulam, vbi Senatus habebatur, Legatus se contulit, Latinéque illis locutus est, tametsi omnes, excepto Archidapifero, Gallicè & loquerentur, & intelligerent: stantes collocuti sunt, nobis paululum remotis. Inde Generalis *de la Garde*, & Admiralius cum Legato priuatim pransi sunt, Post prandium Principem Palatinum inuisit Legatus, qui illum in imis Palatii Regii gradibus excepit, tametsi altissimè degeret, reduxitque ad rhedam: Salutauimus illum omnes. Transiuit deinde Legatus per Vanderlini Domum, tota vrbe splendidissimam, vbi plurimas præclarasque vidimus tabulas atque signa, quorum habeo Catalogum propter insignium artificum atque pictorum nomina. Sunt illa Herbipolis, Monachii, aliarumque captarum à Gustauo Vrbium spolia, neque enim veteres Sueci istis comparandis pecuniam suam impenderunt.

Cum rediissemus domũ, P. Sparus, è Sueciæ Se-

natoribus, & Petrus Saluius, cum Secretario Aulico, ad Legatum à Regina missi sunt, qui illi torquem auream, vnde imago Reginæ lapipillis adamantinis exornata pendebat, obtulerunt; nobisque singulis item armillas cum aureo numismate. Regina Mater, cuius nullæ ferè sunt in administranda Republica partes, quæque ab hoc sumptu abstinere honestè potuit, pro sua tamen comitate, atque elegantia, suæ vtique Legato beneuolentiæ pignus extare voluit, Gustauique imagunculam adamantinâ pyxide inclusam donauit, inscriptis duobus Germanicis versibus, quos antea commemoraui. Istorum munerum sequestris, rependit liberalissimus Legatus vicissim sua munera.

IX. Proceres Suecicos ex dignitatis ordine salutatum iuit Legatus.

X. Cum Stenone Botto, & Gustauo Horno, Mareschalli Cognato, & cognomine, Suecicam Gazam, siue Thesaurum, vbi pretiosa Regni supellex recondita est, quod vehementer cupieram, perlustraui. Profectò (neque id ipsi negaturi sunt, nisi suæ ipsos frugalitatis pœniteat) ante Gustauum tenues erant ac modestæ illæ diuitiæ. Nihil neque fingo, neque reticeo. Quod illic imprimis notatu dignissimum est, Cornu est quoddam nigrum atque recuruum, quod *Diabolicum* vocant, olim ab Equite quodam Sueco ipsi Diabolo, qui Satyri, aut Hirci, formam induerat, in singulari certamine auulsum atque ereptum. Aiunt enim, pium illum ac generosum Equitem, cùm sacro-sanctâ illâ ac

solenni nocte, quâ Natalis Dominicus celebratur, ad Ecclesiam per lucum transiret, incidisse in Strigum choream, omnesq; protinus ad illius conspectum euanuisse; vnum relictũ Dæmonem, cum quo certamen inierit, ac post acerrimam luctam Cornu illi alterum abstulisse. Vnde postea Insignibus suis Cornu insculpserit, & à popula *Diabolus* cognominatus fuerit. Ad hunc vsque diem illius Posteri, qui in Suecia ac Dania propagati sunt, eo nomine appellantur, vulgò *Trolle*. At istud ipsum Cornu in illa pretiosa supellectile Suecica diligenter hactenus seruatur: Tetigi ego illud, elaboratumque est ad bibendum, in cymbæ formam, & quatuor pedibus argenteis sustentatur: bibissemque in illo lubens, nisi puluere sordidum intus fuisset; nam & inter bibitorii generis vasa collocatum est, conchas nimirum, auro argentoque prætextas, aliasque pateras. Sunt illic præterea sex ingentes crateres argentei deaurati, altitudine quatuor, aut quinque pedum, in quibus infantes toto corpore mergi possint: vocantur hi calices Germanicè *vvilcom*, id est, *bien-venu*, quia suos hospites aduenientes his poculis excipiunt; eósque mutuis propinationibus deni vel duodeni exhauriunt; vt in Nuptiis Danicis suprà notaui. Est & illic ingens peluis argentea, quinque spithamarum latitudinis, recentis operis, quæ Gustaui ætatem non excedit. Est insignis ensis Damascenæ chalybis, quo Sueci Reges suos Equites, ab antiquo instituere solent. Est corytus seu pharetra smaragdis sparsa, Magni Tartarorum

Chami ad Gustauum munus. Sunt duo illic, terrestris cælestisque, Globi argentei, quos ciuitas Norimbergensis eidem Gustauo, eximio opere cælatos insculptosque obtulit, cùm se ab illius impressione redemerunt. Secti verò sunt illi Globi horizonte tenus, ita vt superiore parte, quæ operculum est, demptâ atque sublatâ, inferior, crateris loco, ad bibendum seruiat. Vnde apparet, multò accuratiùs, quàm Anacreontem ipsum, Germanos istos in materia bibendi esse philosophatos: Cùm ille Cælum & Terram per vices bibere, ac sese exhaurire fingat: Isti verò Cælum & Terram perpetua pocula & crateres esse voluerint. Animaduerto tamen in Annalibus nostris, huiusmodi Globum Cælestem ex auro solido, à Carolo V. Rege Galliæ, Imperatori Carolo IV. cùm è Gallia discederet, in amicitiæ tesseram donatum fuisse.

Reliqua omnia quæ sigillatim vidi, opima sunt Herbipolis, ac Monachii, spolia à Gustauo nuper asportata, tabulæ præsertim insignes à præstantissimis pictoribus factæ: quarum nónullę pię, nimirum historiæ, ab Alberto Durero, & vtroque Luca: aliæ, profanæ ab H. *Schopfer Resinger, Burgmaiter, Fesele*, qui omnes eximii artifices fuerunt, depictæ sunt, ac ferè singulæ Bauariæ insignibus inscriptæ. Habentque suos cancellos siue margines, purissimo auro illitos, atque integros, nec à viarum offendiculis læsos. Vt non percenseam vniuersas: est ibi imago B. Virginis ab hoc vltimo Sigismundo, Rege Polonię, ante paucos annos facta, atque ad Guil-

Iélmum Ducem Bauariæ ab illo missa, elaboratissimi, ac perfectissimi operis. Visuntur & hîc nõ sine acerbo Catholicarum mentium sensu, Cruces ex auro solido, consecratique calices, lituique Episcopales, aliaq; vasa Ecclesiastica, è Germaniæ templis direpta, quorum pleraque gemmis, & lapillis pretiosissimis sparsa & decorata sunt. Eminebat inter alias Crux quædam alta duorum, aut ampliùs pedum, pretiosissimi, subtilissimique pariter operis, in qua inserta erat non exigua Dominicæ Crucis particula, quam cùm ego pronus deoscularer; deridebant me isti Sueci, qui mihi paulò antè, Cornu suum Diabolicum cum summa seu vetustatis, seu dæmonis reuerentia ostenderant, crediderimque, si hanc sacram particulam, ab aliquo potestatem habente, mihi donari postulassem, me illam facillimè impetraturum fuisse. At rogandi, flagitandique partes, pro insito mihi à natura nimis fatuo pudore, indecentissimæ semper visæ sunt. Vidi ingentem craterem ex Achate lapide, cum pari operculo, vnius pedis è diametro latitudinis, quem circuli aurei circundabant, gemmis sparsi; quem quidem existimauerim apud Catholicos condendis sacrosanctis Hostiis inseruiisse. Vidi vnicornis integrum cornu, hominis staturâ altius, coloris leucophæi. Vidi numismata aurea, & argentea veterum Cęsarum à Iulio ad Adrianum vsque: disposita sunt illa in scrinio per tabellas, & vniuscuiusque Cæsaris tabella centum & octo numismata continet. Sunt & alia permulta minùs antiqua, magno

sumptu diligentique labore ac studio conquisita. O rerum vices! annos per octingentos, Duces Bauariæ, cæterique Germaniæ Principes atque Ciuitates, congerendis Thesauris; Imperatores, illeque imprimis Carolus Magnus, ditandis Ecclesiis; ipsi denique religiosissimi Antistites, amplificandis, suâ summâ parsimoniâ, patrimoniis collaborarunt, vt illæ omnes Gazæ atque diuitiæ vno die Suecis cederent:

----- *en queis consevimus agros!*

Cùm ista omnia curiosissimis oculis vsurpassem, redii domum, & cum Legato ad Ioannis Grossii, socii nostri nuper sepulti, tumulum iuimus, illique bene precati, æternùm vale-diximus: nulli enim è nostris in has terras reuertendi animus relictus est, tametsi summam Incolarum humanitatem experti sumus.

XI. Maii, quæ veteris Calendarii prima est, Stocholmo profecti tandem sumus, Vice-admiralio nos comitante ad dromonem vsque, qui ad pedem Arcis, vt ab Aulicis exeuntes despiceremur, paratus fuerat. Prætermitto dicere, quo populi concursu stipati, quibus amicorum prensationibus & osculis salutati, quibus votis à Gynæceo Regio, è summis speculis confertim prospectante, adiuti fuimus. Post quatuor decursa secundissimo mari milliaria, ad pagum, qui vocatur *Daler*, nauim nostram maiorem conscendimus: hinc, quia vndique freta angusta sunt, crebrisque saxis & promontoriis interrupta, tametsi quinque circiter diei horæ superessent, emigrare noluimus.

XII. Summo mane nauigauimus, prætervectique sumus Elsnapiam, portum illius regionis, nullo commercio celebrem: ac meridie mare plenum ingressi sumus.

XIII. Peruenimus ad Insulam Gotlandiæ, quæ Regis Daniæ ditionis est.

XIV. Conspeximus otiosi propter tranquillitatem maris, hanc Insulam, quæ viginti milliarium longitudinis est, vidimusque procul vrbem *Visbu*, aberamusque ab Insula vno circiter milliari, eratque nobis ad sinistram. A dextra Insulam OElandiam, quæ Suecicæ ditionis est, septemque milliaribus à Gothlandia distat, conspeximus, quamuis difficulter tamen. Duabus horis ante meridiem excitatus est ventus à parte *Sud-ouëst* (nam ad Meridiem à Septemtrione rectà tendebamus) & cum hoc vento, qui quadrans solùm erat, satis properauimus, non sine commotione stomachi ac nausea, quam quidem ego abstinentiâ cœnæ euitaui. Nox mihi sequens, si periculi expers, formidinis certè non fuit, cùm in fundo nauis, in lecto Nauarchi decumberem, fluctuque & exundatione, quæ lectum exuperabat, quasi allidérer, ac obruerer: nam tametsi Nauarchus, vir strenuus, idemque maris peritus, me iuberet esse bono animo, identidem tamen me vndarum strepitus, & nauis concussio commouebat, quatiebatque.

XV. Idem nos impulit ac concussit ventus. Interea, quò tædia, nauseamque plerique è nostris fallerent, variis ludis, saltibusque se inuicem lacessebant. Inter omnes robustissimum se

exhibuit Gustauus Oxenstierna, filius Magni Sueciæ Archidapiferi, qui cum N. Guldestierna, & Iacobo Vanderlino Legatum comitatus est.

XVI. Summo mane Dantiscum vidimus, atque circa horam nonam anchora iacta est ad vadum, quod ab vrbe duobus milliaribus abest. Nauarchus noster in dromone ad vrbem latus est, per vndas ingentes, vento tamen impellente, ac secundo: at quia ab vrbe ad nos redire non potuit, inuitissimi hunc diem in perpetua iactatione transegimus. Nec se Neptunus modò cum suis aquis ac tempestatibus incommodum præbuit, Vulcanus & ipse nos, imò etiam magis terruit; nimirum ex lixarum incuria subitum incendium ortũ est, in culinæ camino, quod statim tamen extinctum est. Ingens discrimen fuit ex copia pulueris tormentarii, qui in huiusmodi nauibus armatis seruari solet. Iam Gustauus Oxenstierna, quàm strenuus est, egoque in puppim celeres ascenderamus, ad euocandos remiges, qui in aliis nauibus erant, vt ad auxilium nostrum properarent, quod fortasse tardius esse poterat ex longinquitate nauium illarum, ac procellis maris.

XVII. Cùm mare paululum resedisset, nec repugnaret adeo ventus, duobus dromonibus, quos Henricus *Canasilhes*, Consul Gallorum, ad nos adduxit, Dantiscum, quod & Gedanum, petiimus: milliare maris transiuimus inter præsidiarias Suecorum naues, quæ hunc portum obtinebant, scilicet, vt vectigali exigendo, quod ad

ad quatuordecies centena millia Thalerorum perueniebat, vim suppeditarent. Dum illas naues præteruehebamur, crebra machinarum bellicarum fulmina ad nos salutandos tonuerunt. Ventum erat ad Vistulam, quò maiores naues intrare non possunt: at ibi pusilla nauis è San-maclouiensi Galliæ vrbe nos transeuntes duabus displosis machinis, quas solas habebat, salutauit. Aliquo spatio in Vistula emenso, Reip. Dantiscanæ Secretarius Petrus Kemnitius, Legatum dromone tecto exceptum venit, verbisq; Latinis allocutus est, deincepsque, ex quo Borussiam attigimus, quasi Latium vetus vsurparemus, Latinè transacta sunt omnia. Arcem Vveisselmundam, hoc est, Vistulæ ostium, quàm longa illa est, præteruecti sumus, cuius mœnia ac valla militibus prætexta erant, qui nos tympanorum strepitu, & sclopetorum repetitâ displosione salutauerunt, non sine maiorum machinarum tonitru. De istius Arcis præsidio, situ, ac munitionibus, ampliùs dicam postea; neque enim illam tunc perlustrauimus.

Terram tandem optatæ Borussiæ contigimus; & octo rhedis, quæ nos ad littus fluminis prope Vrbis portam expectabant, excepti fuimus, præeuntibus nonnullis equitibus Polonis aut Croatis. Erat illa felicissima dies, quâ in terram descendimus, Dominicæ ad Cælos Ascensioni festa. A decem mensibus Catholicam Ecclesiam non videramus: hora erat ante meridiem decima: rectà ideo ad Ecclesiam Dominicanorum Legatus deferri voluit. Dici satis non potest,

quàm incredibili gaudio tentati fuimus, cùm ſtatim atque ingreſſi ſumus, Proceſſionem Dominici Corporis vidimus inchoari, organa pulſari, ingentem populi turbam circa Legatum ſtipari, qui cereum gerens, vota pro felici itinere aduentuque perſoluebat; iucundum item nobis fuit, videre miſtos Germanis Polonos, habituque ac veſte planè differentes, in eodem Dei Opt. Max. cultu conſpirare. Indè domum, quæ Legato deſtinata fuerat, adiuimus, in quam ſtatim aduenerunt duo Gedanenſes Senatores, qui aduentum Legati gratularentur Latinis verbis; quibus ille ex ſua ſumma comitate elegantiſſimè reſpondit. Allata eſt indè ciborum vinique copia ex liberalitate Reip. At in poſterum ſuis ſumptibus Legatus nos aluit, lautè ſcilicet, more Gallico, contrà quàm factum fuerat, ex quo Daniam ac Sueciam incolueramus, vbi gentium illarum vt impensâ, ita more modoque viximus, hoc eſt, profuſiſſimo potu, cibo verò perperam, certè parum ad noſtros guſtus condîto: piper enim plurimum, cinnamomum, crocum, muſcadellam, aliaque huiuſmodi acria; tum etiam mel, ſaccharum, aliaque dulciaria, confertim ingerunt: at beneuolentiâ, quam ſolam æſtimamus, plena vbique reperiuimus omnia.



CAROLI OGERII

ITER POLONICVM

SIVE

BORVSSICVM.



NNO 1635. die 17. Maii, quæ Dominicæ Aſcenſioni ſacra erat, Illuſtriſſimus Claudius MEMMIVS, Regis Chriſtianiſſimi Extraordinarius Legatus, Gedanum ſiue Dantiſcum ingreſſus eſt. Vrbs illa eſt inter Europæ præcipuas, certè vniuerſæ illius plagæ longè Princeps: alluitur & interſecatur fluuio Viſtula, magno quidem illo, ſed qui alio etiam alueo in mare ſe exonerat ad oppidnm *Kobel-grube*. Plurimum tritici illo fluuio Ge-

danum vehitur, vnde in Batauiam & aliò transportatur: transportantur etiam ligna, aliæque merces, pelles, coria, succinum. Vrbs illa munitissima est tam fluuiis ac mari, quàm propugnaculis ad normam extructis, lapide nimirum coctili infra vestitis, ac viridi supra gramine, etiam ad conspectus oblectationem, decoratis. Verumtamen mons illi imminet, vnde valde incommodari illi potest. At eum montem, qui vicinus est, habitant illi, muniuntque, si bellum ingruit. In pede montis huius elegans suburbium est, vbi permulti degunt artifices, mediumque intersecat ac diducit fluuiolus, qui crebris vbique pontibus transitur.

Omnes ferè illi fabri sunt Anabaptistę, nam & istud dogma in hac vrbe propagatum est, vti Lutheri, ac Caluini. Sunt & ibi Catholici ad septem millia: At plures multo sunt Caluinistæ; Longè plures Lutherani potentioresque. Vrbs illa quanquam sui iuris sit, habeatque Senatum ac Consilium, quo sibi prospicit, subest tamen Regi Poloniæ qui illi quotannis Burgrauium dat, eum tamen è corpore Senatorum eligere cogitur, præsidetque ille Senatui. At, cùm solus sit à parte Regis, & è Collegio Senatorum, nihil Regis commodis addere potest, ita vt dicis tantùm causâ, atque ad speciem factus, verè dici possit. Sciam, notaboque postea quod tributum Regi Polonię pendant Gedanenses. Certè grauantur admodum illi, quòd portus suus à Suecis ante aliquot annos occupatus sit, exigantque quotannis à mercatoribus quatuorde.

cim centena millia Thalerorum. Id vtique ægrè ferunt vicini Principes ac Reges. Quod quemadmodum aboleri possit, laborant, eritque inter præcipua huius arbitrii capita.

Gedanum abundat fontibus pulcherrimis, quibus plateæ decorantur, præsertim illo, qui in maiore platea est, ante Basilicam in qua habetur Senatus: In priuatis ædibus etiam sunt fontes qui diu noctuque fluunt abundantissimè. Domus præcipuę ita factę sunt, vt gradibus ad illas ascendatur: ibi est prothyræum sedilibus ac pauimento ex læui politoque ad marmoris speciem lapide; vnde transeuntes spectant: Ianuæ affabrè factæ sunt ac sculptæ, plerisque emblemata insiguia insculpta: Sententiæ vel Germanicæ, vel Latinæ inscriptæ. Intrantibus offert sese vestibulum magnum, altumque. Parietibus incrustationes vel picturæ vndique impressę, longa in circuitu scamna, super quibus longi circumquâque dispositi asseres, quibus crateres vitrei ac vasa figulina picta ac variegata ordine imposita sunt: pendent lychni laquearibus altis ac candelabra, non sine ceruorum cornibus aut boum, si quæ magna comparare sibi possint. In Suecia, Dania, ac, ni fallor, etiam in nostra Picardia, hunc cornuum ornatum summè ambiunt æstimantque. Ex hoc vestibulo intratur in cubiculum vel aulam, nam profunda sunt illa ædificia. Aula ab area lumen accipit. Ex vna tantum parte areæ prætensum est angustius ædificium, vbi penus, culina, aliaque huiusmodi. In extrema ac postica domus parte stabula

ſunt portæque curules. Vicina domus eſt ferè huiuſmodi, duæque muro ſeparantur, quo fit vt ſingulæ areæ tantum lucis admittant, quantum ſi vnica eſſet, ac nullo muro diuiſa domus. Dixi gradibus aſcendi ad illas domos editiores, quæ diuitum ſunt; At ſub illis fornices ſunt, in quibus habitant minores artifices vel caupones; nec incommodè, quippe qui ex latitudine viarum ſatis luminis admittunt.

Eſt in illa Vrbe domus publica, non abſimilis Xenodochio S. Geruaſii Pariſiis, cuius parietes optimis, meo quidem iudicio, picturis, at ſatis antiquis, decorati ſunt, cum multis verſibus Latinis ac Germanicis: Sunt & multa ſigna Sanctorum, aliorumque heroüm, mixtæque hiſtoriis fabulæ. Hinc Angelum Michaëlem, D. Chriſtophorum, Sebaſtianum, ſimileſque: Illinc vel etiam permixtim Mercurium, Bacchũ, Actæonem, Dianam, cum Nymphis manum pubi admouentibus intueri licet. Templi certè huius deſignatorem fuiſſe Arioſtum, ſi quando in Boruſſiam iuerit, libentiſſimè mihi perſuaſerim. At quid ibi totos dies totaſque interdum noctes agant, iucundum eſt ſcire. Iugis ibi ac indefeſſa ſine vllo eſu compotatio. Sodalitium quippe eſt ab antiquo conſtitutum, ad quod qui ſe aggregari ac cenſeri cupiunt, pro ingreſſu ac initiis thalerum Imperialem pendunt, quo ſemel illato vectigali, ius illis eſt in hanc ædem, ſi velint, quotidie ingredi, ac per totum diem noctemque, ſi hinc non recedant, ceruiſiam bibere, quam ſibi inuicem propinant. Proſtant

illic suique copiam faciunt huius Dionysiaci templi custodes ac veluti sacristæ, accincti linteis; graues illi quidem, liberali fronte, ac latâ barbâ, qui cantharos argenteos implent Danaïdum more, nam illi continuò exhauriuntur. At ne sodalitio nimis graues sint sodales, compotationumque fontes aliquando arescant, cùm exeunt aut cùm intrant, tres schelinos in fiscum suum inferunt. In hac æde libri vendibiles prostant, qui prætereuntes morantur, occasionemque contemplandorum sodalium præstant. At illi nullâ verecundiâ suffunduntur, qui rem licitissimam ac publica auctoritate sancitam, se iure facere existimant. Ante hanc ædem latissima est platea, vbi honestiores viri, tam ciues quàm nobiles, conueniunt magno numero aguntque de suis negotiis ac commerciis, quemadmodum fit in Cambio Parisiensi vel Lugdunensi. Ea ipsa die quâ aduenimus, ego & Molæus, quia per sex ipsos menses terram vix attigeramus, inter rupes, & niues, ac maria versati, vtque vertiginem à iactatione nostra maritima contractam depelleremus, vrbe sumus egressi, mediisque in hortis, quibus hæc ciuitas Lutetiæ in speciem cingitur, ambulauimus.

XVIII. Cùm Sigismundus, Electoris Brandeburgici patruelis, qui Mariæburgi erat, aduentum Illustrissimi nostri Legati resciuisset, misit ad illum vnum è Consiliariis Electoris cum litteris, quibus de illius aduentu gratulabatur.

XIX. Illustrissimus Legatus misit duos ex

ſuis, alterum ad Commiſſarios Regis Poloniæ cum litteris Latinis, alterum ad Commiſſarios Reginæ Sueciæ cum litteris Gallicis, qui itidem ad illum reſcripſerunt. Poloni in oppido *Maria-Vverder* degebant, Sueci in pago *Ionaſdorff*. Locus in quem conuenire vtrinque debebant, vocatur *Stumiſch dorff*. Mariæburgum Legatorum manſioni deputatum fuerat, ibique iam Angliæ Legatus ad erat.

XX. Quæ Dominica fuit Illuſtriſsimus Legatus in Eccleſia Monialium S. Brigittæ Miſſam audiit: ab ipſa S. Brigitta hic conuentus fundatus eſt; erat quippe illa diues ſeque è Principe Nericiæ monialem fecit. Eius filia Catharina aliam Eccleſiam quæ vicina eſt, conſtruxit; Illa vtique ſanctimoniæ famâ præſtans, quam Eccleſiam obtinent hodie Lutherani. Poſt Miſſam auditam, inuiſit Moniales Illuſtriſsimus Legatus illaſque gaudio incredibili affecit. Interpretes erant duo religioſi Ordinis Ciſtercienſis, qui Directores illarum ſunt. Conqueſtæ ſunt, quòd Sueci duos earum pagos teneant, vnde præcipuus illarum reditus eſt interceptus. Inter illas vna erat ex iis quæ ante triginta annos aut amplius, à Rege Carolo è cœnobio Vvaſthenenſi, quod prope Nicopiam eſt in Suecia, expulſæ ſunt. Gerunt illæ in capite coronam quinque maculis rubris diſtinctam, ob vulnera Paſſionis Dominicæ, quæ in S. Brigitta inuenta ſunt. Habent item ſingulæ annulum, qui profitentibus religionem datur, quóque deſponſantur Chriſto. Eum habebant quem ipſa S. Brigitta tulerat,

quem sibi habere Rex Poloniæ Sigismundus pater huius Vladislai voluit, caróque emit. In illa Ecclesia conciones Germanicæ fiunt à duobus Iesuitis, quorum alter mane, alter à prandio prædicat; habent illi Collegium in Suburbio vel pago vrbi proximo: matutinam ego prędicationem audiueram, in qua contra Iudæos, Lutheranos, & Caluinistas disseruit. Eorum concionandi modus hic est. Legunt Euangelium, ac post prefationem canitur, vel Hymnus, vel Psalmus Germanicè. Ambulatque aliquis per Ecclesiam, qui pro concionatore stipem postulet, dum prædicat.

A prandio ego & Molæus ad Carmelitas iuimus, vbi concionem Germanicam audiuimus, inde vespertinas preces: postea processioni Dominici corporis adfuimus, primi cereum gestantes, reliquisque cerimoniis. Matutino tempore conciones fiunt linguâ Polonicâ.

XXII. Illustrissimus Legatus ad Senatum Gedanensem se contulit. Duo illum Senatores deduxerunt, reliqui in summis gradibus eum expectauerunt. Ingressus est in illud conclaue, in quo illi Poloniæ Legatos excipiunt. Legatus in maiore subsellio solus sedit; à sinistra illius in alio subsellio sedebant Senatores. Postquam eloquentissimè ac facillimè suo more perorauit, recessere omnes Senatores in aliud conclaue, deliberaturi quid illi responderent. Reuersis illis, qui Syndicus est, iunior idem omnium, satis longam orationem habuit. Latinè omnia, omnesque detecto capite, nam cùm se Legatus

tegere vellet, nudi remanserunt, & ille pariter. Parietes & lacunar optimis picturis ac distichis Latinis, decorati sunt. Camino inscriptum est *Ad Remp. vt ad ignem.* Reduxerunt eodem modo Illustrissimum Legatum, quo duxerant. Adfuit nobiscum Illustrissimo Legato, Colonellus *Duplessis*, Gallus, vir strenuus, ac vulneribus bellicis insignis, qui contra Moscos ac Suecos pro Polonis sępius depugnauerat.

XXIII. Legati Batavi tres, qui his controuersiis disceptandis die Dominica aduenerant, in Senatum iuerunt, iidemque à prandio Illustrissimum Legatum nostrum inuiserunt. Interim ego cum Florido, Molæo & aliis vidi maiorem Ecclesiam, amplam illam quidem ac multis magnisque organis, Epitaphiis ac altaribus decoratam, præsertimque vno altari, in quo iudicium vltimum pictum est, clauditurque duabus valuis. Fama est, Imperatorem Rodolphum quadraginta mille thaleros pro hac pictura dare voluisse. Lutherani hanc Ecclesiam obtinent. Est item ibi baptisterium clathris æneis clausum, quod septemdecim millib. thalerorum constitit: solida enim sunt omnia, tam columnæ, quàm statuæ.

XXIV. Illustrissimus Legatus noster Legatos Ordinum Belgii inuisit, eaque ipsa die Mariæburgum profectus est; remansi ego cum aliquot aliis Dantisci.

XXV. Profecti etiam sumus Dantisco Mariæburgum, per feracissimos ac lætissimos campos: Sparsæ sunt vndique rusticorum domus

exiguis interuallis, rectè illæ ac commodè è latere ædificatæ; horti amœni, cultissima arua, iugis aquæ riuulis septa ac conclusa: pecorum in pratis infinita multitudo: pagi frequentissimi. Iucundum est ibi videre Ciconias in fastigiis domorum ædificantes, plurimaque ligna nidis suis componendis ingerentes. Solent illæ cùm abeunt, pullosque abducunt, vnum in nido pro hospite relinquere. Cicures sunt illæ admodum, nec hominum aut canum præsentiâ terrentur. Pietate sunt maxima tam erga prolem, quàm erga parentes infirmos, eos quippe secum vehunt aluntque. Tribus milliaribus à Gedano Vistulam naue transuecti sumus, pari deinde confecto itinere ingressi sumus Mariæburgum.

Alluitur istud oppidum flumine, quod duobus supra milliaribus à Vistula deriuatur, vocaturque *Nagot*, sciditurque rursus antequam influat in mare. Erat olim Equitum Borussorum siue Crucigerorum sedes. Arcem ibi fortissimam extruxerunt, quæ adhuc extat. Antea pertinebat ad Polonos, at Gustauus Rex Sueciæ, nuper illud oppidum occupauit. Cùm induciæ factæ sunt, ex pacto depositum est in manibus Electoris Brandeburgici, qui illud obtinet, debetque die x. Iunii proxima Suecis reddere. Ea die Illustrissimus noster Legatus, Legatus Angliæ, Legati Ordinum Belgii, Legatique Electoris Brandeburgici, inter quos est Sigismundus, eius Cognatus, profecti sunt ad locum tractatui destinatum, *Stumisch dorff*, duobus à

Mariæburgo milliaribus. Sueci in pago *Ionasdorff*, Poloni in oppido *Marien Vverder*, habitant, seque diebus conuentis in tentoria diuersa conferunt, quæ hinc inde sunt in extremitate pagi: In medio pago tentorium est pro Mediatoribus: ad singula tentoria milites dispositi sunt: sunt præterea Equitum cohortes ex vtraque parte; Sueci habent Finlandos, Poloni Tartaros arcubus suis ac pharetris pulchrè instructos.

Polonorum Commissarii sunt Iacobus *Zadich*, Episcopus Culmensis & Pomesaniensis, nominatus Cracouiensis Cancellarius Regni. Christophorus *Radzivvil*, Palatinus Vvilnensis, Magni Ducatus Lithuaniæ Generalis. Raphaël *de Lesno*, Palatinus Belzensis: Ernestus *Doenhoff*, Castellanus *Pernau*. Remigius *Zaleski*, Regni Referendarius: Cancellarius, vti nostri Episcopi indutus est: Ernestus *Doenhoff*, more nostro aut Germano. Cæteri tres in veste Polona.

Succorum Commissarii sunt, Comes *Brahe*; *Vrangel*, Generalis; *Och axel-son*, Senator; Ioannes *Oxenstern*, Cancellarii filius; Nicodemus.

Statim atque aduenit Legatus noster, Poloni eum inuiserunt, reddidit illis in illorum tentorio suas salutationes: Sueci itidem illum inuiserunt, reuisit illos. Conuenerunt deinde in Mediatorum tentorium Legati, effeceruntque vt se partes aduersæ salutarent. Illustriss. Legatus noster cum Hollandiæ Legatis ducebat Suecos, quos sibi elegerat, Legatus Angliç ducebat Polonos. In

medium, qui interiectus erat inter vtrumque illorum tentorium, locum æquis passibus incedentes, seque vicissim magna cautione obseruātes, cùm pedetentim aduenissent, priores Legati manum pileis admouerunt, quò factum est, vt hinc inde Partes aduersę se detexerint, manusque inuicem porrexerint, paucula verba simul collocuti. Vt hoc tantum opus inchoarent, totum diem insumpserunt Mediatores, redieruntque Marięburgum ad mediam noctem; ita vt diei Veneris aduentus scrupulum de comedendis carnibus quæ paratæ erant, plerisque iniecerit.

XXVI. Constituendis domiciliis nostris transegimus.

XXVII. Legati omnes in Arcem Mariæburgi, vbi Sigismundus habitat, conuenerunt, deliberaturi quid facto opus esset. Conclusum est tandem ab illis, vt hæ duæ propositiones Partibus fierent, in hæc ferè verba.

Vtrum placeret Vladislao Regi, pro se Fratribusque suis, iuri quòd in Regno Sueciæ habet, renuntiare, his legibus ac conditionibus, vt, si Christina sine prole moriatur, idem Regnum Sigismundus obtineat.

2. *Vt ditiones in Liuonia ac Prussia, per hæc bella à Suecis occupatæ restituantur.*

Has propositiones Illustrissimus noster Legatus sumpsit, earumque exempla cæteris Legatis describi curauit.

XXVII. Dies Pentecostes fuit, quam piè, si Deo placuit, transegimus. Ecclesia Mariæ-

burgi Catholicorum semper fuerat. In eam per hæc Suecorum bella ante decem annos se Lutherani intruserunt: itaque factum est, vt inter Catholicos ac Lutheranos communis relicta sit. Habent Catholici duo Altaria: Lutherani vnum. A summo mane ad horam nonam locum obtinent Catholici: ab nona ad meridiem Lutherani; qui quidē sunt multo maiore numero maioribusque opibus. Sunt quippe tres aut quatuor tantum in vrbe Catholicorum familiæ, reliqui ex pagis vicinis conueniunt. Vnus Sacerdos illis omnibus ministrat, nam Officialis idemque Parochus paralyticus est. Ergo vicarius ille Sacerdos omnia munera solus obit, auditque in Paschate septingentos confitentes, & bis in die festo prædicat. Illustrissimus Legatus cùm posset priuatim Missam audire, vt hanc consolationem miseris Catholicis daret, maluit ad Ecclesiam illam se conferre, vbi ille nosque Dominicum Corpus communicauimus. Audiit deinde concionem Polonicam: rediimus aliqui statim post meridiem ad vespertinas preces. Officialem deinde, virum bonum ac doctum in horto sedentem inuisimus. Exiguo post tempore in eadem Ecclesia; cum iisdem Organis Lutheranos canentes exaudiebamus. Nec istud modò, sed & Caluinistas ex Arce egredientes intuebamur; interim dum ille senex, infinitas quas senserat quasque timebat calamitates, nobis recensendo, lacrymas ex oculis nostris eliceret.

XXVIII. Legati ad tractatus locum conuenerunt. Ea die diuersæ Partes Procuratoria

ſua ediderunt, eaque in Legatorum manibus depoſita, Polonorum quidem, apud Legatũ Galliæ; Suecorum, apud Legatum Angliæ. Vtraque pars proteſtata eſt, ne qualitates quas Regi diuerſæ partis dabat, ſibi, vel ſuo Regi, Reique publicæ nocerent, ſi fortè tractatus ad optatum finem non peruenirent: quæ proteſtationes etiam in manibus Legatorum depoſitæ ſunt, & quas ſe recepiſſe Legati ſcripto teſtati ſunt; In quo ſcripto ſiue cautione inſertæ erant illæ proteſtationes, deſcriptæ ex authentico quod in manibus Legatorum manet. Alia item cautione ſeparata Legati polliciti ſunt, ſe (re infecta) procuratoria partibus bonâ fide reſtituturos. Scripſi ego cautiones illas, quæ ab Legato noſtro ac Legatis Hollandiæ ſubſcriptæ ſunt.

At magna illâ die contentio mota eſt, eò quòd Poloni in ſuo Procuratorio omiſerant nuncupare Chriſtinam, *Magnam* Principem Finlandiæ, & tantùm Princ. Finl. ſcripſerant. Petebant Sueci, vt nouum Procuratorium à Rege Poloniæ mitteretur, nec ſe vlteriùs procedere poſſe. Reſpondêre Poloni, id conſilio factum non fuiſſe, nec iſtud verbum *Magna* addere quicquam vel demere iuri quod habet Chriſtina in illa prouincia. 2. non agi in hoc tractatu de Finlandia, nec in eo controuerti; agi de Suecia, Liuonia, & Pruſſia. 3. cui bono hæc tituli omiſſio? Dicebat Legatus noſter, nec ſe etiam percipere poſſe, quamobrem pro hac appellatione Sueci tantopere contenderent, ſe quidem in

Italia didicisse, quod M. Hetruriæ Dux, Ducis Sabaudiæ litteras accipere recusasset, eò quòd *Magni* titulum omiserat. At non id sine ratione factum, quia hîc *Magni Ducis* titulus erat illi præcipuus, verumtamen quod ad Christinam, cùm Reginæ nomine nuncuparetur, istud *M.* Principis nomen, dignitatem eius non augere. Nihilominus quandoquidem id Sueci pertinaciter postulabant, satisfaciendum illis esse, quod & ipsum Polonis laudi tribuetur, qui se tam æquos propensosque ad constituendam pacem exhiberent. At Radziuilius, prærepta Collegis suis deliberandi facultate, dixit, se illis arbitrium suum liberum relinquere, adduci se non posse, vt aliud procuratorium à Rege petendum existimaret, se suosque Collegas à Suecis ludificari, qui hos scrupulos iniicerent. Post infinitos circuitus tota die ob hanc litterulam factos, deuentum est tandem in hanc pactionem, vt Cancellarii Poloni manu *Magna* nomen adscriberetur. Rediimus in multam noctem.

XXIX. Post egressos ex Ecclesia Lutheranos, Missam audiuimus. A prandio litteras scripsi ad Fratrem, ad Sororem, ad D. *de San-Germano*: traditæ sunt illæ Vallæo Illustrissimi Legati cubiculario, quem in Galliam mittebat.

XXX. Legati ad Conuentus locum redierunt. Cùm è curru noster descendisset, ad prandium ab Illustrissimo Poloniæ Cancellario inuitatus est. Omnes Commissarii aderant, excepto Radziuilio, erant præterea alii septem nobiles.

Auau-

Auaugurius, Theologus noster, egoque assedimus. Propinatum est Regum Galliæ & Poloniæ incolumitati. Omnes conuiuæ Latinè, plerique etiam Italicè ac Gallicè loquebantur, vinum Hungaricum, Rhenanum, Gallicum, album, rubrum præbitum est, non sine ceruisia. Pisces magni optimique appositi. Plurima inter conuiuas amicitiæ beneuolentiæque significatio facta. Iuimus inde in commune Mediatorum tentorium, ac sibi inuicem Legati ediderunt cautiones, quas partibus pro receptis earum procuratoriis ac protestationibus dabant. Cùm Legatus noster *Claudii Memmii* nomen subscripsisset, & vulgo nomine *Auauxii* nuncuparetur, subueritus est, ne Poloni quibus suam cautionem dabat, istud ignorarent, nec istud nomen agnoscerent. Itaque misit me ad eos, vt peterem, si illa subscriptione essent contenti. Ingredienti ad illorum tentorium vniuersi mihi assurrexerunt, cumque mandatum meum exposuissem cautionemque edidissem, dixissemque, Legatum nostrum, Cl. Memmium vocari, esseque Illustrissimæ illius familiæ nomen, sic omnia instrumenta subscribere solere, si matrimonii contractum faceret, si testamentum conderet, id nomen subscriberet. Vno illi consensu Cancellarii ore mihi responderunt, se esse contentos; subiunxit Dux Radziuilius, hos scrupulos (inquit) faciant Sueci, nos non facimus. Quæsiuit deinde à me Palatinus Belzensis, num Illustrissimus Legatus è gente Memmia esset, cui Passeratius opera sua omnia nuncupauit? cùm

annuissem. Non est, inquit, nobis, neque cuiquam qui litteras amet, ignota gens illa, continuoque recitauit tria aut quatuor carmina Passeratii.

Pace tua, Memmi, nihil ignorare videris.

Accepi inde tacitus apud me omen, Memmium hunc nostrum quâ prudentiâ & felicitate præditus est, præcipuum pacis huius conciliatorem fore, vt verè Poloni ac Sueci in posterum profiteri possint.

Pace tua, Memmi, fruimur.

Hac die propositiones duæ Mariæburgi, apud quatuor Legatos 16. Maii factæ, partibus oblatæ sunt ab Illustrissimis Legatis. Sueci respuerunt illas: Hanc autem propositionem fecere, quam ad Polonos Illustrissimi Legati tulerunt.

Vt Rex Poloniæ iure hereditario, quod in Sueciam pretendit, pro se ac suis heredibus fratribusque, purè ac simpliciter renuntiaret. Suecos Borussiam relicturos Polono, dum sumptus belli illis refunderentur; Liuoniam retenturos.

Lata est hæc propositio ad Polonos à Dominis Mediatoribus. At quia & ardua, & iniqua illis visa est, nihil omnino responderunt; dilatus itaque est conuentus ad perendinum. Nos ad mediam noctem Mariæburgum rediimus.

Vltima die Maii Lutherani ac Caluinistæ ieiunium sibi, pro obtinenda pace indixerunt. Ego cum Theologo nostro ac Molæo ad saltum siue lucum, vrbi proximum, deambulatum iuimus. Nondum albæ spinæ flos patuerat, gem-

mæ tantum florum apparebant, at folia erant explicata. Multi vndique ipascuntur equi, armenta, ac pecora; opimæ, ni Deus auertat, belligeraturis prædæ. Inde ad Reuerendum Officialem iuimus, cordatissimum senem, qui nos cœnâ excepit.

Prima die Iunii redierunt Partes, Legatique Illustrissimi, ad Conuentum. A prandio conuenerunt in tentorium commune Legati. Noster postea ad Polonos iuit, vt responsum ab illis quæreret, super propositione à Suecis præcedenti conuentu facta. Nihil illi certi responderunt, præsertim cùm viderent Suecos pertinaciter velle, vt antequam in alios controuersiæ articulos descenderetur, primò & quasi Prologi vice, Rex Poloniæ Regno Sueciæ renuntiaret. Huic ego congressui non interfui. At audiui Illustrissimum nostrum Legatum cæteris Mediatoribus referentem, spem esse, vt Poloni regno Sueciæ renuntiare velint, sub bonis conditionibus ac mediis, quæ media vel ab illis expectanda, vel à Suecis, vel certè ab ipsis Mediatoribus excogitanda. Hæc itaque Mediatores delineauerunt.

1. *Abrogentur leges durè lata contra domum Sigismundi, ita vt liberum sit Suecis ex eadem Reges sibi sumere.*

2. *Fiat satisfactio Regi Vladislao, & eius Fratribus ex terris Liuonia, prout Regi cum Ordinibus Polonia conuenerit.*

3. *Fiat firma amicitia inter vtrumq; Regnum. Et Regina Christina iungatur matrimonio cum*

marita non inimico Regi & Reip. Polonæ. Idem faciat Vladislaus vice versa.

4. *Liberi nascituri ex Vladislao & coniuge eius ex vna parte, & Christina atque marito eius ab altera parte, iungantur matrimonio.*

5. *Vt mutua ferantur auxilia contra vtriusque partis hostes.*

Cum hæc in pugillaribus meis descripsissem, Illustrissimus Legatus noster cum Hollandis ad Suecos iuit, petiitque ab iis, nunquid à propositione quam Polonis fecerant, discedere vellent, aut saltem eam mitigare, vt facilior pacis constituendæ via iniretur. Negauerunt; petieruntque quodnam fuisset Polonorum responsum, se illud iamdiu expectare, & nunquid Regno Sueciæ renuntiare vellent, antequam vltra procederetur. Respondit Legatus, non id gratis neque tam citò facturos Polonos; spem tamen affulgere, vt id faciant sub bonis mediis ac conditionibus. Interim iussit me legere quinque propositiones à Mediatoribus excogitatas, quas Nicodemus me dictante exscripsit. Ad primam statim responderunt illi; Agi nunc de renuntiatione iuris hæreditarii, quam volebant ab Vladislao fieri: de futura electione sermonem fieri non debere: esse incolumem suam Reginam, nullum illi neque dandum, neque designandum successorem. Respondit Legatus, at delenda est illa nota quæ Sigismundi familiæ aspersa est, cùm ex illa neminem in posterum ad Regnum Sueciæ eligi posse, sub pœna Maiestatis, decretum est; tollendaque est omnis odii

præteriti memoria. Comes Brahe replicauit, id factum iri per amnistiam, quæ constituta pace vtrique populo iniungetur. At illa amnistia (inquit Legatus noster) tametsi odia quiescant, non abolebit hanc maculam, ac nisi abrogetur istud decretum, Sigismundi familia cum qua deinceps Sueci amicitiam se inire velle profitentur, peiore apud illos conditione erit, quàm alenissimi mortalium, qui in Sueciæ Reges eligi non prohibentur. Restiterunt pertinaciter Sueci, quod quidem eos iniquissimè facere, omnes qui hic Legatis nostris aderamus, vno consensu iudicauimus.

Cum in tentorium commune redierunt Legati, ac dies inclinaretur, concluserunt res proferre in sequentem conuentum, vt de Principali negotio, tam de renuntiatione Regni, quàm de Prouinciis tractarent. Itaque me cum Secretariis Hollandiæ ac Brandeburgi, ad Suecos miserunt, vt hoc illis significarem; responderunt illi, se expectare responsum Polonorum, rogareque Mediatores vt illis super hac re satisfieret, priusquam hinc discederent. Iterum miserunt Illustrissimi Legati ad Suecos Agentem Regis Britanniæ Gordonum, qui eadem quæ nos, inculcaret, nec ille quicquam profecit. Contulit ergo se ad Polonos Legatus noster, dixitque Suecorum mentem; eos responsum velle super renuntiatione Regni pura ac simplici, alioquin ad congressum non redituros. Responderunt Poloni, se renuntiationem puram ac simplicem facturos nunquam; facturos tamen pro-

pediem sub honestis ac iustis mediis ac conditionibus. Interim se biduum petere ad concludenda illa media, quæ vel scripto ad Mediatores mitterent, vel se ad locum conuentus sisterent, pręmonerentque Legatos, vt tam illi, quàm Sueci adessent. Relata sunt illa ad Suecos per vnum ex Legatis Brandeburgicis. At quæ differentia sit inter hanc responsionem, & præcedentem? Ea nimirum, quod Legatus Galliæ sibi spem affulsisse tantùm dicebat, quod Poloni renunciaturi forent, nec quicquam tamen certi responderant: at hâc vltima vice Legato eidem præcisè responderunt, se renuntiaturos.

Allatum est, incerta tamen fama, Triginta naues Anglicanas in fretum Daniæ, quod Oresunda vocatur, peruenisse in auxilium Polonorum.

II. Iunii quieuerunt tam Partes, quam Mediatores. Auaugurius se Dantiscum contulit. A prandio cum Theologo nostro, & Varenno vrbis propugnacula lustraui, hortosque nec florum nec arborum frugiferarum inopes; pyrorum pomorumque flores explicatissimi erant. Lilium conuallium, *Muguet*, florebat, tulipæ flauæ ac rubræ.

III. Quæ Dominica erat, ad Ecclesiam nos contulimus. Vbi nebulones quidam, antequam hora nona esset, quæ est præscriptus inter Catholicos ac Lutheranos limes, tintinnabula pulsauerunt; vnde factum est, vt Lutherani capite operto, at in silentio tamen, Ecclesiam implerent, quam ob rem apud Burgrauium Illustrissimus

Legatus conquestus est. Adiit verò post Missam Reuerendum Officialem, apud quem per horam remansit. A prandio inuisit Illustrissimum Legatum nostrum, Legatus Illustrissimus Angliæ.

IV. Rediimus ad Conuentum. Conclusum est in tentorio Mediatorum, vt Illustrissimus Legatus noster ad Polonos se conferret, sciscitaturus quid respondere vellent ad conditiones illis propositas. Ederent tandem quid præstarent, quid à Suecis postularent: fidenter animi sui vota Mediatoribus communicarent. Sedebat omnium medius Legatus noster, habebatque à dextris Cancellarium Pol. Radziuilium, Pal. Belzensem, D. *Doenhoff*; à sinistris Legatos Hollandiæ & Referendarium Pol. Vocauit me Legatus meus, Hollandi suum item Secretarium vocauerunt, quem comitati sunt Angliæ & Brandeburgi Secretarii. Propositionem suàm disertissimè ac grauissimè fecit noster Legatus, quæsiuitque, num Legati Hollandię aliquid adiungere vellent; nihil illis subiungentibus, inierunt inter se consilium Poloni, cúmque resedissent, Cancellarius honesta verba ex more præfatus, subuereri se dixit, ne, si quid ipsi priores offerrent, Sueci inde superbiæ occasionem caperent. Deinde, se ad Regem scripsisse, à quo nondum responsum acceperant. Cum Legati respondissent, se in sinu seruaturos quod ab illis dictum esset, nec ad Suecos relaturos: Se tantùm id cupere scire, quænam illorum mens esse possit. Idem Legatum Angliæ & Marchio-

nem Brandeburgensem à Suecis exploratum iuisse, vt deinde Mediatores inter se, de mediis ad concordiam conducentibus, arbitrari possent. Subiunxit itaque Cancellarius protestatusque est, se collegasque suos non Commissariorum nomine, nec quasi personas publicas, sed quasi priuatos de negotiis præsentibus sermonem inire:

Æquum porrò se existimare, vt, quandoquidem id tantopere Sueci contenderent, Rex Vladislaus iuri hereditario quod in Sueciam habet, renuntiet; at illum iidem ipsi Sueci eodem momento, in Regem Sueciæ eligant; Ita vt ipse Regnum Sueciæ vel per se, vel per Vicarium administrare pro libitu possit.

Casimiro Regis fratri, Principatus Finlandiæ detur, & Sorori dos, vti ex legibus Sueciæ cautum est.

Restituantur Polonis duæ Prouinciæ, Liuonia, & Borussia: & insuper Esthonia, quæ ex pactis cum Rege Ioanne Sigismundi Patre factis, Polonis tribui debebat.

Restituantur manes capta in bello, tormentaque bellica.

Restituantur ea, quæ in portubus ac alibi, sub specie vectigalis, præter modum constitutum, Sueci receperunt.

Restituantur fructus villarum & pagorum, quos per has inducias vltra constitutos terminos inuaserunt.

Restituantur in Sueciam & in patrimonia sua exules Sueci, quorum nullum aliud crimen fuit,

quàm quòd Sigiſmundo adhæſerint.

Cæterùm, quod ad Chriſtinam pertinet, Regem Vladiſlaum, qui conſanguineus illius eſt, eius ſeruandæ inſtituendæque curam, pro ſua pietate, ſuſcepturum.

Subiunxit Dux Radzuilius, *Legitimos Vladiſlai pro hac infantula metus, ne homines barbari, crudeles, regnandique auidi, eius vitæ inſidientur; innoteſcere omnibus mortalibus, quomodo ab omni æuo erga Reges ſuos ipſi ſe geſſerint; ſemel malos tales præſumi ſemper debere.*

Vt verum fatear, dum hæc Poloni ſeriò ac diſtinctè explicabant, interdum meas me aures fallere; interdum me ſomniare mihi videbar, cùm illos tam procul à mente Suecorum, atque ab illis quæ nobis ſperare fecerant, recedere videbam. Credo equidem, eos ſic loqui voluiſſe, vt iniquitati Suecorum aliquid reponerent. Certè cùm Legatus noſter vnà cum Hollandis hæc retulit aliis Mediatoribus, ſtupefacti ſunt omnes. Statuerunt itaque, adeundos eſſe Suecos, tentandoſq; an aliquid de ſuis propoſitionibus remittere vellent, quod ſi facerent, idem poſtea Polonis proponeretur. Legatus noſter cenſuit proponi Suecis poſſe, vt prꝑterquam è Boruſſia, etiam è Liuonia cederent. Dixit Angliæ Legatus, eos id facturos nunquam. Sed ſi tanta pecunia illis detur (inquit Legatus Galliȩ) vt Sueciæ Proceres, quos inter, Liuoniam Guſtauus partitus eſt, aliunde patrimonia ſibi comparent, nam, ſi illorum commodis prouideatur, facilè Liuoniam Polonis permiſſuros, quæ ad

Sueciæ Regnum olim non pertinuerit. Cùm quæreretur, vnde tanta pecunia corradi posset. Ex vectigali (inquit Legatus noster) quod in Dantisci portu Sueci obtinent, continuetur illud ad aliquot annos. At istud non permittemus (inquiere Hollandi) neque id permittet Rex meus (inquit Legatus Angliæ.) At permisistis à tot annis (subiunxit Gallus:) fecimus id quidem, respondere illi, sed rationes quæ nos impulerunt, nunc cessant. Iuit inde Legatus noster cum Hollandis ad Suecos: Nec quicquam de his quæ à Polonis dicta fuerant, attigerunt, petierunt tantum, num aliquid de suis propositionibus remittere vellent? negauerunt; dixeruntque, se nimis iam multa obtulisse. Proposuit Legatus Galliæ, num de Liuonia decedere vellent, si belli sumptus refunderentur? Responderunt, se nec velle, nec posse, nec proponi illis debere. At, inquit Senior ex Legatis Hollandiæ, cur ergo vobis Rex Poloniæ Sueciæ Regnum permittet, gratisne faciet istud? Quid curamus (replicauit Comes Brahe) de illa renuntiatione; numquid vanus Regni titulus duabus feracissimis Prouincils, quas iure belli possidemus, compensari debet? Vosne Hollandi Hispaniarum Regi, vt Domini vestri nomen abiiciat, minimam è prouinciis vestris velletis concedere? Non istud quidem imprudenter (respondit Hollandus) nec de contiguis prouinciis faceremus. Sed aliquando Gades occupauimus, pro quarum recuperatione, si Rex Hispaniæ iura quæ in nos prætendit, remittere vo-

luisset, libentissimè illi suas Gades restituissemus, quæ Hollandiæ non cohærent, vti Liuonia ac Borussia ad Regnum Sueciç non pertinet. Quid multa? affirmauere Sueci, se Liuoniam reddituros nunquam, idque mandatis suis expressissimè vetitum. Proximus Conuentus ad diem, qui Dominici Corporis festum sequitur, à Legato nostro remissus est.

V. Legatus noster Illustrissimus ad Insulam Marianam, *Marien Vverder*, se contulit, vt Polonos inuiseret, quibuscum pransus est: duos tantum è nostris secum duxit. Auaugurius Gedano rediit cum Henrico *Canasilles*, Gallorum Consule.

VI. Illustrissimus Legatus, Legatum Angliæ indeque Legatos Hollandiæ Mariæburgi degentes inuisit. Cum Legato pransus est Baro de Dona, cuius Patruus anno 1586. cum Duce Meduennæ, in vtriusque exercitus principiis atque conspectu, pugnauerat, atque à Duce in fronte ense vulneratus fuerat, cùm prior ille Ducem in galea scloppeto minori attigisset. Refert id etiam Thuanus in historia.

VII. Dominici Corporis festum celebrauimus. Salutauit in Ecclesia Illustrissimum Legatum Canonicus quidam Vvarmiensis, natione Suecus, vir pius grauisque. A prandio Commissarios Suecos habitantes in Ionæ pago, Legatus inuisit.

VIII. Ad locum conuentus Commissarii Mediatoresque se contulerunt. Pransus est Legatus noster apud Palatinum Belzensem sub

tentorio. Interfui ego huic conuiuio, bibitumque est rite: & quia lautè vino Hungarico excepti fuimus, Palatinusque tametsi senex, lætissimum se, Musarumque ac musices studiosissimum exhibuit, ego Varennusque in lætitiæ cantica erupimus. Nihilo segniùs, ad commune mediatorum tentorium conuenit Legatus noster, qui hinc ad Suecos cum Legatis Brandeburgicis iuit; cùm inde Legatus Angliæ cum Hollandis ad Polonos iret. Nihil illo die profectum est. Legatus noster, cùm hortaretur Suecos, vt ad pacem ineundam faciliores se præberent, illique se, iam toties sententiam explicasse dicerent, neque Liuoniam se restituere posse affirmarent. Sit istud ergò fixum (inquit Legatus) ne restituite nobis Liuoniam, quandoquidem tanto sanguine, tantisque sumptibus illam comparastis, ibique constituistis reditus vestros; At vendite nobis illam, pecuniamque aliis vsibus vestris tam publicis, quàm priuatis collocate: nunquid istud & pacis perpetuæ & mediatorum Regum gratiâ facere potestis? Cùm statim respondere vellent: Ne properate (inquit Legatus) nobis responsum dare, scribite ad Ordines Sueciæ: qui vobis restituere vetuerunt, non vtique vetuerunt vendere. Cùm perseuerarent in sua sententia, dicerentque, Ordines non ita commodè conuocari posse, rediit in commune tentorium Legatus, quò etiam reuersi Angliæ Hollandiæque Legati dixerunt, Polonos duriores etiam quàm antea esse factos, qui dicerent; si sibi Liuonia & Prussia à Suecis

restitueretur, nescire an Rex Vladislaus Regno Sueciæ renuntiare vellet, nam Liuoniæ ac Prussia ad Coronam Remque publicam Poloniæ pertinet; Regnum Sueciæ pertinet ad Vladislaum priuato iure, qua de re solus ille statuere potest: Regem intra paucos dies propiùs aduenturum, cuius voluntatem exploraturi sint, clarius responsum Mediatoribus atque adeo Suecis edituri, qui se ad Conuentum non redituros, sed in suo pago remansuros, donec respondeatur, polliciti sunt. Sub vesperum Commissarios Polonos salutauit Illustrissimus Legatus noster ac Mariæburgum horâ nonâ regressi sumus.

IX. Post maximam diei partem studiis Germanicis insumptam, inclinato iam die, iuxta fluminis quod Mariæburgum alluit, ripam, subobscuro, at placido tamen, cælo deambulauimus.

X. Quæ Dominica fuit, Ecclesiam adiuimus satis tardè; vnde factum est, vt preces nostræ in tempus, quod Lutheranis assignatum est, excurrerint: Scilicet, vt superiore Dominica, se in Catholicos ac præsertim in Legatum, cuius persona apud omnes gentes sancta esse debet, peccasse meminissent. Itaque tametsi nona sonuisset, non nisi postquam Ecclesia excessimus, campanas pulsauerint.

A prandio ex postulatione Principis Sigismundi, Illustrissimus Legatus noster ad Ionæ pagum se contulit, nonnulla cum Suecis tractaturus super restitutione Locorum, inter eos &

marchionem Brandeburgensem facienda, vtique deinceps, neuter ille inter Suecos Polonosque censeri & esse posset. Nihil, quod acceperim, hoc colloquio perfectum est, cui non interfui.

XI. Quæ D. Barnabæ dies fuit, Missam in Ecclesia audiuimus. Festus hic dies apud hos Catholicos non est. Inuisit Officialem Legatus noster, quem de profectione cogitare audierat. Monuit illum vt maneret, nihil timendum dum adesset Legatus, hoc se facillimè à Suecis, qui propediem in vrbem restitui ex pactis debebant, impetraturum. At persuaderi infirmus senex non potuit. Petiit deinde Legatus, vt saltem Vicarius maneret, qui valentior erat: Vocatus est itaque Vicarius, qui nec ipse adduci poterat vt maneret. Promisit denique post multas Legati piissimi rationes, cui lacrymæ identidem inter loquendum suboriebantur, se cùm pusillam suam supellectilem aliò transtulisset, in vrbem reuersurum, vt Dominica sequenti officium Diuinum celebraret. Experientia præteritorum temporum hos illis metus incutiebat: nimirum Officialis se ab Suecis ante sex annos fugatum, ac, dum fugeret, in vitæ discrimen ab insecutoribus adductum, Vicarium verò suum per nouem hebdomadas in carcere conclusum fuisse asseuerabat. Ac pro sua defensione allegabant identidem verbum Euangelii, *Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Sub vesperam extra ciuitatem deambulauimus.

Ipſa die litteræ allatæ ſunt Hamburgo ad Illuſtriſſimum Legatum, quibus narrabatur, vigeſima die Maii, Mareſchallum Caſtillonæum, Exercitus Gallici Imperatorem, pugnâ duarum horarum inter Namurcum & Leodium, Exercitum Regis Hiſpaniæ, qui quindecim milliũ erat, fudiſſe: ſeptemdecim bellica tormenta capta: ſeptem millia hominum cæſa, ipſumque Marchionem *de Ayetona*, Hiſpanici exercitus Ducem, alioſque permultos inſignes viros: multos itidem eſſe captiuos factos, inter quos Coloredum, quem in Italia multa crudelia facta commiſiſſe, recordatus eſt Legatus noſter.

XII. Legati Hollandiæ Illuſtriſſimum Legatum noſtrum inuiſerunt.

XIII. Illuſtriſſimum Legatum in Peninſulam arboribus conſitam, vt ſe ab infirmiori valetudine, quâ per hunc diem tentabatur, recrearet, deduximus. Illico tam florum qui ex albiſpinis exeunt, odore atque conſpectu, quàm ex deambulationis exercitio, recreatus eſt.

XIV. Illuſtriſſimus Legatus noſter ex poſtulatione Principis Sigiſmundi, ad Ionæ pagum iuit, vt à Suecis Induciarum prolationem pro duabus ampliùs hebdomadis impetraret. Noluerunt; Vidimus Fortalitium, quod in ripa fluminis conſtituerunt, ibique tormenta bellica militeſque collocatos.

XV. Commiſſarii Sueci Illuſtriſſimum Legatum ad prandium in diem Dominicam inuitauerunt, quod me Principi Sigiſmundo ſignificare iuſſit, vt illi ſpes fieret, aliquid à Suecis impe-

trandi. Sub noctem allatæ sunt Legato litteræ ab homine Normanno, vetustæ illæ quidem, nimirum super rebus Daniæ scriptæ.

XVI. Legati Angliæ Hollandiæque ac Brandeburgi, Commissarios Polonos conuenerunt ad Nudorffium, qui se potestatem dixerunt habere, vt Regno Sueciæ renuntiarent, si Borussia ac Liuonia illis restituerentur. Istud retulerunt Legato nostro Brandeburgici. Manè Legatus Angliæ nostrum inuiserat. Toto pomeridiano tempore ego & Theologus libros Burgrauii Mariæburgi euoluimus, vbi Leonardi Marandæi, amici mei, fabulam, quæ *Ariades* inscribitur, deprehendi, permultos in Iesuitas libellos, Thuani vbique historiam in omnibus ferme bibliothecis. In libro Latino *de statu Galliæ sub Carolo IX. & aliis*, legi fabulam manu-scriptam, de quadam tabula, quam Summus Pontifex ad Cardinalem Lotharingiæ mittebat, vbi à Michaële Angelo B. Virginis imago depicta erat, pro qua imagine alia substituta fuit, dolo Protestantium scilicet, quæ Cardinalem obscœnis amplexibus implicatum exhibebat, &c. In cœna appositus nobis est Carpio ponderis vigintiquatuor librarum, qui triginta tantùm assibus emptus fuerat.

XVII. Dum Illustrissimus Legatus apud Suecos cum Legatis Hollandiæ prandio exciperetur, in Ionædorffio; ego ac Theologus statim post meridiem Ecclesiam adiimus, vbi Catholici Polonicè hymnos cum lacrymis ac suspiriis canebant. Facies illa antiquæ Christianorum perse-

persecutionis fuit, videre miseram plebeculam, quæ vndique è pagis conuenerat (nam tres aut quatuor tantùm sunt in vrbe Catholicorum familiæ) humi ante altare prostratam, quasi iam imminenti carnifici iugulum præberet, timentemque hinc Lutheranos, suos ciues, à quorum impetitione, calumnia, contumelia, vel in ipsa pace non quiescunt, inde ingruentes ac propediem ingressuros Suecos, qui hæreticæ prauitati militarem crudelitatem ex rapiendi trucidandique consuetudine, iampridem addiderunt. Ascendit interim suggestum Sacerdos pauidus, qui Legati nostri fide ac sponsione remanserat; quem perorantem, trepidéque singula verba perpendentem, hæretici, quorum hora instat, toruùm intuentur, præsentiâque suâ premunt & abigunt. Notaui ego non sine dolore, dum ille inclinato in genua populo, confessionem generalem dictaret, Lutheranum acolythum, precationum suarum formulas altari proximo imponentem, non sine strepitu ac contemptu: quid nobis absentibus, quos Legati comites sciebant, fieri possit, non debili coniectura æstimabamus. Sacerdotem post peractum officium in hortulum sequuti sumus, vt ei animos, pietate certè non egebat, adderemus. Ipsa die mane in arce Pastor Caluinista suo item gregi vale-dixerat, lacrymasque expresserat. Nam istic, vt verum fatear, & pace fœderum nostrorum dictum sit, Sueci reliquarum nationum ac religionum communes hostes ac contemptores audiunt.

Inuisimus postea Christianum Copium, Ciuem Mariæburgensem, qui nec paucos nec inconcinnos libros habet, multa ac præclara biblia. Habet ille librum ligneũ cerâ nigrâ illitum, quales erant illi antiquorum: Habet item plures legum Romanarum optimæque editionis, tam ex Italia, quàm Gallia Codices, itemque iuris Interpretes. Præsentes etiam ibi fuerunt duo Angli & vnus Hollandus ex Legatorum comitatu.

XVIII. Allatæ sunt litteræ ad Hollandos quibus victoria Mareschalli Castilionæi confirmabatur. Aliæ item ad Auaugurium, factum accuratiùs explicantes. Illa die tam ex propria infirmitate, quàm ex aëris, qui nubibus & tonitru implebatur, intemperie, somno tædioque oppressus per multas horas super lecto iacui; quod & idem Illustrissimo Legato contigit, qui Principem Sigism. in arcem me inscio conuenerat.

XIX. Princeps Sigismundus Illustriss. Legatum vicissim inuisit, antequam ad Polonos proficisceremur Thorunium. Ea die cœnauit cum Legato Gallus è Normania, N. *Cabray*, qui sub variis Imperatoribus in Germania meruerat, nempe sub Rege Daniæ, & deinde sub Rege Sueciæ. Narrabat ille, ante septem circiter annos, Gustauum contra Polonos pugnantem, à cohorte quadam Croatarum captum fuisse, qui illum incognitum ad castra sua abducebant. Cum Sueci de illo vehementer anxii essent, discursarentque vndique, vt illum inuenirent, fa-

ctum est, vt in illius pugnæ trepidatione atque tumultu, quidam eques Suecus imprudens, se in illam Croatarum cohortem contulerit, quasi socii essent, quod cùm tandem animaduertisset vidissetque Regem suum captiuum, deduci: cautè iste, & quasi Croata foret, impunè, ac prohibente nemine, ad Regem accessit, continuoque scloppetum illi tradens: En, inquit, *Camarade* (verbum istud Regi familiare erat) hoc tibi do. Arreptum Rex nullâ morâ, neque deliberatione in alterum Croatam, qui illum ducebat, exonerat, alteri in os manubrium scloppeti impingit, correptâque fugâ cum suo liberatore euadit ad suos. Oportuit deinde vt Rex, non sine solicitudine, hunc suum Vindicem, qui se ad stationem suam receperat, exquiri iuberet, ne cogitantem quidem de vlla mercede: à quo cùm peteret Rex quid postularet, vt tua (inquit ille) Maiestas det mihi aliquid ad bibendum cum sodalibus meis. Digna scilicet Regis recuperati merces. Contigit id ad milliare prope Mariæburgum locusque mihi indicatus est.

Eodem fere tempore ad Caput Vistulæ, vulgò *Houet*, vbi Vistula scinditur prope Dantiscum, idem Gustauus ictu mosqueti vulneratus est per armum dextrum, hæsitque illi globus in sinistro nec extrahi potuit, ita vt cruorem ore naribusque euomeret, vnde transfuga quidam qui illum sic animam quasi efflantem viderat, id ad Generalem Polonorum *Coniezpolski* statim nuntiauit, qui sui e gaudio, sine alia de causa, in

ſtuporem incidit. Retulerunt iſtud Legato noſtro duo Hollandiæ Legati, qui hic tunc etiam erant, & cum Generali ipsâ die cœnabant.

Iterum idem Guſtauus in Germania, in Croatarum, credo, manus deuenit captiuus, vnde etiá à ſuis recuperatus eſt. Vt non mirum ſit, hominem (nam & ipſi homines ſunt) tam ſæpe pericula tentantem, periculis tandem ſuccubuiſſe. Nemo ſe tutò diu periculis offerre tam crebris poteſt. Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando inuenit. At tantâ ſtrenuitate erat Guſtauus, vt vulgò iactaret apud ſuos, vix eſſe vt Reges vlli in prœliis caderent, nec id fieri ſolere. Vt id factum eſſet nunquam, tametſi hiſtoria teſte frequentiſſimè acciderit, docuit pugna Lutzenenſis Guſtauum ipſum, docebitque poſteros, eoſdem caſus Imperatorem manere, qui gregarium militem, ſi ſe Imperatores gregariorum periculis obiiciant. Preſſi ego perſæpe Stocholmiæ Guſtaui tumulum, nec reluctatus eſt, nec ſe commouit, permiſitque ſe impunè calcari, is ipſe, inquam, Guſtauus, qui propter epiſtolam ab Imperatoriis Legatis Lubecæ negligentiùs acceptam, vt alibi narraui, tantos impetus tamque cruentos in Germaniam fecerat.

XX. Legati Hollandi Brandeburgicique Illuſtriſſimum Legatum noſtrũ conuenerunt, vt quindecim dies prolatarum induciarum inter Suecos Polonoſque, qui ad 25. Iulii perueniebant, ad primam vſque Auguſti protraherentur. Iuſſit me vocari illuſtriſſ. Legatus, meque omnium Mediatorum nomine ad Ionædorffium

ſtatim ire. Parui, cúmque aduenissem, Secretarius Commissariorum Suecorum obuius mihi factus est, dixitque reliquos abesse, vnum superesse *Axelſon*, qui quidem cum ſolus eſſet, nullam haberet reſpondendi mihi poteſtatem. Volui tamen illum alloqui, & quod in mandatis datum mihi erat, exequi. Recepit me ille in Aula publica, in qua de negotiis agere ſolebant.

Cùm ego illi expoſuiſſem legationem meam, petere nimirum Dominos Mediatores, vt vellent inducias ad primam diem Auguſti proferre, id iam conſenſiſſe Polonos, id ſibi perſuaſiſſe Mediatores, Hollandos præſertim, qui quod hanc ſpem animo conceperant, id etiam, vt iam pactum, ad Illuſtriſſimos Belgii Ordines, & ad Principem Arauſiæ ſcripſerant, qua in re metuebant, ne vel mendaces, vel parum prouidi iudicarentur à ſuis. Secundò, has inducias ob aliam item rationem eſſe proferendas, ſcilicet, quòd Legati Galliæ & Hollandiæ, ad Regem Poloniæ proficiſci vellent, qui Thorunii erat, quod iter inundatione & cremento Viſtulæ incommodum ac longius erat. Itaque maiore tempore illos indigere. Subdidi aliam Mediatorum petitionem, nimirum, vt Sueci omnes ſubſignarent epiſtolam, qua in illas inducias conſenſerant, quoniam vnicus Comes Brahe ſubſcripſerat. Reſpondit mihi comiter *Axelſon* ad ſingula capita, cùm tamen præfatus eſſet, ſe nihil ſine Collegis concludere poſſe, & vnum Collegium non facere, primò, hos quatuor aut quinque dies, qui petebantur, magni eſſe momenti, nec

putare consensuros Collegas. Respondi ego, nihil vrgere, non ingruere exercitum, non commeatum deduci, non vrbem obsidione premi, denique modici temporis moram præiudicium magnum facere non posse, id demum petere non Polonos, sed Mediatores, qui tam procul aduenerant, qui tot labores ad hos tractatus promouendos susceperant, me affirmare posse (tametsi idoneus fortasse in rebus tanti momenti fideiussor esse non possem,) nullum Polonum apud Legatum nostrum vidisse, vt credere tandem desisterent, id à Polonis postulari. Replicauit mihi ad hæc Commissarius, se cum sociis hæc quæ proponebam, communicaturum.

Ad secundum caput, quod ad subscriptionem pertinebat, dixit, nescire se an etiam suum instrumentum Poloni Commiss. omnes subsignassent, respondi, id verisimile esse, quandoquidem id Mediatores vellent, nec eos conditiones iniquas ab altera parte postulare, ab altera non exigere; reliqui ergo illi epistolam, vt illam reformarent tam in additione dierum, quã in subscriptione. Dedi item dicto Commiss. aliam epistolam, quam priuatim Suecis Commiss. scribebat Legatus noster, pro Catholicorum protectione. Redii deinde Mariæburgum ac post relationem Legato meo factam, iui ad Hollandos. Secretarius Hollandorum, qui à Mariana insula redierat, attuleratque consensum Polonorum vsque ad primam Augusti, omniumque subscriptionem, inuisit Legatum nostrum. Obtulit Legatus noster, vt, si vellent

Hollandi, solus ad Suecos redirem, ostensurus illis Polonorum consensum, si fortè ad idem præstandum moueri se paterentur: petierunt Hollandi, vt fineret Legatus noster illorum Secretarium venire mecum, noluit noster, quod quo animo faciebat, ipsi non cogitabant. Optionem tamen illi dabant, vt faceret quod vellet, meque vel solum vel suis stipatum mitteret, obtuleruntque mihi tradere Epistolam Polonorum.

XXI. Illustrissimus Legatus inuisit Legatum Angliæ. Ac paulo post meridiem profectus est Thorunium: Vesperi Marianam insulam aduenimus, vulgo *Marien Vverder*. Quæ statio Commiss. Polonorum erat, reliqui abierant, supererat Comes Belsensis. Lectos illic nullos inuenimus, decubuimus super scamna, nam in Polonia ac Prussia nulli peregrinantibus lecti dantur in diuersoriis. Oportet suos ferre vel humi iacere, nec nisi difficulter palea emi aut inueniri potest.

XXII. Summo mane facillimum fuit nobis expergisci; sed quod omnem præteritæ noctis molestiam absterſit, transiit secundum domus nostræ fenestras, cohors peditum Palatini Belsensis: nam isti Palatini cùm incedunt, siue in pace, siue in bello, paruos quasi exercitus secum trahunt. Paulò ante amiserat ille coniugem, ac duo hominum millia qui illi subsunt, veste nigra indui suo sumptu curauerat. Id omnibus huiusmodi Magnatibus in Polonia fieri consueuit. Itaque cohors illa atra veste pulchro ordi-

ne incedebat, ac ante vexilliferum incedebant tres pari passu tibicines cum tympanista, optime concordes; ita vt sponsæ alicuius deductionem ac pompã potiùs, quàm militũ agmen transire, si auribus credas, existimes. Qui post vexillum incedunt, latiore spatio ambulant, ita vt cunei figuram tota cohors efficiat. Præcedebant illi Palatinum ad mansionem serotinam.

Lustrauimus oppidum ego & Theologus, Ecclesiam præsertim, quæ Cathedralis olim erat, ab Lutheranis nunc obtinetur; magna illa est, & præalta. Super magnum altare suspensa sunt ingentia organa Pertinet illa vrbs ad Electorem Brandeburgensem, qui Canonicorum Episcopique domum obtinet reditusque. A castello Episcopi ad fluuium vsque porrigitur longa porticus, altis arcubus lateritiis sustentata, belli, vt arbitror, vsibus commoda, nam ad extremitatem foramen ibi est altum, ad quod ascendi non nisi per funem potest. At fabulam populares narrant, fuisse quendam Canonicum istius Ecclesiæ, qui mulierem amabat. Is tandem increpitus ab suo Episcopo Collegisque, quòd rem illicitam faceret, finxit se pœnitere velle, dixitque, parum tamen verecundè, quod amorem incacare proposuerat. Igitur, cùm diues esset, hanc longam porticum arcubus impositam ædificauit, & in eius extrema, quæ ad fluuium pertingit, parte, veluti turrim quadratam ad duorum, aut trium exapodorum latitudinem, honos sit auribus, latrinã fecit, ad quam quotidie secedebat: Fluuius qui in imo est, tur-

rimque subterlabitur, *Liebe*, h. e. amor, nominatur, & hoc commento se, cùm amorem incacare deinceps velle promisisset, promissis stetisse asserebat; nec ab dilectæ suæ mulieris consuetudine destitit. Istius verò luculentæ historiæ, an Lutherani isti autores idonei sint, Delphi, credo, adeundi non sunt.

Cum Palatino Belzensi pransus est Illustriss. Legatus, egoque cum Auangurio & Molzeo. Filius natu maior Palatini hîc remansit per morbum, quem tamen iucundè ac cum suaui Galliæ recordatione, allocuti sumus. A prandio prior exiuit Legatus noster, expectauimusque Palatinum in oppidulo *Gardensée*. Ibi in illius rhedam Legatus ingressus est. Habebat centum circiter Tartaros equites siue Cosacos, arcubus ac sagittis instructos, huc & illuc citissimè discursantes, plures rhedas ac currus, in quibus nobilitas sedet non paruo numero. Totum illud iter amœnissimum fuit inter prata, riuos, nemora, agros frumentarios ac frugiferos, aduenimus sub vesperam ad Oppidum *Graudentz*. Cœnauit Illustrissimus Legatus apud Palatinum, ego item & Auangurius. Illuc conuenit Castellanus quidam, qui Palatini sororem duxerat. Magno labore ibi lectum inueni, qui præcedentis noctis damna resarciit; Socii in stramine fuere.

XXIII. Quæ vigilia D. Ioannis Baptistæ fuit, per nemora ac prata transiuimus (prior Palatinus excesserat) ac infinitas herbas collegimus, recordantes, hunc diem tam piis homi-

nibus vbique terrarum, quàm maleficis religiosum esse. Appensas etiam in domibus rusticorum herbas intuebamur, apud quos hic etiam mos, vti apud nos hactenus seruatus est, nisi quòd, vbi abundant Lutherani, ignes solennes excitari vetant. In pago N. vbi nos Palatinus expectabat, pransimus. Deinde postprandium, cùm Thorunium commodè peruenire possemus, sesquimilliari procul substitimus. Ibi in herba iacens Epigramma composui ad Palatinum Belsensem, qui ante aliquot dies elegantissimos versus Legato nostro dederat: Occasionem arripui, quod inter prandium quæsitum fuerat, num in Polonia Ouidius mansisset?

Ad Illustrißimum

PALATINVM BELSENSEM, SVAVISSIMVM POETAM.

QVis porrò dubitet, terris an Naso Polonis,
Exilij tempus triuerit omne sui?
Vt non id fama communi murmure constet,
Illius & faciant carmina multa fidem.
Vel te ipso, Belsi, possum conuincere teste,
Belsi, Sarmaticæ stirps generosa plagæ.
Nam cui tam promptum est Romanos fundere versus,
Cui facilis tanto Musa lepore nitet.

Doctus es ad Musas ipso Nasone magistro;
Tam bona non potuit vena aliunde peti.
Fallor & aut Naso priscus non occidit vnquam,
Aut in te, Belsi, Naso reuixit adhuc.

Ibi cùm neque palea, neque stabulum, neque horreum commodum, vbi dormite possem, in rheda super veteri stramine dormiui.

XXIV. Ad pagum vicinum se contulit Illustrissimus Legatus, in quo Missam audiuit. Adductæ sunt deinde plures rhedæ, quibus Thorunium hora secunda post meridiẽ ingressi sumus. Magnus Regni Secretarius cum *Doenhoff*, fratre eius, qui inter Commissarios erat, obuius fuit Legato, non sine oratione Latina, ad quam ex tempore appositissimè respondit. Cùm in vrbem aduenit Legatus hospitiumque ingressus est, ab Mareschalli Aulæ Regiæ conuiuio exceptus est, adfuere illi Auaugurius ac Theologus: Ego interim Iesuitarum Ecclesiam adii D. Ioanni dicatam, musicâ organisque vndique resonantem. Insignis est illa Ecclesia, ac Parochia multis altaribus, tabulis, labaris, aliisque ornamentis decorata. Ibi est Cenotaphium Nicolai Copernici, qui Thorunii natus erat, fueratque Vvarmiæ Canonicus, iunctumque est Epitaphio Alberti Regis, qui anno 1501. apoplexiâ decessit. Noudum didici quare hic Mathematicus, cum hoc Rege.

Nicolao Copernico Thoruniensi absolutæ subtilitatis Mathematico, ne tanti Viri, apud exteros celeberrimi, in sua patria periret memoria, hoc Mo-

numentum positum. Mort. Vvarmia in suo Canonicatu. Anno 1543 *die* 4. *V. ætat.* 73.

Non parem Paulo gratiam requiro,
Veniam Petri neque posco, sed quam
In crucis ligno dederas latroni,
Sedulus oro.

XXV. Ad cœnam inuitatus est Illustris. Legatus ab Principe Radziuilio, me, Auauguriūm, ac Molæum secum duxit. Inuitati sunt vtique Legati Hollandiæ, qui tribus antè horis aduenerant. Aderant permulti Nobiles Poloni, v. g. Palat. Belzensis filiusque, filius item Radziuilii, duo ex fratre nepotes, iam satis ætate prouecti; *Sanasky*, qui apud Hollandos, alibique, Legatus fuerat; omnesque ferè comites Legatorum Hollandiæ. Lautum fuit conuiuium, herbisque ac acetariis ornatum. Sedebat in media ferè mensa Legatus noster, præscindensque cibos ante illum erat, hic est honoratior locus: à dextra Legatos Hollandiæ, à sinistra Palatinum Belzensem habebat. Propinatum est de more incolumitati Regum per quatuor horas. Illâ ipsâ die Princeps Casimirus, Regis frater, profectus est Viennam, vt pro Imperatore exercitum in Germania regat. Hanc profectionem tam subitam Galli interpretati sumus, quòd ille nos non diligeret admodum. Inter hoc conuiuium musica tam instrumentorum, quàm vocum conuiuas exhilarauit. Eunuchus præsertim Regius, quem ille ex Italia deduxit, nitidissimâ voce & altissimâ, omnem strepitum perrumpebat.

XXVI. Illuſtriſſimus Legatus ad audientiam Sereniſſimi Regis Poloniæ ductus eſt, à Magno Secretario & Gerardo *Doenhoff*. Aderant Regi Magnus Cancellarius, Dux Radzuilius, *Coniezpolſky* Generalis armorum Præfectus, Palatinus Belſenſis, & Palat. Cheradienſis, Regi Sigiſmundo imprimis gratioſus, aliique permulti. Stabat Rex inter illos tecto capite, nullo Vraniſco. Ingreſſus Illuſtriſſ. Legatus ſolitiſque corporis demiſſionibus ritè factis, propiùs accedens, cùm Rex prior ſe operuiſſet, ſe vtique ille operuit; & quia Regem Italicæ linguæ callentiſſimum eſſe didicerat, Italicè illum affatus eſt, dixitque;

Si ad ritè obeundum Legati munus, repræſentanda ſibi eſſet Chriſtianiſſimi Regis erga Sereniſſimum Poloniæ Regem beneuolentia, ſe hoc legationis onus ſuſcepturum fuiſſe nunquam; quippe quod illius dignè explicandæ ac teſtificandæ omnino impar eſſet, tamque ſe remotum eſſe ab illa facultate, quàm foret ſui ipſius Interpres, ſi forte aliquo apud Sereniſſ. Regem vti opus haberet, ac ſupereſſet aliqua lingua, tam ſcienti Principi incognita. Non debere Serenisſimum Regem de Chriſtianiſſimi Regis amore dubitare, quòd paulò tardiùs ad illi gratulandum miſiſſet, huius moræ cauſam non in longinquitate itineris poſitam, ſed quòd Rex Chriſtianiſ. diſtentum bellis aduerſus Turcas & Moſcouitas Vladiſlaum, interpellare noluiſſet. Deinde quòd, cùm præuideret, tempus induciarum inter Polonos ac Suecos breui

transfactum fore, tum demum Legatum mittere destinasset, qui non obsequiosa tantùm ac solennia gratulationum verba, sed vera ac solida, in procuranda pace, officia Regi Serenissimo exhiberet, ac tametsi per alia regna in transitu fuisset Legatus, ibique per cæli marisque tempestates longiorem moram fecisset, nihilominus hoc illi primum ac præcipuum in mandatis fuisse, vt in Poloniam proficisceretur. Sed in hoc negotio, vti in aliis omnibus, contigisse, vt quod in intentione Regis Christianissimi primum fuerat, id vltimum in exequendo relictum sit. Regem interim Christianissimum lætissimo animo accepisse, tot victorias ab Strenuissimo Vladislao de communibus Ecclesiæ hostibus reportatas, & cùm omnes Christiani Principes tam insignibus & vtilibus triumphis palmas inferre debuerint, quidni & Rex ipse Christianissimus, qui, quòd Ecclesiæ primogenitus est, iure quodam præcipui potiorem huius communis lætitiæ partem capere debet. Itaque non pœnitere Regem Christianissimum, neque Legatum ipsum, quod tunc tantùm aduenerit: Nam, si maturiùs aduenisset, statim post euectum ad Regiam dignitatem Vladislaum, quid illi gratius ac honorificentius facere potuisset, quàm eos illi successus augurari, quorum nunc illi acclamationes ac plausus ingeminat? Gaudeat igitur Sereniss. Rex in pectore, glorieturque, quòd habeat Christianiss. Regem gloriæ suæ suffragatorem; pergat deinceps, quo pede cœperit: his artibus ad Heroum famam perueniri, hanc

esse lacteam viam confertissimis virtutum stellis vndique conspersam, quæ ducit ad Deorum sedes. Sed nolle se in hunc Oceanum longiùs inuehi, quod nisi materiæ maiestate vinceretur, libentissimè faceret, præsertim cùm ex ea stirpe ipse sit, quæ erga Reges Remque Publicam Poloniæ iam pridem bene animata sit: Auum suum Henricum Memmium, hanc celebertimam Legationem, quæ Henrici III. causâ à Polonis facta fuerat, Caroli IX. nomine excepisse, ac cum illis pro Rege, pro Regina Matre, proque ipso Henrico tractasse; vnde non inter Remp. modò Polonam, sed inter priuatos hos Legatos, cum Auo beneuolentia contracta sit: cuius occasione & qui Polonis beneuoli fuerint, ad Memmiorum affinitatem ac necessitudinem etiam accessisse; Monlucios nimirum, quorum alter Ioannes Monlucius, Episcopus Valentinus, qui hanc Henrici III. Electionem procurauerat, ob Politicas artes: Blasius alter Monlucius, Franciæ Mareschallus, ob militares virtutes, toti etiam Europæ notissimus fuit. Has ob causas, se à Rege Christianiss. è tanto insignium Virorum numero, qui illi adsunt, potissimùm delectum, vt priuatâ etiam necessitudine impulsus, Regiæ Maiestatis vota ac mandata libentiùs exequeretur. Polliceri se itaque, si Regiis mandatis perficiendis aliquid suæ industriæ addere posset, impensissimè facturum; sperare, vt felicissimus Rex post duas à fortissimis populis latas victorias, geminamque cum illis stabilitam pacem, tertiam tandem cum his Suecis ineat,

vt deinceps, ter Maximus Vladislaus, iure ac meritò nuncupetur.

Finitâ hâc Oratione, cum omnium circumstantium probatione atque plausu, Rex paucula cum suo Cancellario collocutus est in aurem, ac tum demum Cancellarius grauiter comiterque Latinè respondit: & post impensè laudatum Christianissimum Regem, & latè explicatam Serenissimi Poloniæ Regis erga illum beneuolentiam, subiunxit in fine nonnulla de laudibus Illustriss. Legati, tam ipsius priuatis, quàm domesticis. Nos, postquam Legatus litteras Regis Reginæque Christianiss. Regi Pol. obtulit, manumque osculatus est, idem omnes ordine fecimus. Eâdem die incogitantes Hollandos Legatos Rex ad se vocari iussit, qui illum statim post nos digressos salutauerunt, ac Oratione Latinâ affati sunt: Indè illi inuiserunt Legatum nostrum.

XXVII. Priuatum cum Sereniss. Rege colloquium habuit statim post meridiem Legatus noster, fuitque cum illo solus per duas ampliùs horas. Sedentes ambo erant tectique.

Manè Illustriss. Legatum inuiserat Cancellarius cum Palatino Pomeraniæ multisque Nobilibus, nam præclarus est Magnatum Polonorum comitatus, aderat etiam Magnus Secretarius, cum multis aliis Ecclesiasticis sericâ veste indutis, Italicum in morem. Hollandi etiam priuatim Regem conuenerunt.

XXVIII. Post prandium Hollandiæ Legatos inuisit noster, indè Gerardum *Doenhoff*. Ille est,

est, qui Thorunium contra Vrangelium defendit, seruauitque.

XXIX. *Coniezpolsky*, Generalis armorum præfectus, Dux Radziuilius, Palatinus Cheradiæ, aliique Primores viri magno comitatu, Legatum nostrum inuiserunt, cumque his ille de negotiis præsentibus, magna animi contentione certauit. A prandio iterum priuato colloquio à Rege exceptus fuit Illustrissimus Legatus, à quo cùm rediisset, reliquum diem mecum legendo colloquendoq; transegit; cùm socii mei Vistulã transuecti, in ipsam Poloniam, soli illius vsurpandi terendique causã, se contulissent. Sub vesperam duo Brandeburgici Electoris Consiliarii Illustriss. Legatum conuenerunt.

XXX. Postquam Illustrissimum Legatum de Missa reduximus; ego & Theologus cum Patribus Iesuitis pransimus, qui nos perquàm humaniter exceperunt. Inuisit illa die Illustrissimus Legatus magnum Cancellarium, ac Palat. Belsensem. Ego qui interim in lecto decumbebam, vel inuitus à sociis raptus sum ac coniectus in rhedam, quæ nos ad vnum aut alterum milliare, in villam Colonelli Plessæi vexit. Est ille strenuus Gallus è Normania qui vxorem duxit è Vienna Austriæ oriundam, vnius è Sparorum Suecorum familia viduam, Catholicam ac probam, nec inuenustam fœminam. Venerat nobiscum alius Gallus item è Normania, nomine *de Cabien* vel *Cabray*, vir vtique strenuus, Equitum cohortis ductor, qui sub Gustauo Rege, ac prius sub Rege Daniæ me-

ruerat, Caluinista ille est, vti & Plessæus; at de religione non admodum solliciti sunt huiusmodi homines, nec de pietate erga propinquos, præ quorum charitate æstimant vel Suecos, vel Polonos, vel ipsos etiam Moscouitas, si qua pinguioris aut certioris stipendii spes affulgeat.

Prima die Iulii, quæ Dominica fuit, summo mane, rediimus Thorunium, vt Illustrissimo Legato adessemus, qui & ipse supplicationi publicæ, quæ circa Ecclesiam fieri assolet, adesset. Illic etiam erant plures Palatini, ac imprimis Generalis Armorum Præfectus *Coniezpolsky*, apud quem pransus est Illustrissimus Legatus.

II. Festum Visitationis B. Mariæ apud Polonos solenniter celebrabatur. Plures Episcopi in Ecclesia Iesuitarum Missam dixerunt. Audiui illam M. Cancellarii, quinque Ecclesiasticis rite vestitis, ac ferè centum cùm Nobilibus, tum famulis stipati. Audiui deinde Polonic. concionem, quæ fit inter Missarum solennia. Germanica maturius fit hora septima. A prandio adii Ecclesiam Dominicanorum, vbi magnum sodalitium Rosarii: post vesperas fit processio, in qua labara gestant, itemque imaginem pictam B. Virg. quam quatuor sodales succollant; deinde etiam Venerabile Sacramentum. Aderat Prælatus, nomine *Lipski*, futurus Episcopus Culmensis, in veste ordinaria, multique alii Nobiles. Matronæ item Nobiles paucæ, quæ stellas ex vnionibus in capite gerunt, ac desuper pileos viriles nullius valoris, præaltos ac breui fimbria; breuissimos item habent pallio-

los rugatos crispantesque, nec est vestis illa admodum decens. Pleræque etiam plebeiæ ac rusticæ mulieres imam vultus partem linteo inuoluunt, ne infuscentur. Floreis coronis virgines capita sua integunt vel exornant: quæ nuptæ sunt, diadema nigrum in fronte habent. Quædam ex ditioribus ciuium fœminis, reticula ex auro & serico in capite gestant. Priuatim ea die cœnaui cum Illustrissimo Legato, qui à nemine conspici voluit, ob quædam expedienda negotia.

III. Ernestus *Doenhoff* Castell. *Pernau*. Illustrissimum Legatum inuisit, deinde Legati Hollandi. A prandio suasi illi, vt Vistulam transiret; transiit, Poloniamque tandem attigimus, nam Thorunium in Borussia est. At tametsi idem cælum idemque fermè solum conspiciatur, afficiant certè oculos animosque noua illa regna & loca, cùm primum pedibus aut oculis vsurpantur. En hic Iagellones imperarunt; en huc venit regnauitque Henricus III. en istic etiam Ioannes Monlucius, Pibraccus, aliique viri insignes, tantum nomen reliquerunt. En hic quondam etiam ingeniosissimus Poëta Ouidius, si vera est fama, exulauit. Ingredi voluit Illustrissimus Legatus, arcem in ripa fluminis sitam, quæ Thorunio imminet, in qua etiam ad perpetuum incolarum militum monumentum, ceruisiam hausimus. Rediimus paulò post in scaphulis, quæ in fistulæ formam factæ sunt, longæ nimirum angustæque, eoque citius transuehuntur. Pone

quippe dirutus erat, ex impetu fluminis, cùm glacies soluuntur.

IV. Legatus Angliæ, qui tribus ante diebus aduenerat, priuatimque à Rege exceptus (nam multis antea mensibus in Poloniam aduenerat) ad Legatum nostrum misit salutandi illius gratia, ipsoque die profectus est, vti & Hollandi. Adfuit Missæ Illustrissimus Legatus, indeque Serenissimo Regi vale-dixit priuatim, cùm tamen egregiam illi, quam vidi, Orationem Latinam publicè dicendam composuisset. Intromissi deinde fuimus, manusque Serenissimo Principi osculati sumus, die præcedenti imaginem suam, ad viuum expressam, Illustrissimo Legato miserat.

V. Vale-dixi Patribus Iesuitis, dedique illis imaginem Chalcographicam Eminentis. Card. Richelii cum hac mea subscriptione.

En vobis, Reuerendi Patres, qui rempublicam Gallicam sub Christianissimo Rege administrat. En ille quem inimici nostri oderunt; cuius cùm pietatis, doctrinæ atque virtutis monumenta, in animis omnium nostrum hærere semper debeant, Ipsius vtique imaginem, si Gallis bene vultis, libens vobis propono ac voueo. Car. Ogerius Illustris. Cl. Memmii, Domini d'Auaux, *à Christianissimo Rege ad Serenissimum Poloniæ Regem extraordinarii Legati comes. Thorunii mense Iulio, Anno* 1635.

Hanc imaginem summè venerati sunt illi, quæsieruntque ex me, cuius ætatis, cuius colo-

ris, cuius ſtaturæ, quia hæc in imagine deprehendi non poterant, ille vir eſſet. Dicam ingenuè quod animaduerti, vel ſe fingunt illi, vel non ſunt tam aduerſi Gallis, quàm plerique alii, quos illic vidimus, Eccleſiaſtici: nam, cùm ſocii mei, ipſeque præſertim Legatus, plures deprehenderint, qui maleuolo ſunt animo erga Galliam, ego certè in ipſo Regis Poloniæ cubiculo, pridie quã abiremus, cum vno locutus ſum; eſt ipſe Coadiutor Archiepiſcopatus Gneſnæ, quem pro huius dignitatis viro, miratus ſum, cur ſuus erga Auſtriacos amor tanta perturbatione illum impleret. Sermo inciderat de re Ducis Aurelianenſis, cum Margareta ſorore Ducis Lotharingiæ; quærebat ille, cur iſtud matrimonium dirimere Rex Galliæ vellet, & cur licitum Gallis eſſet, leges Eccleſiaſticas inſuper habere? Reſpondi ego, quàm potui, modeſtè; Chriſtianiſſimum Regem nihil tale aggredi velle, vt legibus Eccleſiæ vim faceret: non illum, neque Iudices eius ſuper lite matrimoniali, ſed ſummum Pontificem pronuntiaturum; confirmaret Pontifex, vel infirmaret, Regem vtique pariturum.

Deinde non legem Pontificiam modò, ſed Regiam & Politicam conſiderari debere: id vel in ipſa Hiſpania, quæ ſe tam Catholicam iactat, ſolere obſeruari, teſte Couarruuiâ, Ant. Auguſtino, aliiſque. Cæterum, ſi in huiuſmodi matrimonio, & contra Concilia & contra Regias Galliæ conſtitutiones peccatum eſſet, è dignitate Regis eſſe, vt iſtud matrimonium dirimi

curaret. Desinerent itaque se angere exteri homines, ad quos ea res non pertinet; nam fortasse etiam ex euentu tale matrimonium, quod ab initio perperam sit contractum, si Regis consensus & Ecclesiæ ritus accedat, redintegrari posse. Ad hæc nihil ille mihi apposité replicauit, exiuitque cum aliis Nobilibus, nobis insalutatis, quò suam auersi animi significationem magis patefaceret. At de illa re nihil omnino cum Iesuitis egimus, tametsi illos videremus quotidie.

Ista eadem die *Casanoski*, magnus Regni Cubicularius, Regi imprimis gratiosus, Illust. Legatum inuisit manè. A prandio reuisit illum Legatus aliosque ex præcipuis aulicis, deinde tribus aut quatuor rhedis cum aliquot curribus, vbi impositi erant famuli & impedimenta, profecti sumus Risemburgum versus, quò se iam alii Mediatores contulerant. Pœnituit nos tam exiguo tempore in illa vrbe remansisse, propter multitudinem virorum illustrium, quos nosse cupiebamus, quique itidem se nostri cupidos satis ostendebant, neque vrbem etiam satis lustrare potuimus; nam semper Legato nostro adhærendum erat, qui ab omnibus Optimatibus adibatur. Cæterum, ille cum præsertim ex egregiis animi dotibus, tum etiam ex vestium ornamentis, quæ plerosque afficiunt, vniuersæ Aulæ Regique potissimum ipsi gratissimus fuit: nam in decem circiter diebus quibus Thorunii versatus est, quinquies Regem inuisit, quinquies vtique elegantissimas vestes, quas Lutetiâ Dan-

tiſcum vehi curauerat, mutauit. Famulos ac pediſſequos nouis etiam veſtibus induit: nec iſti pompæ, quotquot eramus comites, tametſi res omnes quæ ad veſtitum pertinent, duplo magis quàm in Gallia vendantur, deeſſe voluimus. Diſcedens Legatus Præſtaui ſui, h. e. Occonomi ſiue conductoris vxori, horologium argenteum dedit, aliud item hoſpitis ſui vxori eleganti honeſtæque fœminæ, qui & ipſe perhumanus erat, N. Antonius *Heyſelmeyer*, ac quatuor aut quinque linguarum ſciens.

Profecti Thorunio tria milliaria fecimus, quæ ſex & ſeptem Gallica ſuperant, manſimuſque in pago in quo Pomeraniæ Palatinus erat, qui duos Ieſuitas, ſuos Capellanos Legatum noſtrum ſalutatum miſit. Quia apud illum gratiâ pollebam, per hos dies iuſſit mihi rhedæ ſuæ culcitras ad dormiendum ſterni, alii in palea iacuerunt.

VI. Vidimus triginta circiter Gallos ex regimento Colonelli *Du-pleßis*, Dracones illi vocantur, qui pagum noſtrum pertranſierunt: dicebant, ſe à duobus annis ſtipendium nullum accepiſſe, itaque ex rapto cogi plerumque viuere. Habent perniciſſimos equos mediocres, enſem ac bombardam, nulla arma quibus ſe contegant. Habent aliquot currus, mulierèſque ſiue coniuges, ſiue concubinas illis impoſitas. In villa qua eramus, horrea erant ad condendas meſſes certum ampliùs paſſuum longitudine, in quæ ſex portis curricula onuſta intrant; eſt quippe illa regio tritici ferax, nec frugiferis arboribus eget. Poſt prandium profecti ſumus hinc, tranſiui-

musque per oppidum nomine Rasiniam, vulgò *Rasen*, à Suecis incensum ac deuastatum, in amœno tamen situ: inde venimus in oppidum Lasiniam, *Lessen*, ab iisdem Suecis dirutum. Nihil est profectò tam miserabile tamque horrendum, quàm illarum ruinarum facies; videre homines, qui se antè paucos annos, florentis oppidi ciues fuisse meminerint, in ædificiorum suorum ruderibus atque speluncis quasi defossos, &, si quando exteros homines venientes aspiciant, continuò trepidare ac fugere, seque in latibula sua recondere, quasi Suecos semper, aut lupos videant. Id verò nobis aduenientibus factum est, sed cùm Illustris. Legatus in Parochum loci incidisset (nam omnes sunt ibi Catholici, res miranda!) significauit illi, nos ad illos iuuandos, non etiam fugandos opprimendosque accessisse, seque pacis Internuntium esse. Igitur pius Sacerdos domum suam vniuersam Legato permisit, quatuor nimirum parietes luteos ac perfossos, cum stramineo tecto, quod totâ illâ die perpluerat, nam adhuc restagnabat conclaue. Cùm in illud intraui, subridens mihi Legatus. Potiores (inquit ille) non sumus antiquâ illâ Imperatrice, ausi vtique, quemadmodum & illa,

----Palatino tegetem præferre cubili.

At alia res Legatum nostrum admiratione penè confecit, nam, cùm à lustrandis Ecclesiæ ruinis reuerteretur, conquesti sunt quidam ex nostris, quòd quidam Senex, qui aderat in misera ac trita veste, illis tectum commodare noluisset.

Cùm ſuper hac lite cognoſceret Legatus, ſeque excuſaret Senex, quæreretque Legatus dicis causâ, quinam ille eſſet, quid ageret, vnde viueret: didicit, illũ Scotum eſſe, ante triginta annos in hoc oppidum veniſſe, ibique incolis piper, picem, butyrum, aliaque huiuſmodi vendere ſolere, illumque etiam, dum adoleſcens eſſet in Gallia, Henrico IV. per annum militaſſe. Subiunxit Legato Sacerdos, qui interpres erat, ſe ſemper audiuiſſe, ſenem illum ex nobili Scotiæ familia ortum, habereque etiamnum fratrem, qui alicubi pro Rege Galliæ militaret. Petiit Legatus, qui de gregario tantùm milite intelligebat, quod-nam eius nomen eſſet? Reſponſum eſt, *Hailbron* vocari, ad hanc appellationem, nam teſtis ſum, penè concidit Legatus, iuſſitque ſtatim omnes è comitatu ſuo, qui Germanicè loquerentur, vt Senem hunc ampliùs interrogarent. Compertum eſt denique, hominem Colonelli *Hailbron*, qui pro Rege Chriſtianiſſimo duodecim hominum millia ducit, verum ac germanum fratrem eſſe. Illius filio, qui pedibus ac capite nudis ſoloque induſio amictus erat, vt ibi pauperibus moris eſt, aureum nummum Legatus donauit, quod idem Legatus Angliæ fecerat, quem pari admiratione ſpectaculum hoc diſtinuit.

At quis iſtud ſuſpicari poſſit? Miſeri illi, qui vix præ nimiis calamitatibus hominum mores retinuerunt, quique ferarum in ſpeciem ſub antris degunt, ferè omnes Latinè loquuntur aut intelligunt. Commodum id mihi fuit, nam pau-

per doliorum artifex, qui Latine ſciebat, me in thalamo ſuo molli pluma linteiſque albis excepit, dum ille cum coniuge in veſtibulo excubias ageret, cui cum mane ſequenti ſex groſſos, hoc eſt, tres, aut paulò ampliùs, noſtrates ſolidos dediſſem, ad genua mea ſe prouoluit, nam neque Poloni, neque Sueci, ſiue in bello, ſiue in pace, quicquam ſoluere hoſpitibus ſolent, quamobrem nihil illis quàm nuda cubicula offeruntur: ferunt quippe qui illis regionibus peregrinantur, ſuos lectos, ac neceſſariam ſupellectilem.

VII. Miſſam audiuit Illuſtriſſimus Legatus in ſacello ſuburbano, quod quidem ſacellum à Piſtore quodam, cùm omnia Sueci incenderent, ſeruatum fuit, quod diceret eſſe Lutheranum, peteretque, vt ſuis parcerent. Eleemoſynas ibi plures, tam in Eccleſiam pauperesque, quàm in Paſtorem fecit Legatus. Aduenimus horâ quartâ poſt meridiem Riſemburgum, quò iam cæteri Mediatores aduenerant. Mihi Molæoque idem domicilium, vt alibi, aſſignatum eſt.

VIII. Quæ dies Dominica fuit, priuatim apud Illuſtriſſimum Legatum preces fecimus, cùm ſupellex Eccleſiaſtica Mariæburgi relicta fuiſſet, nam Riſemburgi nulli Catholici ſunt. At iſtic mihi magni alicuius morbi metus iniectus eſt, cùm enim Senicula quædam hoſpes noſtra manè in cubiculo noſtro flores herbaſque odoriferas ſparſiſſet, à quibus tamen non abhorrui vnquam, tam fortis tamque denſus

inuasit mihi cerebrum vapor, vt per horam oculi mihi caligauerint; neque id modò, sed, cùm discussâ hâc nube aliquid vel Germanicè vel Latinè legere voluissem, minùs intelligerem. Itaque contuli me in domicilium Legati, aliquo vel esu vel potu recreaturus vires meas. Tum verò lingua mihi titubauit, ita vt vnum pro alio peterem. Post prandium ambulationemque dissipatus est, quiqui fuit ille morbus. Legatus Angliæ nostrũ inuisit; Superuenere Hollandici, deinde aliqui è Brandeburgicis. Oeconomus noster ad Commissarios Polonos iuerat, vt Legati nostri nomine moneret illos, num sequenti die in loco intermedio adesse vellent? Promiserunt. Allatæ sunt litteræ Lutetiâ, quibus tandem victoria de Hispanis à Marschallo Castilionæo narrabatur, datæ illæ erant 1. Iunii.

IX. Omnes Mediatores venerunt ad villam, quæ inter Risenburgum & *Marien-Vuerder* media erat, illuc etiam Poloni Commissarii se contulere. Dixit ad Pol. Illustris. Legatus, cæterorum nomine, tempus tandem esse, vt si quid haberent, quod ad pacem conferre posset, promerent illud, nam nisi ad Suecos aliquid noui afferrent, continuò omnem tractatum abruptũ iri: loquerentur itaque, quandoquidem Regis voluntatem nuper clariùs intellexissent, ac cum aliis Senatoribus consilium cepissent. Recesserunt Commiss. & cùm per semihoram deliberassent, reuersi sunt, ac præfatâ, vt moris est, veniâ; Cancellarius, quæcunque in his tractatibus facta fuerant, recensuit, vt se faciles ac DD.

Mediatoribus morigeros præbuerint, Sueci verò difficiles, morosos ac pertinaces; conclusit tandem, se voluntatem suam Collegarumque suorum clariùs aperire non posse, quàm, si sua ipsi mandata instructionemque exhiberent. Hęc dicens, Illustrissimo Legato nostro, cæteris præsentibus, chartam plicatam dedit, in qua subsequentes articuli, quos ex illa descripsi, erant hoc ordine.

Loca in Prussia & Liuonia occupata restituantur.

Leges latæ contra domum Regiam, abrogentur, amicitia verò inter Regna firmetur; vt tam Vladislaus Rex vxorem, quàm Christina maritum, Regnis suis inuicem amicum sumant; liberi verò ex illis progeniti, matrimonio iungantur, & in Suecia educentur.

Satisfactionem Sacræ Reg. Maiestati, & domui Reg. Regni Ordines ex Suecia faciant.

Mutua auxilia protestentur adinuicem ex conuentione.

Titulum Sueciæ Rex vsurpet ad vitam.

Exules restituantur.

In vim securitatis, donec conditionibus totaliter satisfiat, Prouincia aliqua Regni Sueciæ in possessionem Regis concedatur.

Ex locis quæ dimittentur, tormenta non auferantur, & ablata restituantur.

Naues acceptæ, tam ad Vismariam, quàm ad Pilauiam, quæ sunt, restituantur.

Telonea in Suecia, iuxta morem veterem, soluantur.

Restitutio iniuste extortorum Teloneorum, præter pacta, moderationi Illustrissimorum DD. Mediatorum permittitur, vti etiam damna & iniuriæ priuatis illatæ.

Cùm hæc coram aliis Mediatoribus legit Legatus noster, petiit; num quid de illis articulis Pol. Commissarii sinerent mutari vel minui? Dummodo, inquiunt, illi tres primi articuli inconcussi maneant, ac præcisè executioni mandentur; quantùm ad alios spectat, illos vestro, Illustrissimi Mediatores, arbitrio permittimus. At vno consensu omnes Mediatores responderunt, tres illos primos articulos à Suecis ferri non posse, nec debere illis proponi, atque adeo nullam sperandam esse pacem.

Post quatuor aut quinque horarum colloquium discessum est, ac vale dictum Duci Radziuilio, qui in Lithuaniam tendebat. Narratum ibi est, Antuerpiam à Principe Arausicano obsessam, inclusumque Card. Infantem.

X. Transiit summo mane per Risemburgum Princeps Radziuilius cum magna impedimentorum multitudine ac serie, pergebat ille in Liuoniam.

XI. Qui dies profectionis nostræ è Lutetia anniuersarius erat, litteras scripsi ad Fratrem & amicos.

XII. Festũ Risemburgi celebratũ est ab Lutheranis, qui hanc vrbe soli obtinent, ad consequendam pacem. Adii illorum Ecclesiam Germanicam, audiuisque non infacundum Pastorem. A prandio Mariæburgum se contulit Illu-

ſtriſſimus Legatus, diſtans quinque milliaribus. Statim atque aduenimus, miſit me Illuſtriſ. Legatus ad Commiſſarios Suecos, vt audientiam peteret in craſtinum. Nam hinc exceſſerant Brandeburgici, vt & Sueci viciſſim ex vrbe *Memel*, ſecundum pacta conuenta in præcedenti tractatu. Sub noctem Angliæ Legatus, qui præcedenti die venerat, noſtrum inuiſit.

XIII. Illuſtriſſimus Legatus manè per tres horas cum Commiſſariis Suecis fuit, quos ad pacem atque ad inducias difficillimos inuenit, quique dicerent idem tidem. Quandoquidem Poloni reſtitutionem Boruſſiæ noluerunt, cùm illam obtulimus: deinceps, ſi bellum gerimus, quicquid contingat, non ampliùs illam reſtituemus. A prandio Illuſtriſ. Legatum Brandeburgici inuiſerunt, qui & ipſi ad Suecos iuerant. Poſt cœnam Legatum Angliæ noſter inuiſit. Rumor per hos dies increbuit, Principem Arauſiæ in acie ab Hiſpanis occiſum, cum ad obſidionem Antuerpiæ ſe accingeret; Allatus eſt hic nuntius Dantiſco 9. Iulii ſparſuſque fuerat à mercatore Lubecenſi, qui naue aduenerat. Quamobrem omnes erant valde attoniti.

XIV. Legatus Angliæ, ex noſtri conſilio, profectus eſt ad Marianam inſulam nuntiaturus Polonis; Suecos habere octodecim millia peditum, & quinque millia equitum, quod à popularibus ſuis qui ſub Suecis merebant, didicerat: Itemque, vt proponeret illis, Suecos inducias pro annis quinquaginta facere velle: Interim Boruſſiam reſtituturos, Liuoniam retenturos,

dummodo Rex Poloniæ, titulum Regis Sueciæ per has inducias non vſurparet. A qua propoſitione, vt poſtea retulit Legatus Anglus, Poloni non admodum abhortuere, ſed dixerunt, ſe facultate, iſtius propoſitionis acceptandæ, deſtitui; nouáque Regni totius Diæta, ſiue Comitiis opus eſſe. Nihilominus, ſe Regi nunciaturos, Senatoribuſque, qui illum comitantur ſex numero, more maiorum.

XV. Quæ Dominica fuit, in Eccleſia Mariæburgi Miſſæ adfuit Illuſtriſ. Legatus. Plurimi interea milites Sueci, & ipſi Lutherani celebrantem Sacerdotem intuebantur, cum noſtra incredibili patientia, nam poterat eos Legatus expelli iubere. A prandio Comes Brahe, qui pridie ægrotauerat, Legatum noſtrum inuiſit ſolus. De nocte Legatus Angliæ rediit è Mariana inſula.

XVI. Summo mane Angliæ Legatus noſtrum inuiſit, illique quæ cum Polonis egerat, retulit. Legati Hollandici ſub veſperam Riſemburgo, vbi manſerant, rediere.

XVII. Illuſtriſſimus Legatus Miſſæ interfuit, atque inde Legatos Hollandos inuiſit. A prandio iuſſu Legati ſaluum-conductum pro Vicario Eccleſiæ Mariæburg. à Dominis Commiſſariis Suecis petii, vt tuto ad Marianã inſulã, vbi ſuus Epiſcopus, Cancellarius nempe Polonus, erat, ire ac redire poſſet. Id in gratiam Legati conceſſere illi, tametſi hominem ſuſpicione non carere dicerent: quam ſuſpicionem depuli ego, quantum potui, aſſerens, eſſe virum minimè

malum, vt res est.

XVIII. Illustrissimus Legatus vnum è nostris Elbingam misit, ad salutandum suo nomine Generalem *de la Garde*, qui oculorum morbo distinebatur, quò minus Mariæburgum venire posset. A prandio inuisit Anglum Legatum, qui litteras satis frigidas à Polonis acceperat. Post cœnam venit à Generali *de la Garde*, Nobilis Gallus N. *des Ouches*, qui Legato litteras ac salutationes attulit.

XIX. Aliquot paginas historiæ Germanicæ Ioannis Sleidani in Latinum verti, vt mei in ista lingua profectus, periculum facerem. At tantæ est illa difficultatis plena, vt non nisi magno labore, ac post longam consuetudinem addisci possit.

XX. Ego, Auaugurius, & Doctor Theologus, post tot pluuios dies qui præcesserant, deambulatum ad pagum iuimus, cumque in olitoris domo essemus, sex ibi vidimus milites Suecos, quorum panem degustauimus, qui quidem ex terra molli cui paleæ admixtæ sunt, confectus nobis videbatur: micam eius ad Solem, vel ad ignem siccant, quam alioquin mandere non possent. Datur illis hic panis ad pondus, quoque humidior est ac minus coctus, eò magis ponderat. Habent præterea tres grossos quotidie, qui octodecim denariis nostratibus æquiualent. I nunc, & mirare cur tanta alacritate, his dapibus pasti, in meliores prouincias inuadant. Cùm serò reuerteremur, inuenimus militem

Gallum,

Gallum, N. *Doisy*, qui nobis ferè omnibus litteras ex Suecia attulerat.

XXI. Cùm Legati Hollandiæ apud nostrum essent, allatæ sunt Rizemburgo à Principe Sigismundo litteræ per tubicinem, quibus ferebatur, Legatos Electorales Regem Poloniæ adiisse super conditionibus, ex parte Suecorum propositis, ipsumque illos nullo alio responso dato, ad Commissarios suos remisisse, quibus voluntatem suam declarauerat. Rogabat interim Legatos Princeps Sigismundus, vt Suecos spe responsi citò faciendi sustentarent. Iussit me noster suo nomine ad Principem Sigismundum rescribere opemque suam polliceri, ac deinde me ad Commissarios Suecos misit, ad audientiam in crastinum postulandam. Me Comes Brahe, Commissariorum princeps, satis longo sermone distinuit, dixitque, Collegas suos identidem discedere velle, eo quòd nullum à Polonis responsum fieret. Cùm illum de litteris Principis Sigismundi deque earum tenore monuissem, respondit; nisi categoricum responsum afferretur die sequenti, Collegas statim post visum Legatum nostrum, Elbingam profecturos. At consequentur vos Legati, inquam, si quid deinceps boni à Polonis afferatur. Sed nos, replicauit ille, propositis conditionibus non stabimus, quandoquidem intra statutum tempus illas non acceptauerunt. Comiter ab illo dimissus, fideliter omnia Legato retuli.

XXII. Post auditam Missam, cui magna militum aliorumque Lutheranorum multitudo

curiosè interfuit, interim dum in domo priuati Angliæ & Hollandiæ Legati reliquique vrbis Caluinistæ, post restitutos in arcem Suecos conueniunt. Ingressi sunt Vrbem, longo rhedarum ordine, tres Electorales Legati, qui statim ab Illustrissimo Galliæ Legato audientiam petierunt. Misit ad alios Legatus, si in domum suam conuenire vellent, aduenere continuò Hollandi, excusauit se Anglus, ne fortè hunc honorem nobis deferret. Ergo cæteris congregatis, Electorales retulere cum multis, vti solent, præfactionibus ac verbis: Regem Poloniæ ad has denique conditiones deuenisse, 1. *vt inducias pro duodecim tantùm annis pacisci vellet.* 2. *vt interim titulo Regis Sueciæ vteretur.* 3. *vt vel arx, vel vrbs, vel insula aliqua in Liuonia illi relinqueretur, vnde fides Liuonibus fieret, Regem Poloniæ illorum recuperandorum spem non abiecisse.* Arbitrati sunt inter se Legati, hac methodo, partes conciliandas esse, si dicerent, iniquum esse, quod Rex in Liuonia sibi quicquam relinqui vellet. Ex altera parte, iniquum esse, quod Sueci vellent, vt, durantibus induciis, titulum Regis Sueciæ suspenderet. Quod ad tertium spectabat, nempe ad terminum induciarum, debere Suecos de quinquaginta annis, quos petebant, demere, & Polonos duodecim, in quos consenserant, addere.

Itaque post meridiem, Legatus noster solus Commiss. Suecos adiit, fecitque omnium relationem, priuatimque suas ipse rationes addidit, nec quicquam ab iis euincere potuit. Rediit ita-

que & ad Angliæ Legatum, deinde ad Hollandiæ, tum etiam ad Elect. Legatos, vt illis, quæ gesserat cum Suecis, referret. Sic factum est, vt idem dies qui mane expectabundos, ac bonorum nuntiorum auidos, meridie lætos ac bene sperantes viderat, vesperi nos desperabundos reliquerit. Plebs interim vniuersa, quæ aduentantem bonæ spei nuntium libentissimè exceperat, compotationibus vbique se tradidit immersitque, ita vt non nisi sequenti die emergeret.

XXIII. Summo mane, Hollandi Suecos Commiss. inuiserunt, super tributis maris Baltici, quæ aboleri, vel relaxari certè, contenderunt. Respondere Sueci, quandoquidem bellum ingrueret, se istud facere non posse. Deinde, hoc pendere à Marschallo Generali *de la Garde*, qui belli, stipendiorumque, ac vectigalium arbiter esset. Itaque re infectâ etiam ab Suecis Hollandi redierunt. Meridie, ad Hollandos misit me Illustriss. noster Legatus, à quibus superiora hæc didici.

Inde Elbingam profecti sumus, atque in itinere duo fortalitia terrestria à Suecis seruata vidimus. Elbinga sita est in paludibus mediis; tamque naturâ, quàm arte munita est. Fluuium habet quo alluitur, quóque merces non paucæ vehuntur. Non illa quidem ampla, sed pulcherrima est, latissimis viis atque plateis; domos habet speciosas ac nitidas ad formam Thorunii atque Dantisci. Displosione trium tormentorum bellicorum excepti fuimus. Præfectus bellica-

rum machinarum obuiàm venit Legato, cum multis Nobilibus in equis, vbique in portis plateisque magnus militum numerus, tam in ordinem, quàm in cateruas dispositus fuerat. Conspirabat huic pompæ serenus aër, frequensque populus visendi studio accurrerat. Cum in hospitium peruenit Legatus, Auangurium ad salutandum Mareschallum misit, qui, præ morbo oculorum, domo egredi non poterat. Interim vrbis Magistratus, Legatum satis longa oratione salutauerunt, petieruntque ab illo, quoniam in potestatem Regis Poloniæ per hæc pacta recidere debebant, vt pro ipsis intercederet. Accusabantur illi Gustauum aduocasse; & hi sunt piæ, reformatæ ac Euangelicæ, si Dîs placeet, Religionis fructus!

XXIV. Generalem Marschalcum inuisit Illustrissimus Legatus, per tres horas integras. Interim Ecclesiam præcipuam lustraui nullâ re à Catholicis differentem. A prandio Illustriss. Legatus Epistolam ad Magnum, Gabriëlem *de la Garde* scripsit, Marschalli filium. Interim dum scribebat, coram illo, extemporaneum hoc Epigramma feci misique.

Ad te, Magne Comes, dum transit epistola Memmî,
Ingessit Comitem se, mea Musa, via.
Lecta oculis fuerit cùm littera dignior æquis,
Hac demum Musa suscipe vota mea.
Si bellum est inter Suecos, interque Polonos,
Arma tui ô vtinam! sint potiora Patris.

At bellum ne sit Suecos utinam atque Polonos,
Expugnetque tuum, Memmius, ore Patrem.

Miserunt suum Secretarium ad Illustris. Legatum Brandeburgici; paulò post venere ad eum Commissarii Sueci, fueruntque per duas simul horas. Sub noctem venit ipse Marschallus Generalis, cum Campi Marschallo *Vrangel*, fueruntque per duas vtique horas; ac denique tam longis colloquiis factum est, vt Sueci decem annos, de quinquaginta quos pro induciis stipulabantur, demerent.

XXV. Mane Elbingâ profecti fuimus multique Nobiles Illustriss. Legatum deduxerunt ad fluuium vsque, extra suburbium qui naui transeundus est. Inde cohorte velitum ad mediam Mariæburgi viam stipati ductique fuimus, alia nos cohors suscepit successiuè, deduxitque Mariæburgum. Litteras inuenit Mariæburgi Legatus, quibus Commissarii Poloni se discessisse scribebant; rescripsit statim ad illas suâ manu, iussitque me alias scribere, priuato suo nomine, ad Cancellarium Poloniæ, qui itidem priuatim illi scripserat. Scripsit etiam confestim ad Suecos, misitque ad illos exemplum litterarum quas à Commissariis Polonis acceperat. Illud idem iussit per suum Cursorem significari Legatis Angliæ & Hollandiæ, quos in via obuios habuerat, & quibuscum per horam in nemore collocutus fuerat. Qui quidem ægrè ferebant, quod Legatus noster prior ad Polonos, se relictis, transiret negotiumque solus conficeret.

XXVI. Profecti sumus Mariæburgo mansimusque in oppido *Garnesée*, Lutherano toto, quod est vno vel duobus milliaribus præter Marianam Insulam. At horâ nonâ cum Legatum domum deduceremus, superuenit vnus è Brand. Legatis, qui ad mediam noctem & vltra Legatum distinuit: dum interim cantu, tædium, noctemque & stellas vigiliarum nostrarum conscias, falleremus.

XXVII. Illustr. Legatus ad Commissarios Suecos, scripsit vt prolongationem induciarum, pro octo diebus impetraret, id est saluum conductum pro Brandeburgicis Legatis, qui vel Risemburgi vel Mariæverder morari cupiebant.

Perreximus transiuimusque per castra Polonorum, vbi illorum tabernacula (*Hutas* vocant Germani) considerauimus. Res illa valde me affecit. Transiuimus deinde præter muros Graudenti, qua in vrbe plurimi Polonorum milites sunt. Substitimus inde in pago vbi cohortem equitum vidimus, qui *Heussarts* vocantur. Sunt illi omnes Nobiles, lanceisque vtuntur longis ac cauatis, cannabique ac colla obfirmatis, illasque in breui theca ab ephippio pendente figunt, habent in latere frameam; in ephippio sclopetos, & aliam frameam siue ensem suspensum. Cæterum galeas, thoracesque, ac reliqua arma ex politissimo ferro. Illorum quisque habet viginti aut triginta equos, quinque præcipuos quibusque vtuntur ipsi in prælio; alios pro comitibus proque impedimentis, quæ multa sunt; nam omnia quæ ad victũ pertinẽt, secũ trahunt.

Ad pagum, qui Thorunio milliari abest, aduenimus, vbi Palatinus Belsensis Illustris. Legatum, quem summè amat, expectauit. Noluit cum illo cœnare Legatus, dedit verò illi Auaugurium & me; Post lautam cœnam remisit nos elegans Palatinus in rhedâ, reduxitque nos illius filius natu maior, ac in tugurium suum abduxit, vbi pullum Vrsinum, mitæ alacritatis ac ioci plenum, exhibuit. Postquam magnam noctis partem hoc spectaculo fefellimus, intrauimus, nescio an hypocaustum, an stabulum dicam, nam mixtæ ibi hominibus pecudes, de loci possessione contendebant. Sex inde Palatini satellites humi iacebant interfectorum in morem: rusticus hinc domus inquilinus cum vxore, liberis, ancillis, paleâ plumâque inuoluti erant, in scamnis quæ circa parietes disposita sunt; in vno angulo dormiebat Caluinista Gernandus, Baronis Auaugurii Secretarius, in alio noster Theologus, ac me se fortè calcibus impeterent, ambos diuidebat ingens Centurio Tartarus, recenti multoque pro sua dignitate, fœno decumbens. Parte alia ad angulum furni, ægrotabat mulier puerpera: canes passim, anseres, porculi, pullique sparsi. Ingressi in hoc cubiculum ego & Auaugurius, se ille Theologo, qui grabatum inquilini occupauerat, coniunxit. Relictum ego scamni spatium, vbi ocreas suas, calcaria ac sclopettos quidam congesserant, intercepi: ac per infelicem noctem, quæ mihi brumali nocte longior visa est, his delitiis incubui. Interea vagiebat infans, ingemebat mater, altùm stertebant

lassi olidique milites ac lixæ. Qui de nocte ac sine lumine istuc intraueram, miratus sum, cùm illuxit, tantam hominum pecudumque stragem ac colluuiem, emersique quàm potui maturè ac diligenter.

XXVIII. Euigilaui ante Auroram longeque per campos cum tubicine nostro spatiatus sum. Hora deinde octaua Illust. Legatus ascendit cum Palatino in rhedam magnoque ac longo, vt Principum illorum mos est, curruum & equitum ordine, Thorunium venimus. Inter eundum vidimus transeuntes peditum cohortes, quæ à Palatino Ruscię, ad hoc bellum mittebantur. Paribus illi omnes vestibus induti erant paribusque armis, mosquetis nimirum muniti. Nullibi certè gentium homines magis ad speciem robustos ac fortes inuenias; nam ore ipso ac incessu terrorem incutiunt. Cæterum vniuersi illi à Moschis ac Turcis, horrendas visu cicatrices in capite ferunt, quod quidem rasum est, ideoque vulnera conspicua sunt. Bis mille ac quingentos huiusmodi homines Reipublicæ suis iste sumptibus tribuit, nam id Palatinorum munus est Illust. Legatus Thorunium ingressus est horâ decimâ, pransitque apud Palatinum Belsensem, me & Auaugurio conuiuis sumptis, ibi & N. *Guldenster*, origine Suecus, at incolatu Polonus, qui Gallicè optime loquitur, adfuit: Aduenit & post prandium Bergmannus è Brandeburgicis Legatis.

Ea ipsa die Thorunium venit Rex Serenissimus Poloniæ, Regiomonto. Venerunt etiam

Legati Angliæ & Hollandiæ. *Kazanofski*, Regis Camerarius magnus Legatum inuisit.

XXIX. Quæ Dominica fuit, Illustriss. Legatus ad priuatam audientiam Regis se contulit, horâ decimâ matutinâ, postque meridiem egressus est, salutauimus vtique nos Regem manus osculo. Alii deinde Legati priuatim Regem inuiserunt.

XXX. Legati omnes in domo Cancellarii mane conuenerunt, vbi erant Commissarii Poloni. Arbitratus fuerat Cancellarius, vt in hoc congressu omnes starent, propter locorum ambitionem. Noluit id Legatus noster. Itaque primus venit: alii deinde. Primam sedem occupauit, secundam Legato Angliæ reliquit, alias sequentes Legatis Hollandiæ. Anglus suam reliquit vacuam, vltimamque post Hollandos cepit. Prior deinde Legatus noster egressus est. Plura illic media ad constituendas inducias proposita fuere, quæ tam Hollandi, quàm Legatus Galliæ seorsim scripsere, quæq; fortasse deinceps inseram.

A prandio inuitati sunt à Rege Legati omnes, vt in Palatium eius conuenirent. Prior aduenit Legatus Galliæ in rheda regia, quæ deinde ad Anglum missa fuit, maluitque pedibus ille venire. Intrauere etiam Hollandi in cubiculum Regium, vbi Rex erat cum solis Commissariis & duobus magnis Camerariis, Poloniæ scilicet, qui est *Casanosky*, & Lithuaniæ, qui est Radziuilius iunior, filius nempe Commissarii. At Rex Poloniæ, qui coram tota Aula sæpius professus

erat, se nullam causam inuenire, cur Anglus Legatus Gallo non cederet; se prope mensam dorso innitens constituit, atque à dextris primū proximumque Galliæ Legatum habuit, secundò Anglum, tertiò Hollandos. A sinistris habuit Cancellarium reliquosque Commissarios. Primus deinde est Gallus egressus omnemque ferè secum Aulam abduxit. Interea, cùm iste congressus fieret, in antecubiculo Regio permulti Nobiles ac Illustres viri, tam Antistites, quàm alii, stabant sedebantque, qui inter se ac nobiscū loquebantur. Profectò iucundissimum mihi erat exaudire illos loquentes variis linguis, Polonicâ Italicâ, Anglicâ, Germanicâ, Gallicâ, ac denique quæ vulgaris appellari potest, Latinâ. Nec deerant qui Danicè & Suecicè loqui poterant; sed inter illos Germanicâ maxime, quæ nobilior est, vti præstat. Si non & Hispanicam loquentes audias, certè permultos ibi tamen Hispanicæ factionis ministros deprehendas atque fautores.

Vltimâ die Iulii, quæ D. Ignatio sacra est, Missam apud Iesuitas Illustris. Cancellarius celebrauit. Inuisi ego Ioannem Carolum *Conopatski*, Comitem, virum nobilissimum genere ac virtute, cuius pater Palatinus fuerat, ac Episcopus Culmensis. Dedi illi litteras Marchionis Rouïllaci, Galli, quibus me perhonorificis verbis apud illum commendabat, vnde me (qua comitate ac morum suauitate est) humanissimè excepit. Est ille vir elegantissimus, decorique imprimis aspectus, qui pro sua virtute ac pru-

dentia, regendæ Alexandri, Poloniæ Principis, adolescentiæ à Serenissimo hoc Rege commissus fuerat. Nuper ille à Rege, Abbatia vigintiquinque millium florenorum donatus fuit, seque ideo togæ addixit, maximas Ecclesiæ dignitates iure ac merito expectaturus; quippe qui doctrinam aliis virtutibus coniunxerit plurimarumque linguarum facultatem sibi comparauerit. Vtque id faciliùs coniicere liceat, subiiciam hîc elegans quod mihi, inter alia multa, sui ipsius Epitaphium recitauit.

Hispaniam peragraui, Italiam perlustraui, Galliam perspexi, Germaniam emensus sum, Belgium vidi, Angliam, Scotiam, Irlandiam, Daniam, Sueciam, Nouerg. circuiui, Moscouiam pertransii, in Poloniam redii; ossa ibidem mea depositurus, quibus & Epitaphium confeci.

Ossa diu iactata nimis terrâque marique,
Hîc requiem errorum denique repperiunt.

Missam cum illo audiui in altari, cui S. Stanislaus depictus est, ex cuius gente profectum se esse per matrem vir per sese clarissimus, narrauit. Sed nec leue fuit, ad promouendam meam erga illum beneuolentiam, quod se anno 1608. & 1609. Biturigibus mecum literis studuisse recordaretur.

Abbas *de Gnieuos*, qui in Gallia Legatus fuit, Illustris. Legatum ipsa die inuisit, quæ admodum pluuia atque obscura fuit.

Ipsa die, Legati Angliæ Hollandiæque Thorunio profecti sunt, Legatus noster, vt præcipitis diligentiæ eis meritum minueret, Henri-

rum *Canazilhes*, Dantiſci Conſulem, ad Suecos miſit, qui Legatum Angliæ aliquibus horis anteuertit, monuitque quid eſſet Thorunii factum, & vt Mariæburgum Elbingâ ſe conferrent, quia Rex Commiſſariique Poloni Graudentum ſe conferebant.

Ipſa eadem die, Abbas *Conopatſky* inuiſit Illuſtriſſ. Legatum noſtrum, quem ſuauiſſimo colloquio diſtinuit, mutuamque beneuolentiam demeriti ſunt. Me Abbas ille deinde in rheda ſua, abduxit ad Moniales Thorunienſes, vbi duas ſorores habet. Eſt ille Conuentus ſecus ripam Viſtulæ, conſtatque octoginta Virginibus ex optimis familiis. Non exiguum iſtud fuit mihi amicitiæ argumentum, quod dilectiſſimas ſorores, à quibus tam pro ſanguinis neceſſitudine, quàm pro egregiis meritis redamatur, oſtenderit. Inde longè lateque per vrbem ac extra muros, in rheda deambulauimus.

Prima die Auguſti, cum Thorunio proficiſci vellet ad Suecos Illuſtr. Legatus, iuſſit me ire ſalutatum ſuo nomine Abbatem *de Gnienos*, illique litteras à Domino *le Magne* ſcriptas tradere, quibus antiquum aliquot millium, aut circiter aureorum, nomen diſſoluere rogabatur, aut ſaltem dare idoneum aliquod reſponſum, reſpondit illè mihi, ſe non verbis tantum, ſed ipſo facto velle creditori ſuo ſatisfacere, viſurumque ſe Legatum Dantiſci, vel alibi in Aula Regis, antequam diſcederet. Miſit interim Palatinus Belſenſis ad Legatum noſtrum inſignem tapetem Turcicum, cuius fundus aureo &

lo, flosculi ex elegantissimis sericis coloribus erant, quem curiosissime intu[illegible] admiratique sumus. Iussit me statim Illustr. Legatus Nobilissimum ac elegantissimum, Palatinum adire, agereque gratias ac vale illi dicere. Iussit vtique me ad Dominum *Casanoski*, magnum Regis Cubicularium atque illi imprimis gratiosum, salutem plurimam suo nomine offerre, rogareque, vt in regia beneuolentia Legatum conseruare vellet. Comiter ille mihi respondit, se Regi Christianissimo tam esse deuotum, vt tametsi, ad pedes sui Regis, ex muneris sui debito deuinctus semper esset, aduolaturum tamen libenter ad Regis Christianissimi obsequia. Cæterum suo suffragio Legatum erga Serenissimũ Pol. Regem non indigere, qui per sese tam clarus ac ob recentia merita, tam gratus esset. Filius deinde Palatini Belzensis, itemque Nepos Palatini Rusciæ, Legatum nostrum discedentem salutatum venerunt, atque iste se ad Regis Galliæ exercitus, tria millia militum suis sumptibus ducturum pollicitus est. Adolescens adhuc est, & iam tamen militiæ suæ tyrocinium, in obsidione Rupellæ, posuerat, vbi cum in morbum incidisset, à Regiis medicis diligenter curatus fuit, hancque Regis erga se beneficentiam clarè prædicabat. Exiuimus Thorunio, ac sequenti nocte Graudenti mansimus, quaternique in pluma fœnoque, humi decubuimus.

II. Augusti, Quidzini siue *Marien Vuerder* pransimus. Legatum nostrũ inuisit Princeps Sigismundus, qui huc se receperat, relicto Ri-

semburgo. Reuisit illum statim Legatus in castro vbi habi[illegible]. Mariæburgum serò aduenimus.

III. Legati omnes à prandio in nostri ædibus conuenerunt, perque quatuor aut ampliùs horas simul remanserunt, Commissarios Suecos expectantes, qui nondum Elbingâ redierant, vnde illos per litteras suas Legatus noster euocauerat ad faciliorem congressum. Missus denique fui vespere ad illos, cùm in colloquio vnà essent, in cubiculo Generalis *de la Garde*: Veneruntque postmodum omnes; petierunt ab illis Legati, quidnam demum articulis, qui Thorunii xxx. Iulii apud Cancellarium Poloniæ à Legato Galliæ propositi fuerant, vellent respondere. Itaque lecti sunt illi, à Nicodemo Commissario Sueco, ac dum legeret, Legatus noster cæterique mentem Regis Poloniæ Commissariorumque explicabant, eos ego articulos ex autographo hic descripsi.

Fiant induciæ ad annos ....

Tam Regi & Regno Poloniæ, quam Electori Brandeburgico restituantur loca omnia in Prussia occupata, cum tormentis bellicis & aliis rebus ad Poloniam pertinentibus, veluti supellectile Ecclesiastica, campanis, &c.

Vt nec in discessu, nec ante discessum, quicquam à subditis exigatur, quà publicè, quà priuatim.

Remaneant, durantibus induciis, penes Regnum Sueciæ loca in Liuonia occupata, vti nunc possidentur, ita tamen vt Euest *fluuius* (influit ille in Du-

nam) *sit limes inter Sueciam & Poloniam. Id includet castrum vnicum, & quidem desertum, nomine* Marienhaus.

Iura & priuilegia quæ ciuitatibus, Collegiis, vel priuatis competierunt, salua maneant.

In instrumento præsentis tractatus inscribatur, Vladislaus IV. Rex Poloniæ, *&c.*

Et Christina Regina Sueciæ, *&c.*

In Prussia vectigalia & commercia relinquantur eo in statu, in quo erant ante bellum.

Amnistia hinc inde.

Nauis illa restituatur, quæ ab aliquot diebus retinetur in portu Gedanensi.

Religionis exercitium remaneat in eodem statu, in quo erat antè bellum.

Manentibus induciis, in comitiis vtriusque Regni agatur de pace perpetua.

Agatur de tempore & loco deducendarum exercituum.

De moderandis & circumscribendis teloniis in Liuonia, eodem modo vt ante bellum.

De modo administrationis iustitiæ, in confiniis Lithuaniæ & Liuoniæ, & eorum locorum Liuoniæ, qui sunt in potestate Polonorum.

Cautiones dentur tam à Rege, quàm Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lituaniæ, Electore Brandeburgico, & ciuitatibus Gedani & Regiomonti, stantibus induciis, se non permissuros, vt naues vlla portu soluant contra Regnum Sueciæ, neue quicquam per se aut per alios, tractetur in præiudicium præsentis tractatus.

Ad has propositiones noluerunt extemplò

respondere Sueci, sed promiserunt, se responsuros sequenti die, horâ quintâ matutinâ, vt continuò Legati ad Regem Poloniæ ire possent.

IV. Horâ condictâ Illustrissimi Mediatores ad Castrum, vbi habitant Com. Sueci, se contulerunt. Dixerunt Sueci, se in illos articulos consentire, si quatuor conditiones à Polonis sibi concederentur.

1. *Vt Regina Christina nuncupetur Suecorum, Gothorum, ac Vvandalorum, & Magna Princeps hæreditaria Finlandiæ.*

2. *Vt induciæ sanciantur pro triginta quinque annis.*

3. *Vt decies centena millia Thalerorum, pro refundendis huius belli sumptibus, à Polonis sibi soluantur.*

4. *Vt Mediatores, huius tractatus fideiussores sint.*

Respondere statim Mediatores, quod Regem Poloniæ responsurum putauerunt, initoque cum Brandeburgicis consilio, vt scirent quid Dantiscani, quid Regiomontani, qui Brandeburgici Electoris subditi sunt, facere possent, nam Regem Poloniæ non soluturum quicquam: tandem Suecis Legatus Galliæ centum millia florenorum obtulit. At Comes Brahe pro Suecis dixit, pro hac summa manum ori admouere non dignari. Conclusum est tandem, quia induciæ sequenti die finiebant, vt, si Rex Poloniæ in primo articulo consentiret, &, quod ad secundum spectabat, si ad viginti quinque annos

nos consentiret, Mediatores possent inducias ad quatuor, aut quinque dies proferre; alioquin belli licentiam fore.

Elegit nos quatuor Illustr. Legatus noster, vt properantiùs iret, ac cùm transiremus per *Marien-Vuerder*, misit me ad Principem Sigismundum, Electoris Patruelem, vt illi exponerem, in quo statu res essent. Graudentum deinde perreximus, vbi Rex erat, interimque pertransiuimus Castra, vbi variæ militum cohortes viam nobis longo ordine prætexebant, velites, quos *Cosaquos* vocant, obequitabant, præibantque, quos iucundum nobis erat intueri. Sunt illi vt plurimùm recto agilique corpore, paludamentis ferreis induti, sclopetosque in tergo appensos ferunt. Dux illorum ad Legatum nostrũ accedens, cùm aliquibus non inurbanis pro huiusmodi homine verbis, illum salutasset, in hęc verba desinens, Regi, inquit, nostro laus & gloria, nobis verò victoria; equum deinde citatissimè impulit. Graudentum nocte aduenimus. At Legatus Anglię, qui nos semi-hora præcesserat, quasi aliquid boni nuntii allaturus, Regem qui se lecto tradebat, interpellauit suo damno, nam hanc præcocem salutationem, imprudentię Rex ipse aulicique tribuerunt. In Publica Municipum æde sumus diuersati, culcitris ego rhedæ, summo Legati beneficio decubui, alii fœno; alii nudo scamno iacuerunt.

Fœnum & auena ab Aulæ Regiæ Marschallo per famulum qui Latinè balbutiebat, Legato nostro oblata sunt; acceptauit: duæ deinde pi-

ſciculorum ſcutellę cum pane atro allatæ, aſpernatus eſt. Scilicet huiuſmodi ſunt illæ lautitiæ, quæ adeuntibus Galliam Legatis, exhibentur.

V. Quæ Dominica fuit, Illuſtriſ. Legatus magni Cancellarii Miſſæ in Eccleſia Ieſuitarum interfuit, quam ille, quinque ſacerdotibus miniſtrantibus, rite reuerenterque celebrat; cum illo ac Referendario Cancellarii domum ſe contulit, in quam poſtmodum alii Legati Palatinique, Belſenſis nimirum, Ruſciæ, Cheradiæ, ac ipſe Caſtellanus Cracouienſis, idemque Generaliſſimus *Coniezpolſky*. Hoc dimiſſo congreſſu, Legati domum quiſque redierunt, Palatini Regem adierunt.

A prandio horâ tertiâ, Illuſtr. Legatum Galliæ per *Ozolinſki*, fratrem eius qui Legatus nuper Romæ fuerat, iuſſit in Caſtrum euocari. *Caſanoſki*, qui in Regis gratia maximè florebat, Legatum in imis gradibus excepit: alii deinde Legati aduenerunt. Poſtremò Cancellarius aliique Palatini. Nullæ in cubiculo ſedes poſitæ; at à dextris Regis, Legatus Gallicus ſtabat, poſtque illum Anglicus, inde Hollandici; à ſiniſtris Regis, Cancellarius, & alii. Per ſeptem horas & ad decimam vſque nocturnam, protractum eſt iſtud colloquium. Interim & *Cazanoſkius*, qui, vt veriſimile erat, ex Regis ſenſu imprimis loquebatur, nihil niſi bellum ſpirabat aduerſus Suecos, iactabatque, ſe omneſque Polonos, bellum per triginta annos gerere malle, quàm in inducias triginta annorum conſentire: deludi

ſuum Regem, cui tam longus terminus proponeretur, quem per valetudinem, inſitamque (vt Legato noſtro ſæpius dicebat) familiæ ſuæ, vitæ breuitatem, attingere nunquam poſſet, atque adeo ius ſuum in recuperanda Suecia perſequi.

Quod ad Chriſtinæ titulum pertinet, doloſos eſſe Suecos, qui illam Principis hereditariæ Finlandiæ nuncupari velint, nam Principatus Finlandiæ ad proximum Regis Sueciæ agnatum, ex lege Regni, pertinet, quemadmodum Delphinatus Primogenitis Regum Galliæ, eſt attributus: Et ſic Chriſtinam etiam, ex hoc capite, Regis Poloniæ fratres filioſve anteuertere velle, ſi Rex moreretur.

Cæterùm de refundendis vllis ſumptibus, pro deductione Suecici exercitus, ne cogitandum quidem: ſe vtique in cogendo ſuo exercitu ſumptus feciſſe. Num ergo ſunt Sueci potentiores, aut terribiliores Imperatore Turcarum; at, cùm ille in Poloniam penetraſſet, velletque aliquam pecuniam quamlibet modicam à Polonis ſibi dari, ipſeque Vvalachiæ Princeps, cuius ditio potiſſimum infeſtabatur, illam vltro offerret. Noluerunt. Contenti ſint, inuaſores iſti Sueci, millione thalerorum, quem quotannis ex Liuonia exigent. Sic ferè loquebatur Cazanoſkius, intimus Regis amicus ac conſiliarius. At alij paſſim Nobiles Poloni, ſeu vino ſeu iuſtâ irâ exarſerant, etiam in contumelias erumpebant, præſertim contra Oxenſtiernas, Vrangelium, & Nicodemum, quem ludimagiſtrum identidem appellabant. Caſanoſkio quidem,

pro sua dignitate, maximè quàm poteram, comiter ac leniter respondebam; at aliis, Suecorum rationes non simulatè proponebam. Quod idem vicissim faciebamus, cùm alloquebamur Suecos, vti nos Legatus noster præmonuerat. Interim discursabat Agens Imperatoris, modò hunc, modò illum prensando; nam ne hæc pax inter Suecos, atque Polonos ineatur, timet Imperator, qui non paucos in hac Aula clientes habet ac beneuolos, ac imprimis Palatinum Russciæ, qui bis mille & quingentos milites suis sumptibus, in castra adduxerat. Sed nec Rex Gallię amicis ibi caret atque fautoribus, nimirum Palatino Belsensi, aliisque permultis, qui mira de Gallica comitate prædicant.

Discessum est tandem è consilio Regio horâ decimâ, cùm neque Palat. Belsensis, nec Senior Legatorum Belgii, pedibus ampliùs consistere possent, quamobrem sequenti die vterque lecto decubuit.

Colloquii huius conclusio hæc fuit, *vt Rex Poloniæ, titulum Christinæ concederet, Reginæ Gothorum, Vuand. & Suecorum, ac Principis Finlandiæ, sine verbo* hereditariæ.

Vt non impediret quo minus Telonio Dantiscano, quod in portu Sueci exigebant, ad tres menses exigerent pro refusione suorum sumptuum; qua de re Legati Angliæ Belgiique ad suos Principales scriberent.

At non vltra viginti quinque annos, inducias, se consentire velle Rex asseuerauit.

VI. Summo mane, Legatus noster Henri-

cum *Canasiles* Mariæburgum misit ad Generalem *de la Garde*, aliosque Suecos Commissarios, vt illis quæ gesta erant, significaret, peteretque aliquot dierum inducias. Scripsit continuò ad Legatum Generalis, se quinque dies permittere, dummodo id etiam Poloni facerent. Horâ quartâ serotinâ, inter *Marien-Vverder* & Stumam, offendimus *Canasiles*, ac in media sylua scripsit Legatus ad Generalem Polonorum, vt in hos quinque dies consentiret. Peruenit cursor iste noster, de multa nocte, in Polon. castra. Nos vtique nocte Mariæburgum venimus.

VII. Generalis *de la Garde* Legatum nostrum inuisit, eumque ad Castrum, vbi iam alii Legati erant, deduxit. Retulerunt Legati, quid cum Rege Poloniæ gesserant. Consenserunt in reliqua Commissarii, præterquam in annos. Triginta quinque petebant, quinque dempserunt, ac descenderunt ad triginta. A prandio alii Legati rediere ad Polonos, noster propter morbum capitis & ad scribendas Lutetiam litteras remansit, tamque acri dolore pressus est, vt mediâ ipsâ nocte, omnes vrbis Chirurgos atque Medicos iusserit euocari. Tandem auulso genuino, paulisper, dum à Cursore Regis Pol. excitaretur, requieuit. Nocte superiori maneque toto Dirsauiæ, quæ Polonorum est, displosa sunt tormenta in Fortalitium Suecorum, quod est ex altera parte Vistulæ; Ignorabant scilicet prolationem induciarum.

VIII. Illustr. Legatus ad Regem Poloniæ

profectus est, qui illi aciem suam instructam exhibere, per cursorem promisit. Mariæburgi ego remansi, vt me à præcedentibus vigiliis ac laboribus recrearem. Ægrè tamen occasionem exercitus lustrandi prætermisi, in quo multa militum genera visenda erant. At, credo, iam magnam partem per particulas videramus, præsertim die VI. cum Graudento rediimus. Nam Hussariorum cohors, è Castris nobis obuia fuit, quo spectaculo nihil vidi vnquam iucundius. Sunt illi Nobiles Poloni omnes, equis præstantibus insident, armis lucidis ac splendidis operti sunt, ac Pardorum, Leonum, Tigridumque pellibus à tergo amicti, longas lanceas gerunt, quæ loris ab ephippio pendentibus sustentantur, quarum in summitate infra cuspidem, vittæ siue fasciæ sericæ reuinctæ vento impelluntur, hostiumque oculos fallunt. Præclara illa sunt, ac risum non teneas, cùm illorum tergo longas alas aptatas conspexeris, quibus etiam hostium equos terrere se putant, atque in fugam vertere. Equorum fræna argentea deaurataque sunt, atque à collo orbiculi ac lunulæ argenteæ dependent, lateri frameam, ephippio sclopetos, clauas, malleos, secures, ensesque appendunt. In conflictu primus aut secundus ordo tantum, his lanceis vti potest, aliis inutiles ferè sunt, itaque ad alia tela recurrunt. Qui pretiosas pelles non habent, tapetes humeris suis implicant, hoc tam ad speciem, quàm ad armorum iuncturas tegendas pertinet. Cæterùm homines nostri, tam multa hæc impedi-

menta omnino improbant. Egredientes è castris camelos pascentes vidimus, quorum tergo sellæ figuram natura impressit. Aiunt, illos maximis oneribus gestandis imprimis esse idoneos. Certè, cùm hæc intuebar, itemque præcedenti die, cùm in Ecclesia Iesuitarum togatos illos Vvaivvodas considerabam, Deum adorantes, recordabar illius adorationis, quam Orientales Magi Infanti Christo magnâ pompâ, longoque comitum & camelorum ordine, (si pictoribus ac phrygionibus credimus) exhibuerunt.

IX. Totam diem scribendo legendoque insumpsi, dum interim Rex Poloniæ, aciem suam instructam Legatis, quos in castra euocauerat, exhibuit: Post egregium spectaculum, conuenerunt in tentorium Regis Legati omnes, quibus dixit, se inducias permittere non posse, nisi ad viginti quinque annos, itaque Legatis Angliç Hollandiæque subiratus est, qui eum ad triginta annos venturum Suecis promiserant. In castris ac sub tentoriis decubuit Legatus noster, vti & præcedenti die fecerat, Lautisque conuiuiis à Generali exercitus exceptus fuit; de quibus omnibus quia testis non fui, non refero.

X. Post meridiem rediit Mariæburgum Illustris. Legatus noster relicto in castris Auaugurio, innisitque Commissarios Suecos per quatuor aut quinque horas. Ibi tandem se ad Consilium Sueciæ scripturos responderunt, vt induciæ ad viginti quinque annos reducerentur; atque adeo cessationem ab armis, pro

tribus ſeptimanis, petierunt.

XI. Illuſtriſ. Legatus ad Regem Poloniæ rediit Graudentum, obtinuitque (vt à Curſore, nobis, qui Mariæburgi manſeramus, relatum eſt) ſequentem ſeptimanam, pro ampliore tractatu. Luſtraui ego interim Suecorum caſtra ac tentoria, vbi certè humanæ miſeriæ ac prauitatis imaginem conſpexi. Vidi hominum vultus, quos quia nec loqui, nec ratiocinari intelligebam, dubitaui an homines eſſent, adeo erant horridi, ſquallidi, impexi, cæterum laceri, nudi pedibus, plerique iuuenes agreſtes ineptique; & iſti Sueci erant, quos ex agris atque aratro, ad militiam Reſpublica cogit. Notaui iſtos, nam tum primum aduenerant, optare locum tentoriis figendis. Recto illi ordine vexilla figunt, æquo relicto ſpatio, ſingulæque cohortes in lineam longam diſponuntur, furcillas ibi, vel haſtas infigunt, ac deinde huc & illuc diſcurſant vt ligna, tigna, aſſeres vndique conquirant. Hortorum domorumque ſepes euellunt atque aſportant, ruinoſas ædes diſturbant, & niſi à ducibus ac centurionibus ſuis ſeuerè arceantur, etiam validas benéque conſiſtentes effringunt, atque ex iſtis fragmentis nidos ſibi, ac ſpeluncas compingunt. Arboribus deinde, ſalicibus nimirum ac fœno, herbis, paleâ ſe integunt. Parte aliâ Finnos vidi, equites iſti ſunt, bonoſque ac fortes equos alunt. Inueſtigabam oculis, vbinam Domini eſſent, nam qui ipſi equites ſunt, equiſones ego eſſe putabam, adeo miſera tenuique veſte ſunt: At eos ſtre-

nuissimos esse tota est experta Germania. Galeâ ac thorace armati sunt tantùm, nihil habent in brachiis, nihil in coxis, pallium in postilena religant. Si vincunt, diripiunt omnia, & quælibet illis lucro cedunt. Si vincuntur, id nullo operæpretio fit, nisi quod nocere desinunt; cæterum de illis nulla opima spolia reportantur.

Pedites Germani se in proximo collocauerant, & quia veterani ferè sunt illi ac plerumque artifices, tabernacula sua omnium meliùs construunt, pagos diceres, tam bene ædificant clauduntque sua pusilla domicilia, ac vt nihil desit, quod bene constitutas familias deceat, etiam coniuges habent ac liberos. Cum vltra pergerem, omnium miserrimos vidi Scotos, quos ramusculi arborum perperam ac nulla arte congesti, neque à Sole, neque à pluuia defendunt, nullo ibi ordine iacent, itaque cœmeterium potiùs, quàm castra te videre existimes. Habent illi magna vexilla rubra, in quorum angulo est Crux Santandræana alba, in fundo cæruleo. Aliqui ex illis Catholici sunt, quos Dominicâ die Missæ adesse vidimus; at nullum, credo, secum in castris pastorem habent. Omnia hæc castra terrestrium propugnaculorum, quæ Mariæburgum circundant, ambitu continebantur, ciuiumque hortos qui illic erant, latè deuastauerant.

XII. Quæ Dominica fuit, Missæ adfuimus, indeque in aggere, qui secundum flumen est, deambulauimus. A prandio Legati Angliæ Belgiique Graudento rediere, non rediit noster.

XIII. Rediit Mariæburgum Illustr. Legatus è Castris Regis Poloniæ, cum quo longo tempore collocutus est, ac iterum exercitum perlustrauit. Sub noctem illum inuiserunt Commissarii Sueci.

XIV. Cõmissarii ac Mediatores ad Stumsdorffium se contulerunt, vt intermissos tractatus renouarent. Cum Illustris. noster Legatus mediationis tentorium introiit, ibi iam erat Legatus Angliæ ac Princeps Sigismundus cum aliis Brandeburgicis. At Hollandi, nescio quo prætextu, tametsi multis ante horis in pagum aduenerant, in tentorium venire noluerant. Iussit itaque me Legatus noster, vt eos suo & communi aliorum Mediatorum nomine, inuitarem in tentorium venire. Responderunt mihi illi, se gratias agere Illustris. Legato Galliæ, itemque Legato Angliæ, cæterùm, se ampliùs velle deliberare, an ad tentorium irent. Id retuli Dominis Mediatoribus. Itaque manifesta tum fuit æmulatio, quam in Brandeburgicos hactenus conceperant ac celauerant, quæ quidem in causa fuit, vt suadere Suecis conati sint, vt vlteriùs non sinerent Brandeburgicos Mediatorum vice fungi, sed eos in hostium numero censeri debere, quemadmodum Polonos: At alii Mediatores, Brandeburgicos repudiari non posse contendebant, vel eò maximè, quòd ab initio illorum opera ac mediatio admissa fuisset. Interim Illustris. Legatus Galliæ, Secretario Brandeburgicorum dictauit quosdam articulos, qui partibus proponerentur, eos nimirum qui Thorunii coram Rege Polo-

niæ, in scriptis exarati erant. Illi postea articuli, à Legato Galliæ & Brandeburgicis, ad Polonos perlati sunt & examinati, interim venit à Suecis Legatus Angliæ, attulitque alios articulos, quos Sueci scripto redegerant. Lecti sunt vtrique illi, ac super vnoquoque sententiam suam Poloni dicebant. At id sine ordine factum est. Sed tamen non sine fructu, nam, meo quidem iudicio, præstat in medias res ingredi, quàm in præfationibus inutiliter hærere, vt quidam facere consueuerunt, qui tempus absumunt, dum de titulis & nominibus deliberant.

1. Relinquebatur arbitrio Regis Poloniæ, an scriberet, *Vladisl. Rex Poloniæ*, &c. *Magnus Dux Lithuaniæ*, &c. an scriberet, *Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ*, &c.

2. Sueci volebant sibi restitui sumptus propugnaculorum, quæ Pilauiæ, Hoffrii, alibique fecerant, aut ea demoliri. At Poloni, & Brandeburgici, quorum est Pilauia, dicebant, loca sibi restitui debere in eo statu quo nunc sunt, sine vlla refusione sumptuum, nec permitti debere Suecis, vt ea demolirentur; non esse indulgendum malitiis hominum.

3. Petebant Sueci cautionem dari à Gedanensibus, Pilauiensibus, Elbingensibus, Regiomontanis, se non permissuros neque classem, neque nauem instrui aduersus Suecos: Respondebant Poloni ac Brandeburgici, id quidem à Gedanensibus peti posse, at non ab Elbingensibus, neque Regiomontanis, qui portus nullos haberent sibi proprios, quique à mari distarent

non paruo interuallo. At id tamen contendebant Sueci, dicebantque, quò plures haberent cautiones, eò securiores inducias fore. Perstabant Poloni ac Brandeburgici, dicebantque, has Ciuitates, Elbingam nim. & Regiomontum, non habere vlla Regalia, neque portus, & si in his pactis illæ interuenirent, periculum fore, ne aliquando hinc aliquid iuris in portubus prætendere vellent, in præiudicium Regis Poloniæ ac Ducis Prussiæ.

4. Sueci vniuersam Liuoniam sibi restitui petunt, vti nunc illam possident. At Poloni volunt excipi eam partem ac ditionem, quæ ad Ducissam Curlandiæ pro dotalitio suo pertinet, quæque post eius mortem ad Ducem Curlandiæ, eius filium redire debet. Id Sueci nolunt, asseruntque, quicquid intra limites sit Liuoniæ atque ab illis possessum est, seruari debere.

5. Vt qui velint Prussiam relinquere, ac bona sua patrimonialia distrahere, vt istud facere possint, idemque illis liceat, qui sunt in Liuonia, quique ex illa migrare volent.

6. Vt exercitus per mare deducatur à Suecis, volunt Poloni, ac Dantiscani præsertim. Sueci petunt, vt liberum sibi sit terrestri itinere egredi.

7. Petunt Sueci, vt eodem tempore quo exercitus eorum migrabit, eodem Polonorum quoque emigret. At id Poloni negant esse æquum, quum deinceps Prussia ad eos pleno iure pertineat, liberumque illis sit, ibi exercitum habere vel non habere, nec de illa re Sue-

cos debere esse sollicitos.

8. Nolunt Sueci restituere Pilauiam, nisi in fine anni, quandoquidem vsque ad finem anni portorium tam Gedanense, quàm Pilauiense, pro suorum sumptuum recuperatione exigere debent: nam si restituerent Pilauiam, tunc non haberent potestatem cogendi eos, qui vectigalia soluere recusarent. Itaque Legatus noster hortabatur Dantiscanos, vt hæc portoria redimere vellent, ac certam summam Suecis tradere, vt statim è Borussia dimitti possent.

9. Succi petunt, vt, antequam è Borussia discedant, illis tradatur præsentis tractatus ratihabitio Polonorum in Comitiis facta: Poloni dicunt, sufficere, si tractatus à Rege atque à Commissariis subsignatus sit, nec expectari debere Comitia, quæ cùm aduenerint tamen, ratihabitionem illam dabunt.

10. Sueci Polonique consentiunt, vt intra duos annos locus & dies assignentur, in quibus, stantibus induciis, de pace perpetua agi possit.

11. Poloni petunt, vt vtrinque Legati sint in regno Sueciæ & in regno Poloniæ, ad negotium perpetuæ pacis promouendum, & ad conciliandam populorum beneuolentiam. Nolunt id Commissarii Sueci. Quamobrem? facile est coniicere, nec eundum Delphos.

12. Brandeburgici repetunt quatuor naues, quæ Electoris sui erant. At Sueci, quibus hæc sæpius fuit recantata fabula, surdi sunt.

13. Elbingenses repetunt priuilegia sua, quæ

in odium illorum defectionis ad Suecos, à Rege Poloniæ translata sunt ad Gedanenses; quæ quidem sunt, sigillum Prussiæ & in Comitiis præeminentia, quibus priuilegiis ab antiquo gaudebat Elbinga, pro sua vetustate. Huius petitionis articulum separatum faciunt Sueci, asseruntque, se Elbingenses deserere non posse. Cum id satis acriter disceptaretur in tentorio Polonico, ac Gedanenses fidei suæ præmia sibi non eripi debere contenderent, eos increpuit Anglicus Legatus, dixitque se, qui tum sub Gustauo militabat, probè memorem esse, Gedanenses non fuisse multò meliores his Elbingensibus, sed quia Vrbs illorum maioribus viribus pollebat, idcirco non tam facile Gustauo se permisisse, scire quid tum gestum fuerit: At Elbingenses ex sua infirmitate, fortiori cedere fuisse coactos. Certè, cùm id Legatus Anglicus palam diceret, coram Cancellario cæterisque Commissariis Polonis, pudorem Senatorum Gedanensium, qui illi pro sua dignitate replicare non audebant, non mediocriter læsit.

Ad quatuor aut quinque horas productum est istud colloquium, in angusto tentorio, vbi stantes nudoque capite in humenti solo, tam Commissarii, quàm Mediatores erant. Sub vesperam inuisit Legatus noster Suecos, rediitque cum illis Mariæburgum.

Reuersus de multa nocte Mariæburgum Legatus, inuenit cursorem N. *Lataur*, qui illi multas à Rege Christianiss. attulit litteras, multaque de Aula narrauit.

XV. Quę pluuia admodum vti superior dies fuit, propter beatissimæ Virginis assumptionem, quam Lutherani non agnoscunt, Missæ cum Illustris. Legato vniuersi adfuimus. Sub vesperam Legati Angliç, Hollandiæque nostrum inuiserunt.

XVI. Ad Stumsdorffium Commissarii Legatique redierunt. A prandio, ob æmulationem quæ inter Hollandos nata erat ac Brandeburgicos, duo fuere pro Mediatoribus posita tentoria. In altero Brandeburg. erant, quos adiit Legatus Angliç: In altero Hollandici, quos Legatus Galliç, qui misit me statim ad Anglum & Brandeburgicos, postulatum, quid facto esset opus; At illi statim ad Gallum Hollandosque transierunt. Tum Gallus cum Brandeburgicis, ad Commissarios Polonos se contulit; Anglus cum Hollandis ad Suecos.

In tentorio itaque Polonorum, cùm assedissent; proposuit Legatus noster de ratihabitione, quam Sueci habere volebant, antequam loca Prussiæ restituere possent. Poloni contendebant, loca sibi restitui debere statim atque tractatum signassent, quod fieri à se promittebant atque à Rege cæterisque Senatoribus, qui penes Regem erant. Insistebant contrà Sueci, dicebantque, se non fore satis securos, quia in diæta Polonica possent ea omnia rescindi, quæ à Rege & Commissariis transacta & signata essent. Ad hæc respondebant Poloni; Istud timeri non debere, nec fieri posse, vt in diæta rescinderetur hic tractatus, & quæcunque à Cómissariis gesta

essent, ob eam rationem, quod illorum potestas atque auctoritas in speciali lege fundata esset, per quam cauebatur, ratum habitum iri à diæta, quicquid ab illis gestum ac tractatum esset: ac vt dicta lex rescinderetur, opus esse alia lege noua, quæ ne fieret, & Rex, & Commissarii, & reliqui Senatores, qui tractatum hunc signarent, intercederent vetarentque; & hanc esse fundamentalem Reip. Polonæ legem, vt vno vetante ac contradicente lex nulla ferri possit. Itaque periculum nullum esse, vt hic tractatus rescinderetur, cùm Rex, Commissarii, cæterique Senatores, qui penes Regem sunt, præcipuè Archiepiscopus Gnesnæ, qui Regni Vicarius est ac Interrex itemque Generalis, dictum hunc tractatum tuerentur. Addebant etiam, dictâ lege, quæ in vltima diæta facta est, omnem potestatem Reip. in Regem ac Senatores qui illi assident, quique nominati sunt, fuisse translatam, ita vt exceptâ contributione generali, & bello offensiuo indicendo, omnia illis permissa essent, Dictatorumque Romanorum loco esse constitutos.

Alteram rationem ab exemplis petebant Commissarii Poloni, nimirum in vltimis induciis, quas cum Suecis pepigerant, Suecos illis reddidisse quædam etiam loca, non expectatâ nec petitâ ratihabitione Comitiorum Poloniæ.

Idem in tractatibus cum Moschis & cum Turcis initis, discessum ab armis fuisse, loca quæ restitui debebant, restituta; non expectatâ diætę rati-

ratihabitione, quæ tamen cùm Comitia habita postea sunt, subsecuta est. Nullam denique, ab omni æuo, perfidiæ notam Polonis obiici posse. Præter hæc propositum est de obsidibus, de sequestro, de deducenda parte exercitus. Pertinaciter Sueci contenderunt; se nulla loca relinquere posse, quin ipsa ratihabitio à Polonis Comitiis illis esset tradita. Interim, dum id fieret, se exercitum retenturos, nisi & ipsi Poloni suum dimitterent. Poloni vtique in sua sententia perstitere; velle se statim atque tractatus signatus esset, vt Sueci locis Prussiæ decedent. Mariæburgum serò rediimus.

XVII. Ad Generalem *de la Garde*, & Commissarios Suecos in castro habitantes, contulit se Illustris. noster Legatus, vt eos ad sequentem congressum præpararet; at illi ob ieiunium quod sibi indixerant, duri ac morosi, Legato minùs obsequentes fuerunt.

Hæc ieiunia celebrantur ab illis semel in sex hebdomadis, ac per illam diem non comedunt, nisi horâ quintâ pomeridianâ, tum se poculis ac cibis, quasi Bacchanaliorum dies aduenisset, ingurgitant.

XVIII. Rediere tam Commissarii, quàm Mediatores ad tractatum; iuit cum Brandeburgicis Legatus noster ad Polonos, iterumque de illa ratihabitione actum, iterum lectæ explicatæque Poloniæ leges. Propositum est à Legato nostro, vt diuiderentur loca Borussiæ, & donec ratificatio afferretur, Sueci interim mediam partem locorum Borussiæ traderent,

mediam retinerent. Pilauiam nimirum, Hoffstium, & Elbingam, at restituerent Mariæburgum, Braunsbergam, aliasque vrbes, statim atque tractatus à Commissariis signatus esset. Noluerunt Poloni, ac irato similis Palatinus Belzensis colloquium abrupit, iussit adduci sibi currum vt exiret. Continuò iuit ad Suecos Legatus noster cum Brandeburgicis, retulitque Polonorum sententiam. At isti, cùm iam audirent tubicines Polonorum, qui receptui canebant, inito breui ac salutari consilio, dixerunt Legatis, se illorum arbitrio permittere, quid de illa ratihabitione statuerent, itemque de termino induciarum, peterent à Polonis, num idem ipsis fieri placeret, vt hoc arbitrium Mediatoribus relinqueretur. Responderunt Commissarii Poloni, quandoquidem Rex in vicinia esset, id ab illo postulandum, rogaueruntque Legatos, vt ad Regem transirent, qui cis Marianam Insulam castra collocauerat. Rediere alii Legati Mariæburgum. At Legatus noster; qui hæc pro sua sagacitate præuiderat, ad Marianam Insulam post Commissarios Polonos se contulit. Ibi in vestimentis nostris duriter pernoctauimus apud N. *Labaye*, Gallum, qui nos ad diuersorium suum abduxit.

XIX. Quæ Dominica fuit, Missam à Cancellario Polono celebratam audiuimus, ac deinde prædicationem Polonicam. A prandio ad castra nos contulimus, ductusque est à Palatino Belsensi Legatus noster, ad præclarum Marschalli Curiæ tentorium, vbi cum Principe Bran-

deburgico aliquo tempore moratus est. Interea apud Casanoskium Legati Angliæ & Hollandiæ, non sine egregia compotatione, conuiuati sunt. Ductus est ad tentorium Regium, vbi omnes Palatini aderant, Legatus Galliæ, quem sequebâtur adhærebantque Brandeburgici. Ductus est deinde Anglicus cum Hollandis, conclúsumque tentorium. Ibi Legatus Galliæ omnibus & dignitatis sui Regis, & industriç suæ prærogatiuis gauisus est; ac longè præ cæteris à Serenis. Rege gratiosè exceptus.

Quod ad rem attinet, noluit Rex controuersiam præsentem arbitrio Mediatorum permittere, quoniam id facere initio tractatus Sueci noluerant, cùm à Polonis oblatum fuisset. At se consentire, vt Sueci, dum illa ratihabitio quā tantopere flagitant, afferretur, interim Pilauiam seruarent: at Elbinga Legato Galliç, vt sequestro, traderetur cum præsidiariis militibus, dummodo illi Sueci naturales non essent, sed promiscuè ex aliis copiis exterorum, qui in exercitu Suecico merent, sumerentur, seque Legato Gallico sacramento obstringerent.

Cæteræ Vrbes statim post signatum à se tractatum, & à suis Senatoribus ac Commissariis, statim restituerentur, dumque super illa re deliberarent Sueci, in duos dies armistitii consensit Rex Poloniç.

Continuò epistolam scripsit Legatus noster ad Suecos, misitque Henricum *Canasthes*, qui vndecima nocturna Generalem interpellauit, at alios Commissarios non nisi mane sequenti al-

locutus est, qui responderunt; se quidem armistitium recipere, at pro illa die ad locum tractatus sistere se non posse; quod tamen Legatus noster per litteras suas petierat, ac per Auaugurium, quem iterum ante diluculum ad eos miserat.

Legatus Galliæ, Hollandiæ, Brandeburgi in *Marien-Vuerder* illa nocte decubuerunt. Legatus Angliæ in Stumsdorff.

XX. E Mariana Insula Commissarii Poloni, Legatique Galliæ, Brandeburgi, Hollandiæque ad Stumsdorffium se contulerunt. Interim attulit Suecorum litteras Henr. *Canasilhes*, quibus se non satis maturè monitos causabantur, itaque se sequenti die venturos. Ostensæ sunt illæ litteræ Polonis, qui discesserunt in sequentem diem. Remansit Legatus noster Stumsdorffii cum Brandeburgicis, reliqui abierunt. Conquesti sunt apud Palat. Belzensem Gedanenses, quòd Sueci à suis villicis pecuniam exigerent, aliasque angarias imponerent. Iussus itaque sum à Legato meo id Legatis aliis renuntiare, qui Mariæburgum ibant, vt Suecis significarent.

Interim Legatus noster per Auaugurium ad Generalem *de la Garde* scripsit, vt suis Commissariis Suecicis redeundi sequenti die auctor esset. Scripsit item ad Regem Polonię Italicè, iusserat me Latinè scribere, vt vtram mitteret eligeret, suam misit, meam tamen non improbauit. Hac nocte pro bono publico, fœno recenti iacere pertuli. Soli ego, œconomus, & *Ca-*

nafilbes cum Legato mansimus, dum alii Mariæburgi cutem curarent.

XXI. Post præteritas pluuias ac nebulas matutinas, purior dies illuxit; Summo ego mane per rorem decurri campos Stumam versus, vnde Stumsdorffium nuncupatum est. Stuma pusillum est oppidum aquis cinctum, vbi ante sex annos quatuor millia Cæsareorum, qui Sigismundo Regi Poloniæ in auxilium venerant, manserunt in obsidione, cùm in defendendo oppido quadraginta sani milites essent, ægrotantibus aliis, coactique sunt abire Cæsarei duce Mansfeldio. Maturiùs solito aduenit illâ die Stumsdorffium Legatus Angliæ, ac tentorium Suecorum proximè ad tentorium Polonorum collocari curauit. Poloni se satis expectari permiserunt, dubitabaturque an venirent, ob desertum à Suecis superiori die Vadimonium: venerunt tandem. Mediatores ex vsu solito operam suam diuiserunt. Anglus & Brand. ad Polonos; Gallus & Hollandici ad Suecos. Proposuit Gallus Suecis, vt Pilauiam retinerent, dum ratihabitio afferretur, Elbinga sequestraretur: noluerunt. Proposuit vt Pilauiam & Braunsbergam haberent, sed Elbingam restituerent. Noluerunt. Tandem post multos circuitus, cùm è tabernaculo Polonorum citiori gradu Legatus Galliæ cum Hollandis erupisset, transiretque inconsultis aliis Mediatoribus, qui in communi tentorio erant, rectâ viâ ad Suecos, ingens illum turba, nescio quo subito impulsu, illum circumstitit atque ad tentorium Suecorum

prosecuta est, itaque admissis tantùm Legatis ac eorũm Secretariis, qui in tentorio communi erant, nictu me oculorum Legatus admonuit, vt præsto essem, & attenderem.

Tum ille anhelans, ac veluti dubius animi, oreque ad indignationem parato. Viri Illustris. inquit, nisi quas tandem vobis propositiones facimus, acceptare volueritis, deserimus nos totum hoc negotium, & in patriam quisque nostram recedimus, testaturi vbique gentium duritiem, & pertinaciam vestram. Desideraulstis responsum Polonorum super duobus articulis, nempe super ratihabitione, & annis induciarũ, voluistis vtique nos in his duobus articulis constituere arbitros; ac profectò, si id etiam consensisset Rex Poloniæ, animus nobis erat partiri quinque annos, de quibus inter vos discrimen erat, cùm vos triginta peteretis, Rex Poloniæ viginti quinque solùm concederet, & sic induciarum terminum in viginti septem annis cum medio statuere; quod ad restitutionem vrbium spectat, aliud fortasse, quàm quod nunc cupitis, constituissemus. Itaque sic nunc existimauimus in tentorio Polonorum, eosque tametsi reluctantes ad id damnauimus, vt dum ratihabitio Comitiorum Poloniæ afferatur, Pilauiam & Elbingam seruetis. Induciæ verò ad viginti sex annos terminentur, nisi id vultis, discedimus, & res vestras belli fortunæ committimus. Itaque deliberate statim inter vos, nec quicquam nobis obloquimini. Cùm in eandem sententiam nonnulla prudenter subiunxisset Senior Legatorum

Hollandiæ, breui deliberatione inter se habitâ, dixit Comes Brahe Commissionis princeps, se Illustrissimis Mediatoribus gratias agere, pro opera tam vtiliter collocata, acceptare conditiones propositas, rogaréque illos, vt apud Polonos intercederent in aliis articulis minutioribus, duriores ne essent, præsertim etiam in Spiringii contra Gedanenses lite, quæ nisi in pactis generalibus ac publicis contineretur, in priuatis certè comprehenderetur. Petierunt deinde, num placeret Dominis Polonis, vt se mutuò salutarent. Iuit de illo tentorio ad Mediatores alios Illustr. Galliæ Legatus, comitantibus illum Hollandicis, indeque ad Polonos, quò se etiam contulit postea Anglus cum Brandeburgicis, concluseruntque, vt Anglus & Brandeb. Suecos, Gallus & Hollandi Polonos ad medium locum ducerent, ad mutuam salutationem; quod per vrbanè factum est, datisque inuicem manibus, Cancellarius Poloniæ prior aliquot verba præfatus est, quæ Comes Brahe excepit. Interea, Legatus noster boni ominis voces ac vota palam concipiebat, & vt reliqua deinceps æquo iure componerent, hortabatur. Ad hoc spectaculum multa hominum millia confertim accurrerunt, qui deinde, vt tam felicem nuntium huc & illuc ferrent, dissipati sunt. Interea tamen rogauere Commissarii Poloni Legatum nostrum, vt Regem sequenti die adiret, quò illi annum illum quem ad viginti quinque à Rege concessos, adiecerant, approbaret. At de-

multa nocte ad illum scripserunt, ne Regem adiret, quin Sueci Polonos aliquos quos ceperant, remitterent. Id cùm fieri promisisset Generalis *de la Garde*, vir cùm æquus pariter ac strenuus, tum etiam Legati nostri studiosissimus, licuit Legato nostro Regem conuenire.

Veniam ego discedendi Mariæburgum à Legato petii, vt me à trium noctium insomnia recrearem, redii itaque in rheda Ioannis *Fennich*, Burgrauii Mariæburgensis. Allatæ fuerunt ipsâ die Legato inter prandendum, litteræ è Gallia à Domino Buthill. Secretario status, ac Patre Iosepho, quibus illi de rebus hactenus gestis gratulabantur, ac super hocce præsenti Borussiæ negotio solabantur, quasi illud confici non posse metuerent; nescientes, vti neque nos ipsi sperare audebamus, quid tribus abhinc horis Deus Opt. Max. solus futuri temporis prudens, fieri permitteret.

Communicatę sunt nobis litteræ, in tentorio Mediatorum, quibus ferebatur, Marschallum *de la Force* profligasse exercitum Cæsaris, interfectum Ioannem *de Verd*, Galassum vulneratum, Picolominium in fugam conuersum.

XXII. Augusti, ex mandato Illust. Legati scripsi ad Illustrissimum eius Patrem, de superioris diei successu; scripsi etiam ad fratrem, eiusque accuratissimæ Latinæ Epistolę eâdem linguâ respondi. Allatus est magnus intereà litterarum è Gallia fasciculus, quem posterâ die

ad Legatum tulerunt, Stumſdorffium. Remanſi Mariæburgi.

XXIII. Actum eſt Stumſdorffii de minoribus articulis, nec parum, vt mihi noſtri retulerunt, tractatus prouectus eſt. Ea die innumeri Poloni, Huſſari præſertim, cum generoſis equis ac præclaris ornamentis, Stumſdorffium venerunt, vt ſplendorem ſuum Suecis exhiberent.

XXIV. Cum Burgrauio Mariæburgenſi ad tractatum me contuli, qui nos in via iucundiſſimis ſermonibus oblectauit. Bartholomæi feſtum erat, itaque mane ſacris adfueram. Cum aduenì Stumſdorffium, duxit me Illuſt. Legatus cum Auangurio ad prandium, quod illi ſub pellibus, Palatinus Belzenſis parauerat. Miſſam in Cancellarii tentorio audierat. A prandio, litteris ſcribendis addixit me Legatus, dum in tentoriis hinc inde articulos pacis diſcuteret. Sueci ea die, vxores ſuas ad contemplandos Huſſaros adduxerant, non incongruo ſtratagemate, oculos quippe Mediatorii comitatus, à Polonis ad pulcherrimas fœminas intuendas conuerterunt. Interim in tractatu non valde proceſſum eſt. Propoſitum eſt de Duciſſa Curlandiæ, itemque de religione Catholica in Liuonia permittenda. Remanſit Stumſdorffii Legatus, redii ex eius licentia Mariæburg. in rheda Spiringii, cum N. Lacquio, qui Dantiſcò exulabat, cùm ob alias res, tum pro conſuetudine quam cum Guſtauo & Cancellario Oxenſtierna habuerat.

XXV. Iterum Commiſſarii, de Religione

Catholica in Liuonia permittenda, verba fecere, ac, cùm nihil apud Suecos perfici posset, qui Catholicos prorsus aspernantur, vtrimque discessum est.

XXVI. Quæ Dominica fuit, statim à prandio Illust. Galliæ Legatus inuisit Generalem *de la Garde*, cum quo erant alii Commissarii Sueci, in Castello Mariæburgensi. Per septem horas cum illis remansit, nec tamen eos, ad ea quæ religionem tangunt, mitiores habuit.

XXVII. Reditum est ad tractatus, &c, cùm omnes Mediatores in Polonorum tentorio conuenissent, ad eos retulit Legatus noster, quid cum Suecis superiore die egerat. Locutus est deinde Legatus Angliæ, retulitque ea, quæ tunc de iisdem Suecis, è quorum tentorio redibat, acceperat. Nimirum, eos quatuor rationibus niti, cur in Liuonia Catholicos esse non sinerent, quòd pauci ac ferè nulli ibi Catholici essent; quòd leges Suecicæ in suis ditionibus Catholicos esse non paterentur; quòd in superioribus induciis, de iis in Liuonia permittendis, sermo non fuerat, neque à Polonis postulatum. Quod si qui denique in ea Sacerdotes essent, oporteret ab Episcopis Polonis eos mitti ac dependere, sicque subditos suos Potestatibus saltem Ecclesiasticis Polonorum, obnoxios fore. Ad eas rationes N. *Zobiesky*, Regni Senator, qui nuper aduenerat, petitâ à Cancellario veniâ, ordine respondit.

Ad primam quidem, Regem Remque publicam Poloniæ, tantam in hac parte, de paucis ac

plebeiis hominibus curam habere, quantam de optimatibus & plurimis, quorum animæ æquè pretiosæ sunt; quia Deus non est personarum acceptor. Ad 2. nimirum leges Suecicis nullam in suis prouinciis religionem admittere, quàm Confessionem Augustanam; respondebat, neque etiam Liuoniam esse membrum Regni Suecici, neque illam à Rege Poloniæ in perpetuum concedi. Ad 3. argumentum Suecorum non valere, cùm dicerent, quia in sexennalibus induciis, de religione in Liuonia conseruanda, nihil cautum sit, idcirco in his induciis, quæ viginti quinque annorum sunt, nihil caueri debere, quia modicum illud tempus contemni potuit, magnum istud non debet. Deinde, in sexennalibus induciis, in parte satisfiebat Polonis, cùm in tota Prussia religio Catholica permitteretur, neque tamen tunc de religione in Liuonia conseruanda obliti fuerant, sed maluerant illam conseruari, in prouincia vbi erant plures Catholici. Quod ad 4. pertinet, nihil à Suecis timendum esse, nam qui Sacerdotes in Liuoniam mitterentur, tali præditi essent potestate, vt amplius Episcopis Polonis non subessent. At (inquit Legatus Anglicus) dummodo nullum Catholicæ religionis exercitium fiat, libertatem conscientiæ permittent Liuonibus Sueci. Credo equidem, (replicauit Zobieskius) scilicet illam, quam homini nemo eripere potest, hoc est, credere quod libuerit, ac in mente Deum adorare. At non est illa religio sufficiens, opusque est cultu externo, vtique Deum

mente, & corpore colamus, quia mente & corpore constamus, indigemusque administratione sacramentorum; quæ in Laïcorum potestate non sunt. Itaque si libertatem conscientiæ permittunt, id cum effectu permittendum est, nimirum, vt saltem in priuatis ædibus, ritus Catholicos exercere possint.

Adiit Suecos Legatus noster cum Hollandicis, & quia nos Suecis in hac parte suspectiores eramus, rogauit Hollandos Legatus, vt se tacente, ipsi mentem ac rationes Polonorum eloquerentur. Locuti sunt itaque Hollandi. At Sueci semper perstiterunt, dixeruntque, se inquisitionem in Catholicos non facturos vnquã, nec facere solere. Imò (inquam ego) qui propior Legato nostro eram, facitis, & id vidimus Stocholmiæ, cùm Gallos ipsos domus Legati accessu prohibebatis, ne sacris interesse possent. At neminem propterea puniuimus (respondit Nicodemus.) Sed tot minas, tot pœnas, inquam, interminamini, vt perinde sit: nam, si cui faces accensas admoueas, idem est, ac si illum baculis ac fustibus cogas abire, vel ingredi prohibeas. At, inquit ille, nunquam fuit facta Stocholmiæ illa Parisiensis laniena. Non illa laniena fuit, replicaui ego, sed iustitia: quippe tunc temporis, nouæ religionis hominis eodem ordine apud nos habebantur, quo sicarii ac venefici. Pœnituit certè me postea quin addiderim. At fuit illa vera & truculenta laniena, cum præcipuos Regni vestri Senatores, qui à partibus Sigismundi stabant, iniquissimè oc-

cidiftis, atque vt crudelitatis veſtræ implacabiliſque in Catholicos Reges odii, monumenta exſtent, longis haſtilibus pia capita, ad metropolis veſtræ portas præfixiſtis, vbi hodiéque conſpiciuntur.

Nihil tandem relatum eſt ex hoc congreſſu, niſi quod Sueci dicerent, ſe inquiſitionem non facturos in Catholicos. At hoc Polonis non ſatisfecit, ſed, vt Suecos ad aliquid explicatiùs promittendum adigerent, hanc ipſi formulam ſcripto conceperunt, quam verbis tenus apud Legatos profiterentur, nec in pactis ſcriberetur, ſed tantum fide Commiſſariorum conſtaret; verumtamen illius ſtipulationis, Mediatores atteſtationem Polonis darent. Formula hæc fuit.

Homines Catholicæ religionis in Liuonia, libertate conſcientiæ gaudebunt, & ſi qui inueniantur, qui cultu ac ritu Catholico vſi fuerint, id illis noxæ & fraudi non erit.

Hanc formulam, Legatus Galliæ cum Brandeburgicis ad Suecos tulit; at illi, ne in iſto ſermone caperentur, ſubeſſetque aliqua fraus ac decipula, nihil prorſus reſpondere voluerunt, niſi illud, quod Comes Brahe repetiit ſæpius, *Non inquiretur*. Cumque idemtidem relegerent illud ſcriptum, audiui Nicodemum aliis admurmurantem diſſuadentemque: ſunt (inquit ille) verba illa captioſa. Cui cùm alii hac in parte fidentiùs crederent, quia nuper in Batauia Ludimagiſter fuerat. Dixi ego Bergmannum alloquens, oporte-

ret illa explicari Germanicè; exarsit vir grauis Nicodemus, quasi honorem eius læsissem. Vertantur, inquit, potiùs Gallicè, scilicet Latinè non intelligimus; Nutu interclusit mihi vocem ac responsionem Legatus, cumque iterum à Commissariis quæsiuisset, num aliquid in gratiam Legatorum facere vellent, ac se magis explicare super illa stipulatione; renuerunt, egredientemque tentorio Legatum, cui Marchio Sigismundus adhærebat, comitari spreuerunt.

Cum se adPolonos contulissent illi, referentque Suecorum pertinaciam; Ecce derepẽte Sueci imperant tympana tubasque pulsari, vt exirẽt, Legatis insalutatis. Tum verò excandescerePoloni, contestarique iniuriam sibi fieri; dum adhuc cum Mediatoribus deliberant, hunc obtrudi strepitum. Prior Palatinus Belzensis, vir alioquin sapientissimus, ac humanissimus, in has Gallicas voces erupit, *Mort-Dieu! nous pensent-ils estonner par ces tintamarres? Nous leur en rendrons bien d'autres.* Quem Zobieskius excipiens; Puerorum, inquit, ista sint terriculamenta, talis est nostra musica, cui ab ineunte ætate innutriti sumus: bellum volunt Sueci, bellum habeant. Permulti illâ die, quod moris non erat, etiam ex gregariis militibus, in tentoria se intruserant; credo, quia de hoc religionis negotio, quod omnes afficit, agebatur; erupere isti, tumultumque inter Hussaros ac Cosaccos, qui promiscui erant, fecerunt: cúmque plurimi vino incaluissent, oblatam iræ occasionem

facile susceperunt, ac in aliquot obvios Suecos irruerunt: Qui cùm ad suos confugissent, converterunt se in Polonos Sueci, qui jam discessum Mariæburgum versus parabant, inuentosque etiam intra se Polonos & incogitantes cæciderunt. Exauditus scloppetorum cum vociferatione tumultus, pepulit è tentoriis Commissarios Polonos ac Legatos, qui medios se in irrumpentes Hussaros coniecerunt. Venerandus ipse tam ætate, quàm vtrâque, & Politicâ & Ecclesiasticâ, dignitate Cancellarius, dum eos cohibere vult, equorum pedibus penè obtritus est. Cæteri Commissarii ac Proceres, irruentium equos frænis prehendebant, minisque ac baculorum obiectu prohibebant. Parte aliâ ad pedites Suecos Legati concursabant, quos vtrique vinum, odium, æmulatio, excitabant. Iam aliquot passus fecerant, jam se conuerterant, ordines duplicauerant, furcillas scloppetorum proiecerant, aut fregerant, ad displosionem parati. Objiciunt se iis Legati, Anglus quidem, linguæ minis ac suasionibus, quia Germanicè loquebatur; Gallus verò quod poterat, oblatione corporis & capitis sui. At milites, quorum Præfecti plerique ebrii erant, quique diuersa imperabant; alius, vt se cohiberent; alius, vt in hostes inuaderent, inter se tumultuabantur, vapulabantque ab Officialibus, qui ipsi inter se diffidebant, dum alius Legatis paret, alius illos non agnoscit. Recessit inde etiam iterum atque iterum, ad ingruentes Polonos Legatus noster, quos cùm Latinè affaretur, Latinè illi vel

ipsi gregarii respondebant; itaque plùs ibi potuit quàm apud Suecos. Ego interea, qui prima militiæ meæ tyrocinia illâ die posui, ad Commissarium Oxenstiernam, qui sub finem tumultus ab itinere redierat, conuersus, postulaui, vt homines suos cohiberet. Tres, inquit ille, è nostris interfecerunt, & nostros cohibebimus! reprimant potiùs illi suos. Aduenit tandem Vvrangelius Campi Marschallus, qui ad peditum Suecorum cohortes accedens, nutu solo, ebrios, iratos, ac tumultuantes, compescuit, cùmque illos in equo ambiisset, partem abduxit, partem, quæ tentorii custodiæ deputata erat, reliquit. Accessit deinde ad Mediatores, qui ab eo duos dies armistitii petierunt, quod inconsultis aliis non ausus est concedere. Inde omnes Mediatores Cancellarii domum ingressi sunt, vbi erant alii Commissarii Poloni, qui biduum armistitii petitum noluerunt concedere, quin Rex consuleretur.

Fuere permulti qui in hoc tumultu, Mariæburgum se citatissimè contulerunt; quales Spiringius aliique ex diuersis vrbibus, qui se in Regem, Remque publicam Poloniæ peccasse meminerant. Ipse Commissarius Nicodemus, qui pertinaciâ suâ, nouisque difficultatibus continuò serendis, alios ad bellum impellebat, tanto metu perculsus est, vt cùm Mariæburgum penè exanimis cucurrisset, quinis aut senis, quibus oppidum cingitur, mœnium & vallorum ordinibus, ipsâque arce ac Generalis præsentiâ, tutus non fuerit, sed equos etiam, quibus Elbingam

gam vsque fugeret, anhelans ac balbutiens postulauerit. Fuit item alius è Primariis Suecis, cuius nomini parco, qui addubitare se diceret, num in crure vulneratus fuisset, ille tamen maturè aufugerat. Itaque singulorum propriæ sunt virtutes aut vitia, non vniuersarum nationum; quandoquidem apud Suecos, tam meticulosos tamque segnes, quàm alibi, inuenire possis.

XXVIII. Generalis *de la Garde*, Legatum nostrum inuisit, ac de actis diei superioris collocuti sunt, excusauitque, vt potuit, Commissariorum erga Legatos inurbanitatem. Interea reliqui Legati ad castrum iuerunt, noster non iuit, vt se Commissariis Suecis subiratum significaret. At illi tandem aliis Legatis concesserunt formulam, quam in tentoriis die superiori respuerant. A prandio omnes Legati Neudorffium se contulerunt ad Commissarios Pol. vt illis dictam formulam traderent. Poloni formulam mutauerunt, redieruntque Mariæburgum Legati alii, noster remansit Stumsdorffii.

XXIX. Toto matutino tempore, alii Legati in Castello cum Commissariis Suecis fuerunt, à quibus huiusmodi formulã obtinuerunt, quam Legato nostro Anglicus misit per Canasilem: *Homines Catholici, &c. libertate conscientiarum & religionis gaudebunt.*

Iui & ego cum Eurebeco Consiliario Brandeburgico ad Stumsdorffium, vnde iam Legatus noster profectus erat ad Castra Regis Poloniæ, quò vtique nos contulimus: ac inuenimus Legatum nostrum, itemque Principem Sigismun-

dum, in tentorio Regio. Rex voluit addi formulæ, verbum *deuotionis*, vt sic formula conciperetur. *Libertate conscientiarum ac religionis deuotionisque Catholicæ.* Statim itaque scripsit Legatus noster ad Anglum per Canasilhen, qui tota nocte Mariæburgum cucurrit.

XXX. Mariæburgum rediimus; Cumque sub noctem, Legati omnes in Castellum ad Suecos iuissent; Sueci quia omnes Commissarii non aderant, non responderunt, sed spem fecerunt, se crastina die, cùm alii aduenissent, responsum gratiosum facturos; itaq; credidimus negotium feliciter confectum.

Vltima die Augusti, diuiserunt se Commissarii; duo cum Generali *de la Garde*, ad Legatum Galliæ venerunt; duo ad Legatum Angliæ, quibus responderunt, se in formulam à Rege Poloniæ conceptam, consentire non posse, seque adduci per Sueciæ leges in discrimen capitis, si Catholicæ religionis exercitium in Liuonia permitterent. Introgressus ego in conclaue, vbi cum Legato nostro colloquebantur, dixi, hanc sententiam eos, sine summa iniquitate, tueri non posse, quorum Doctores, cæterique Germaniæ Euangelici, ac Reformati in Christianissimos Reges Galliæ scripserant, eò quod libertatem conscientiarum in Gallia pati nolebant.

Respondit mihi Oxenstierna, id à Germanis potuisse scribi, à Suecis nunquam, ac per suas leges solam Confessionem Augustanam esse permissam. Replicauit Illustris. Legatus, cur ergo, superiori die, sibi cæterisque Legatis consen-

tiendi in formulam spem fecerant ? Cùm nullum aliud cõgruum responsum dedissent, discesserunt ; statimque omnes Legati, consilium recedendi Dantiscum in sequentem diem sumpserunt.

Quod cùm intellexissent Commissarii Sueci, ac statim à prandio, omnes Legatos in Castellum venire viderent, vt veniam abeundi peterent, in formulam consenserunt, conuersusque ad me Comes Brahe, quem satis de illo articulo sollicitum per hos dies animaduerterat, dixit ; Liuoniæ Catholici, antea libertate conscientiarum de facto gauisi sunt : Nunc gaudebunt ex nostra concessione. Petierunt à Legatis suam attestationem, quod non intelligebant illi, per dictam formulam, vllam permissionem celebrandę in Liuonia Missæ admittendorumq; Sacerdotum, cedere. Recusauit Leg. noster relinquendũque verbis formulæ suum sensum, atque intellectũ dixit. Nescio quid ab aliis Legatis, qui & ipsi tãtopere à Missa abhorrent, obtinere potuerint. Scripsit continuò Legatus noster ad Polonos, vt sequenti die, ad locum tractatus adessent.

Primâ die Septembris, conuentum est ab omnibus tam Legatis, quàm Commiss. Stumsdorffii. Perlecti sunt in tentorio Polon. articuli induciarum, quos iam superioribus congressibus inchoauerant Disputatum est vehementer, super articulo sigillationis pannorum ac societate Anglicana. Nam ex quo Elbingenses à Rege Poloniæ defecerant, omnia illorum ferè priuilegia ad Gedanenses translata erant, inter quæ erat

illa sigillatio pannorum, sine qua sigillatione nulli panni in tota Polonia vendi poterant. Petebat ergo Legatus Angliæ, vt societas illa quæ prius Elbingæ vigebat, restitueretur, vtque illa sigillationis necessitas tolleretur, quam ob caussam valde cum Polonis altercatus est, cùm dicerent, se in præsens, istud priuilegium Dantiscanum abolere non posse, quod lege Comitiali latum erat, opusque esse vt Comitia antea conuocarentur, quàm id emendari posset: tandem vt illi vtcunque satisfacerent, promiserunt, se de ea re postulaturos in proximis Comitiis.

Cùm vniuersos illos articulos ad finem vsque percurrerunt ac discusserunt Legati cum Polonis, transierunt ad tentorium Suecorum, vbi breuiter illis proposuerunt, quænam fuerant Polonorum obiectiones. Armistitium prolatum ad tres dies. Rediimus Mariæburgum. Dedit Illustriss. Legatus Brandeburgicis ingentem fasciculum litterarum ad Baronem *de Rhorte*. Scripsit item ipse ad Electorem, & ad Cancellarium Oxenstiernam, à quibus litteras acceperat.

II. Septembris, quæ Dominica fuit, à prandio Legati per sex, aut ampliùs horas, in castro apud Suecos, articulos induciarum discusserunt, interim ex Legati iussu, ad cubiculum me recepi, vt scriberem.

III. Redierunt omnes ad Stumsdorffium, remansi ego Mariæburgi.

IV. V. VI. & VII. Remansit Illustr. Legatus Stumsdorffii, ad discútiendos omnes articulos,

& per hos dies, vt negotium conficerent Commissarii Sueci, Stumæ; Poloni Neudorffii, ipse Cancellarius Polonicus, & Palatinus Belzensis sub tentoriis dormierunt.

Interea oborta est non leuis difficultas, propter occupatum quoddam Castellum à Polonis in Liuonia, quod illi retinere volebant, eo quod armistitium in Liuonia, per hos dies, non innotuerat: At futilis iste prætextus vniuersis Legatis visus est, qui etiam illud castrum reddi debere arbitrati sunt. De illa re tamen ad Regem referre Commissarii Poloni voluerunt. Itaque interim Commissarii Sueci Legatique omnes Mariæburgum rediere, die septima de multa nocte.

VIII. Propter festum Natiuitatis B. Virginis sacris adfuimus, indeque Illustris. in Castrum iuit, inuisitque Generalem ac aliquos è Commissariis, qui post prandium illum reuiserunt. Confirmauit nuntium de Galassi profligatione ac morte Cancellarius Oxenstierna, litteris, quas ad Generalem scripserat, Magdeburgo datis. Itemque nuntius aduenit de expugnatione Francofurti ad Mœnum, à Suecis facta.

IX. Quæ Dominica fuit, post Missam, ad Stumsdorffium omnes rediere runt, & cum Poloni declarassent, se difficultatem illam, de castelli Liuonici occupatione, Legatorum arbitrio permittere, pax est conclusa, in proximum diem subsignanda. Scripsit statim ad Regem Illustris. noster Legatus, qui quidem Rex Dantisci erat, illique hunc tam bonum nuntium per Oecono-

mum suum misit. Scripsit item ad Generalem *de la Garde*, vt idem illi significaret, ac postularet, vt nauem Regiam quæ in portu Gedanensi à multis diebus distinebatur, liberaret, vti Commissarii Sueci pridem promiserant, id eo die statim factum iri, cùm pax concluderetur.

X. Articuli pacis in ordinem à Commissariis hinc inde, atque à Legato nostro, qui solus hunc siue laborem, siue honorem suscepit, redacti sunt; ac per hunc diem de prærogatiua Legatorum acriter ac studiosè à Commissariis disceptatum est, cùm Legatus Galliæ præferri, Angliæ æquari cuperet. Eadem ferè inter Electorales & Hollandos æmulatio, quorum tamen maior paritas credebatur, nisi quod nonnullis, Electorales præstare videbantur.

Certè hanc tam grauem quæstionem, pro sua dignitate tractare, longioris esset otii, quod tamen aliquando, siue meâ, siue aliorum qui huiusmodi negotiis deputabuntur, gratiâ facere conabor. Dicam hîc modò Illustrissimum Galliæ Legatum Christianissimi Regis prærogatiuã asseruisse, tribus validissimis rationibus, quibus resisti, nisi cum summa pertinaciâ non poterat. Prima quidem à iure, secunda à possessione, tertia ab exemplo. Ius istud sumi potest, tam ab antiquitate, quàm magnitudine ac potentia regni, ab auctoritate Ecclesiæ, summorumque Pontificum, qui hunc Regib. Christianis, quasi filiis suis ordinem assignauerunt, à longâ Regum Gallorum serie, à lege Salica, aliisque infinitis, quæ apud scriptores sunt, rationibus. Secunda ra-

tio, quâ nitebatur Legatus noster, erat possessio recens & vetus, quòd in Conciliis antiquis, quod in constituendis Belgii nuperis Induciis, Legati Galliæ Anglos præcesserint; quod denique ipse Legatus Claudius Memmius, Venetiis Anglicum Legatum semper præcesserat. Tertia ratio ab exemplo, erat in promptu; nimirum, quod in induciis sexennalibus, quæ mediatione eorumdem Regum sancitæ fuerant, ante sex annos, Hercules *de Charnacé*, Leg. Galliæ, N. *Roë*, Legatum Angliæ præcesserat. Si his rationibus quæ ad Regem Christianissimum pertinent, aliquid addi posset, allegabat Memmius suos priuatim labores, tamque vtiliter collocatam operam.

Aduersus istas rationes, nihil afferebat Legatus Angliæ, nisi quod dicebat, omnes Reges pares esse, ac si quæ Gallis honoris, ac ordinis prærogatiua tributa erat, id à Pontificibus Romanis proficiscebatur, quorum auctoritati Anglia pridem renuntiauerat. Quod ad exemplum attinet, eius quod, in sexen. induciis, factum fuerat, dicebat, eam ob rem fuisse, quod prior Charnacæus, Legatus Galliæ, in Prussiam aduenerat. Se vtique qui prior aduenisset, eodem priuilegio gaudere debere, saltem apud Polonos; non impedire, quin in instrumento Suecorum, quorum Regnum Legatus Galliæ adierat, priore loco scriberetur.

Quod ad Electorales & Hollandos attinebat, difficilior erat illorum controuersia, quippe tam recens Resp. non admodum antiquis rationibus

ipsi gregarii respondebant; itáque plùs ibi potuit quàm apud Suecos. Ego interea, qui prima militiæ meæ tyrocinia illâ die posui, ad Commissarium Oxenstiernam, qui sub finem tumultùs ab itinere redierat, conuersus, postulaui, vt homines suos cohiberet. Tres, inquit ille, è nostris interfecerunt, & nostros cohibebimus! reprimant potiùs illi suos. Aduenit tandem Vvrangelius Campi Marschallus, qui ad peditum Suecorum cohortes accedens, nutu solo, ebrios, iratos, ac tumultuantes, compescuit, cúmque illos in equo ambiisset, partem abduxit, partem, quæ tentorii custodiæ deputata erat, reliquit. Accessit deinde ad Mediatores, qui ab eo duos dies armistitii petierunt, quod inconsultis aliis non ausus est concedere. Inde omnes Mediatores Cancellarii domum ingressi sunt, vbi erant alii Commissarii Poloni, qui biduum armistitii petitum noluerunt concedere, quin Rex consuleretur.

Fuere permulti qui in hoc tumultu, Mariæburgum se citatissimè contulerunt; quales Spiringius aliique ex diuersis vrbibus, qui se in Regem, Remque publicam Poloniæ peccasse meminerant. Ipse Commissarius Nicodemus, qui pertinaciâ suâ, nouisque difficultatibus continuò serendis, alios ad bellum impellebat, tanto metu perculsus est, vt cùm Mariæburgum penè exanimis cucurrisset, quinis aut senis, quibus oppidum cingitur, mœnium & vallorum ordinibus, ipsâque arce ac Generalis præsentiâ, tutus non fuerit, sed equos etiam, quibus Elbingam

gam vſque fugeret, anhelans ac balbutiens poſtulauerit. Fuit item alius è Primariis Suecis, cuius nomini parco, qui addubitare ſe diceret, num in crure vulneratus fuiſſet, ille tamen maturè aufugerat. Itaque ſingulorum propriæ ſunt virtutes aut vitia, non vniuerſarum nationum; quandoquidem apud Suecos, tam meticuloſos tamque ſegnes, quàm alibi, inuenire poſſis.

XXVIII. Generalis *de la Garde*, Legatum noſtrum inuiſit, ac de actis diei ſuperioris collocuti ſunt, excuſauitque, vt potuit, Commiſſariorum erga Legatos inurbanitatem. Interea reliqui Legati ad caſtrum iuerunt, noſter non iuit, vt ſe Commiſſariis Suecis ſubiratum ſignificaret. At illi tandem aliis Legatis conceſſerunt formulam, quam in tentoriis die ſuperiori reſpuerant. A prandio omnes Legati Neudorffium ſe contulerunt ad Commiſſarios Pol. vt illis dictam formulam traderent. Poloni formulam mutauerunt, redieruntque Mariæburgum Legati alii, noſter remanſit Stumſdorffii.

XXIX. Toto matutino tempore, alii Legati in Caſtello cum Commiſſariis Suecis fuerunt, à quibus huiuſmodi formulā obtinuerunt, quam Legato noſtro Anglicus miſit per Canaſilem: *Homines Catholici, &c. libertate conſcientiarum & religionis gaudebunt.*

Iui & ego cum Eurebeco Conſiliario Brandeburgico ad Stumſdorffium, vnde iam Legatus noſter profectus erat ad Caſtra Regis Poloniæ, quò vtique nos contulimus: ac inuenimus Legatum noſtrum, itemque Principem Sigiſmun-

dum, in tentorio Regio. Rex voluit addi formulæ, verbum *deuotionis*, vt sic formula conciperetur. *Libertate conscientiarum ac religionis deuotionisque Catholicæ.* Statim itaque scripsit Legatus noster ad Anglum per Canasilhen, qui tota nocte Mariæburgum cucurrit.

XXX. Mariæburgum rediimus; Cumque sub noctem, Legati omnes in Castellum ad Suecos iuissent; Sueci quia omnes Commissarii non aderant, non responderunt, sed spem fecerunt, se crastina die, cùm alii aduenissent, responsum gratiosum facturos; itaq; credidimus negotium feliciter confectum.

Vltima die Augusti, diuiserunt se Commissarii; duo cum Generali *de la Garde*, ad Legatum Galliæ venerunt; duo ad Legatum Angliæ, quibus responderunt, se in formulam à Rege Poloniæ conceptam, consentire non posse, seque adduci per Sueciæ leges in discrimen capitis, si Catholicæ religionis exercitium in Liuonia permitterent. Introgressus ego in conclaue, vbi cum Legato nostro colloquebantur, dixi, hanc sententiam eos, sine summa iniquitate, tueri non posse, quorum Doctores, cæterique Germaniæ Euangelici, ac Reformati in Christianissimos Reges Galliæ scripserant, eò quod libertatem conscientiarum in Gallia pati nolebant.

Respondit mihi Oxenstierna, id à Germanis potuisse scribi, à Suecis nunquam, ac per suas leges solam Confessionem Augustanam esse permissam. Replicauit Illustris. Legatus, cur ergo, superiori die, sibi cæterisque Legatis consen-

tiendi in formulam ſpem fecerant? Cùm nullum aliud cōgruum reſponſum dediſſent, diſceſſerunt; ſtatimque omnes Legati, conſilium recedendi Dantiſcum in ſequentem diem ſumpſerunt.

Quod cùm intellexiſſent Commiſſarii Sueci, ac ſtatim à prandio, omnes Legatos in Caſtellum venire viderent, vt veniam abeundi peterent, in formulam conſenſerunt, conuerſuſque ad me Comes Brahe, quem ſatis de illo articulo ſollicitum per hos dies animaduerterat, dixit; Liuoniæ Catholici, antea libertate conſcientiarum de facto gauiſi ſunt: Nunc gaudebunt ex noſtra conceſſione. Petierunt à Legatis ſuam atteſtationem, quod non intelligebant illi, per dictam formulam, vllam permiſſionem celebrandę in Liuonia Miſſæ admittendorumq; Sacerdotum, cedere. Recuſauit Leg. noſter relinquendúque verbis formulæ ſuum ſenſum, atque intellectũ dixit. Neſcio quid ab aliis Legatis, qui & ipſi tātopere à Miſſa abhorrent, obtinere potuerint. Scripſit continuò Legatus noſter ad Polonos, vt ſequenti die, ad locum tractatus adeſſent.

Primâ die Septembris, conuentum eſt ab omnibus tam Legatis, quàm Commiſs. Stumſdorffii. Perlecti ſunt in tentorio Polon. articuli induciarum, quos iam ſuperioribus congreſſibus inchoauerant Diſputatum eſt vehementer, ſuper articulo ſigillationis pannorum ac ſocietate Anglicana. Nam ex quo Elbingenſes à Rege Poloniæ defecerant, omnia illorum ferè priuilegia ad Gedanenſes tranſlata erant, inter quæ erat

illa sigillatio pannorum, sine qua sigillatione nulli panni in tota Polonia vendi poterant. Petebat ergo Legatus Angliæ, vt societas illa quæ prius Elbingæ vigebat, restitueretur, vtque illa sigillationis necessitas tolleretur, quam ob caussam valde cum Polonis altercatus est, cùm dicerent, se in præsens, istud priuilegium Dantiscanum abolere non posse, quod lege Comitiali latum erat, opusque esse vt Comitia antea conuocarentur, quàm id emendari posset: tandem vt illi vtcunque satisfacerent, promiserunt, se de ea re postulaturos in proximis Comitiis.

Cùm vniuersos illos articulos ad finem vsque percurrerunt ac discusserunt Legati cum Polonis, transierunt ad tentorium Suecorum, vbi breuiter illis proposuerunt, quænam fuerant Polonorum obiectiones. Armistitium prolatum ad tres dies. Rediimus Mariæburgum. Dedit Illustriss. Legatus Brandeburgicis ingentem fasciculum litterarum ad Baronem *de Rhorte*. Scripsit item ipse ad Electorem, & ad Cancellarium Oxenstiernam, à quibus litteras acceperat.

II. Septembris, quæ Dominica fuit, à prandio Legati per sex, aut ampliùs horas, in castro apud Suecos, articulos induciarum discusserunt, interim ex Legati iussu, ad cubiculum me recepi, vt scriberem.

III. Redierunt omnes ad Stumsdorffium, remansi ego Mariæburgi.

IV. V. VI. & VII. Remansit Illustr. Legatus Stumsdorffii, ad discutiendos omnes articulos,

& per hos dies, vt negotium conficerent Commissarii Sueci, Stumæ; Poloni Neudorffii, ipse Cancellarius Polonicus, & Palatinus Belzensis sub tentoriis dormierunt.

Interea oborta est non leuis difficultas, propter occupatum quoddam Castellum à Polonis in Liuonia, quod illi retinere volebant, eo quod armistitium in Liuonia, per hos dies, non innotuerat: At futilis iste prætextus vniuersis Legatis visus est, qui etiam illud castrum reddi debere arbitrati sunt. De illa re tamen ad Regem referre Commissarii Poloni voluerunt. Itaque interim Commissarii Sueci Legatique omnes Marienburgum rediere, die septima de multa nocte.

VIII. Propter festum Natiuitatis B. Virginis sacris adfuimus, indeque Illustris. in Castrum iuit, inuisitque Generalem ac aliquos è Commissariis, qui post prandium illum reuiserunt. Confirmauit nuntium de Galassi profligatione ac morte Cancellarius Oxenstierna, litteris, quas ad Generalem scripserat, Magdeburgo datis. Itemque nuntius aduenit de expugnatione Francofurti ad Mœnum, à Suecis facta.

IX. Quæ Dominica fuit, post Missam, ad Stumsdorffium omnes redierunt, & cum Poloni declarassent, se difficultatem illam, de castelli Liuonici occupatione, Legatorum arbitrio permittere, pax est conclusa, in proximum diem subsignanda. Scripsit statim ad Regem Illustris. noster Legatus, qui quidem Rex Dantisci erat, illique hunc tam bonum nuntium per Oecono-

mum ſuum miſit. Scripſit item ad Generalem *de la Garde*, vt idem illi ſignificaret, ac poſtularet, vt nauem Regiam quæ in portu Gedanenſi à multis diebus diſtinebatur, liberaret, vti Commiſſarii Sueci pridem promiſerant, id eo die ſtatim factum iri, cùm pax concluderetur.

X. Articuli pacis in ordinem à Commiſſariis hinc inde, atque à Legato noſtro, qui ſolus hunc ſiue laborem, ſiue honorem ſuſcepit, redacti ſunt; ac per hunc diem de prærogatiua Legatorum acriter ac ſtudioſè à Commiſſariis diſceptatum eſt, cùm Legatus Galliæ præferri, Angliæ æquari cuperet. Eadem ferè inter Electorales & Hollandos æmulatio, quorum tamen maior paritas credebatur, niſi quod nonnullis, Electorales præſtare videbantur.

Certè hanc tam grauem quæſtionem, pro ſua dignitate tractare, longioris eſſet otii, quod tamen aliquando, ſiue meâ, ſiue aliorum qui huiuſmodi negotiis deputabuntur, gratiâ facere conabor. Dicam hîc modò Illuſtriſſimum Galliæ Legatum Chriſtianiſſimi Regis prærogatiuã aſſeruiſſe, tribus validiſſimis rationibus, quibus reſiſti, niſi cum ſumma pertinacia non poterat. Prima quidem à iure, ſecunda à poſſeſſione, tertia ab exemplo. Ius iſtud ſumi poteſt, tam ab antiquitate, quàm magnitudine ac potentia regni, ab auctoritate Eccleſiæ, ſummorumque Pontificum, qui hunc Regib. Chriſtianis, quaſi filiis ſuis ordinem aſſignauerunt, à longâ Regum Gallorum ſerie, à lege Salica, aliiſque infinitis, quæ apud ſcriptores ſunt, rationibus. Secunda ra-

tio, quâ nitebatur Legatus noster, erat possessio recens & vetus, quòd in Conciliis antiquis, quod in constituendis Belgii nuperis Induciis, Legati Galliæ Anglos præcesserint; quod denique ipse Legatus Claudius Memmius, Venetiis Anglicum Legatum semper præcesserat. Tertia ratio ab exemplo, erat in promptu; nimirum, quod in induciis sexennalibus, quæ mediatione eorumdem Regum sancitæ fuerant, ante sex annos, Hercules *de Charnacé*, Leg. Galliæ, N. *Roë*, Legatum Angliæ præcesserat. Si his rationibus quæ ad Regem Christianissimum pertinent, aliquid addi posset, allegabat Memmius suos priuatim labores, tamque vtiliter collocatam operam.

Aduersus istas rationes, nihil afferebat Legatus Angliæ, nisi quod dicebat, omnes Reges pares esse, ac si quæ Gallis honoris, ac ordinis prærogatiua tributa erat, id à Pontificibus Romanis proficiscebatur, quorum auctoritati Anglia pridem renuntiauerat. Quod ad exemplum attinet, eius quod, in sexen. induciis, factum fuerat, dicebat, eam ob rem fuisse, quod prior Charnacæus, Legatus Galliæ, in Prussiam aduenerat. Se vtique qui prior aduenisset, eodem priuilegio gaudere debere, saltem apud Polonos; non impedire, quin in instrumento Suecorum, quorum Regnum Legatus Galliæ adierat, priore loco scriberetur.

Quod ad Electorales & Hollandos attinebat, difficilior erat illorum controuersia, quippe tam recens Resp. non admodum antiquis rationibus

aut exemplis vti poterat, quibus se Electoribus æqualem ferre posset. Certè, qui toto tractatus tempore, summa cum æmulatione, Legati Gallici lateri adhæserant, præsserantque se, vt illû priores comitarentur; cùmque ipse vtrosque summâ suâ comitate deuinxisset, ac præsertim iura Serenissimi Electoris, studiosissimè contra Suecos defendisset, ad neutros tunc, in hac honoris contentione, inclinare voluit. Itaque ambo se ab illo relinqui indignati sunt, hæcque illi, pro sua æquitate ac studio, fuit repensa merces. Cæterùm Hollandi Remp. suam Venetæ comparant, quæ proximum à Regibus honorem obtinere dicitur. At istud negant Electores, & tametsi Reip. Venetæ tribueretur, non vtique Hollandicæ tribui debere, cui sententiæ non inuitus accederem. In hac contentione Eurebecquius, Serenissimi Electoris Secretarius ac Legatus, non mediocrem operam ac industriam exhibuit, quatuorque Linguarum, quas præter cæteras perfectissimè callet, machinis, Polon. Germ. Gallicæ ac Latinæ, honorem Principis sui promouere nisus est. Quid autem in hac tanta re effectum sit, scribam postea.

XI. Vti & præcedenti die ac etiam sequenti Missam, in Cancellarii tentorio audiuimus, ac toto mane actum est de Legatorum prærogatiua, cùm se in omnibus Legatus Galliæ superiorem esse, Legatus Angliæ in aliquibus tantùm, pati vellet, in reliquis se restiturum profiteretur: namque iste (quod notandum est) ad superioritatem, neque prætendit, neque sperauit vn-

quam: ad paritatem solummodo aspirauit, idque verbo tenus, nam quotidie Gallicus aliquos præcedentiæ actus faciebat, quorum hîc meminisse non incongruum erit.

Primò, 21. Maii die, cùm in Arce Mariæbur. omnes Legati simul conuenissent, vt deliberarent inter se, de propositionibus faciendis inter partes, Legatus Galliæ prior sedem suam elegit, quod quidem temerè factum non fuit, sed id præcisè stipulatus est Gallus, antequam iret, cùm superiore die, Gordonus, Agens Regis Angliæ, Legatum Gallicum adiisset, cum eoque prolixè de Regum ac Legatorum prærogatiua, disseruisset. Deinde Legati Hollandiæ, quibus in sua domo Electorales ex humanitate decedebant, in hoc congressu Legato Gallico adhæserunt assederuntque, cùm Electorales Anglico, qui in sinistra parte erat, assedissent. Præterea deliberationem ibi factam scriptamque Legatus Galliæ recepit, exemplaque aliis Legatis describi curauit.

Secundò, in tentoriis semper prior locutus est ac proposuit conclusitque, & cùm se diuiderent Legati, vt duo ad Polonos, duo ad Suecos transirent, eligebat ille, comiter tamen, quos adiri mallet, aliisque legatis fere designabat, quid dicerent.

Tertiò, Initio tractatus ac ferme per duos menses, Legato Gallico Hollandi adhæserunt, nec passi sunt, vt illum Electorales comitarentur; factum est deinde propter æmulationem, quæ inter illos creuit, vt Hollandi voluerint

Electorales ab ordine, & nomine Mediatorum excludere, cùm dicerent, eos inter partes litigantes censeri debere, quæ res cùm Electorales valde offendisset, ordinem suum quem hactenus dissimulauerant, recuperare voluerunt, ac tum dumum Princeps Sigismundus, qui antea solus in tentorio communi manebat, dum sui Consiliarii, & Assessores Legatum Anglię comitarentur, voluit & ipse seriò, & in propria persona Mediatorium munus obire, exindeque semper cum suis collegatis Gallico Legato, vsq; ad finem tractatus adhæsit, ita vt Hollandi, non sine querimonia, Anglico se adiungere coacti sint.

Quartò Thorunii, Graudenti & in Castris, cùm Legati simul Regem adierunt, priorem Gallum accersiuit Rex, rhedamque suam ad illum misit, eandemque deinde ad Anglicum. Circumstantibus Regem omnibus Palatinis, Gallicus Leg. à dextra Regis semper stetit, ac post illum Anglicus, deinde Princeps Sigism. & cùm omnes simul ad ianuam cubiculi Regii adessent, Leg. Gall. præsentibus ac sequentibus cæteris prior semper ingressus est, prior vtique ac cæterorum nomine locutus.

Quintò, cùm ampliori sermone, coram Rege Commissariisque Polon. loqueretur Rochus *Honnert*, Senior ac Sapientior Legatorum Hollandiæ, prioremque, inter differendum, Regem Angliæ nominasset, ac deinde Regem Galliæ, statim se ipse correxit his verbis, *Quem priorem* (inquit) *nominare debui*; quæ vox ab omnibus

notata, & in veritatis testimonium accepta est, ipso præsente Anglico Legato, nec refragante.

Sextò, per decem & amplius sessiones, in territorio Polonorum factas, sub finem tractatus (nam apud Suecos non sedebatur) Leg. Galliæ semper sedit prior, hoc est, immediatè prope Cancell. Polonicum: nolebat tamen Anglicus immediatè post Gallum sedere, sed rogabat Principem Sigismundum, vt secundus esset, ac deinde Anglus tertius sedebat, & donec Gallus aduenisset, nullus sedebat.

Septimò, in domo Legati Gallici, pluries colloquia conuentusque facti sunt ab omnibus Legatis ipsoque Anglo, at in illius domo nullus omnino.

Octauò, litteræ tam à Commissariis Polonis quàm Suecis, atque ab Electoralibus missæ, semper ad Legatum Galliæ directæ sunt, quas cùm ille legerat, ad alios perlegendas mittebat, rescribebatque.

Nonò, cùm 9. die Iulii, in villam, quæ inter Risemburgum & Marianam Insulam sita est, omnes Legati conuenissent, essentque simul in eodem atrio, aduenerunt tandem Commissarii Poloni, quibus ingredientibus, prior obuius ire Legatus Angliæ non ausus, nutu Gallum ad id impulit ac penè hortatus est; cuius rei tam ipsi Poloni quàm alii Legati testimonium perhibere possunt.

Decimò, cum in territorio communi, de negotio inter Spiringium ac Dantiscanos ageretur, iusserunt Legati, vt Dantiscani vocarentur, qui

cùm Legatum Galliæ priore loco salutassent; Ipse Legatus Angliæ Gallum admonuit, vt eos interrogaret, quod statim fecit, legitque, vt & semper aliàs, Præsidem ac Mediatorii Senatus Principem.

Vndecimò, dicendum est cum Cicerone; *Consensus omnium gentium vox naturæ.* Vniuersi Poloni, vniuersique Sueci consenserunt, hanc prærogatiuam ad Regem Galliæ pertinere, hoc esse in vsu, hoc ex historia constare; suamque esse sententiam, at nolle se tamen, in re tanti momenti, pronuntiare.

Verum quidem est, Ioannem Oxenstiernam adolescentem viginti quatuor minùs annorum, filium Cancellarii Sueci, vnumque è Commissariis, solere dicere, inter conuiuandum, *nullum inter Reges esse discrimen; omnesque pares esse*; quod, meo quidem iudicio, tam temere, suâ nimirum imperitâ iuuentute fretus, dicebat, quàm sapienter Solon suâ senectute nitebatur, cùm aliquid audacius proponeret. Cui quidem adolescenti, cùm nonnulli in Patris gratiam consentirent, hos etiam rumores spargebant, ita vt ad Legatum Angliæ, perferrentur. Ego certè, cùm dictum Oxenstiernam priuatim alloquerer, confessus est mihi, se à Patre accepisse, in superioribus induciis sanciendis, eandem difficultatem agitatam fuisse, cumque de illa conciliandа sæpe Commissarii, vtrinque egissent inter se, agnouisse vtrosque Regem Galliæ, in ea possessione esse, ac in Cancellariis Sueciæ ac Poloniæ, Galliam ante alia regna, nominatam esse at-

que prælatam. Cur ergo, inquam, veritatem quam scitis, liberè non profertis? cur tam strenui in bello, in consiliis estis tam timidi? Tum ille, si ipsi, inquit, Reges Poloniæ ac Sueciæ coram hîc adessent, hanc tantam controuersiam diiudicare metuerent, quomodo vultis vt nos Commissarii, qui Regibus comparandi non sumus, illam disceptare audeamus? At non vos Iudices aut Legislatores hac in re esse volumus, inquam, dicite tantum ac pronuntiate, quid mens vestra sentiat, quid à maioribus, quid à libris, quid ab ipsa fama, & gentium consensu accepistis. Respondit tandem mihi ille, se suosque Collegas, effecisse apud Legatum Angliæ, vt Gallum priorem in præfationibus pactorum nominari sineret, dummodo à nullo Legatorum pacta signarentur.

Existimauerim profectò, Legatum nostrum, quà industria, quà animis, quà improbo labore consecuturum fuisse omnia quæ vellet, nisi Electoralium ac Hollandorum, qui itidem inter se de honore pugnabant, controuersia superuenisset.

Ista die post meridiem, Generales vtriusque exercitus Stumsdorffium conuenerunt. Aduenit prior Generalis Suecus, quem statim noster Legatus salutatum iuit in tentorium; aduenit deinde Polonus multo maiore numero atque pompa, nam vestes Polonæ admodum splendidæ sunt. Equos Turcicos splendidissimis ac ditissimis habenis ephippiisque instructos adduxerunt, erant quippe plusquam triginta, quo-

rum ornamenta, lapillis Turcicis ingentibus, vndique confertimque sparsa erant, ad miraculum ac stuporem omnium nostrum. Hunc item Generalem Legatus noster prior inuisit. Generalis Suecus qui primus aduenerat, Thuronem Oxenstiernam ex sorore nepotem, paruumque Vrangelium ad Polonum salutandum misit. Statimque Polonus filium suum quatuordecim annorum, ad Suecum, magnâ stipante cateruâ, misit.

Paulò post, vterque generalis cũ Cõmissariis in loco medio se salutauerunt, ducente Polonos Gallico Legato cum Principe Sigismundo & Electoralibus, Suecos verò ducente Anglico cum Hollandis, qui deinde seorsim à Legatis, in commune tentorium ingressi sunt ac collocuti, tam de suis rebus, quàm de Legatorum prærogatiua.

XII. Tandem Septembris illuxit dies, quæ laboribus nostris finem imponere debuit. Profectò, cùm omnes Legati, ob suam æmulationem, animo essent alienissimo, videbatur rem conuenire non posse, stringendosque enses; recordabantur plerique, ominosi Colubri, qui 27. Augusti, quo die tumultus factus est, ad tentorium Mediatorum adrepit, ibique à militibus cæsus; quasi diuersarum partium venenum atque odium, in Mediatores ipsos deriuari debuisset. Legatus Angliæ qui Mariæburgo veniebat, permultos Anglos & Scotos ex Suecicis cohortibus adduxerat, aliosque ex exercitu Polonico: Nobis vtique plurimi Galli Præfecti, ex eodem

exercitu Polon. opitulatum venerant, quos N. *la Tour*, vir animosus, quem per hos dies Rex Christianiss. ad Legatum miserat, euocauerat. At hi Præfecti, non incongruo stratagemate, prouiderant, vt sui milites satellitio Commiss. Polonorum deputarentur, quod ab ipsis Polonis ignorabatur. Cæterùm, in summa anxietate, vtrimque erant Commissarii. Factum tandem est, circa meridiem, vt, cùm ante januam Anglici Legati Gallus transiret, subitò ingressus sit, Anglumque cum suis Præfectis deprehenderit, à quo cùm exceptus comiter fuisset, atque ad prandium inuitatus, nullâ deliberatione remansit ibi solus Legatus noster, nosque omnes remisit, remotisque arbitris, soli illi duo controuersiam suam diremerunt, consensumque est ab Anglo, dummodo non subsignarentur à Legatis Pacta, consentire se, vti Rex Galliæ in præfationibus vtriusque Partis, prior nominaretur. Huic consensui facillimum nostro fuit se accommodare, quippe qui habebat in mandatis siue instructione, ne se remitteret, præter ea quæ Charnacæus fecerat, in superioribus Induciis paciscendis. At enim Charnacæus prior nominatus fuerat, nec subsignauerat, neque etiam Anglicus. Cùm ergo Memmius noster certus esset, se priore loco in vtroque Instrumento nominatum, acquieuit; qua quidem in re superior fuit multò quàm Charnacæus, qui prior quàm Anglus, in Poloniam aduenerat: Memmius verò postremus aduenerat, quatuor mensibus post Georgium Duglassium, Angliæ Legatum.

In hac summa, & quæ Principes summè afficit, honoris contentione, fatendum est, Palatinum Belzensem, eiusque filios, & præsertim majorem natu, fidelissimam ac studiosissimam nobis operam præstitisse, quippe iste omnibus consultationibus intererat, & quæcumque gerebantur, obseruabat, referebatque mihi vel Auaugurio, si Legatum adire non posset. Ex illius dialectica desumptum fuit non leve argumentum, quod ad Legatum nostrum detuli. Nimirum, quod à Colonello *Gomme*, Anglo, acceperat, in instructione Legati Anglici caueri, vt paritatem cum Gallo seruare niteretur, difficultatem tamen Tractatui nociuam, hac in parte, non faceret. Ergo (inquiebat Palatinides) impune ab hac paritate, saltem in aliquo, Legatus Angliæ desistere potest. At verò in Legati Gallici instructione cautum est, sub pœna capitis, vt Regis sui prærogatiuam seruet, saltem, ne remittat quicquam ab iis quæ Charnacæus obtinuit, congruum est itaque, vt, post tam multas contentiones, Legatus Angliæ Gallicum sibi præferri patiatur.

At tametsi Legato Galliæ, per præfationes satisfactum esset, semper tamen vrgebat, se etiam subscribere velle. Verumtamen Cancellarius Poloniæ professus est, se cum Suecis consensurum, vt sine præfatione Pacta scriberentur, nisi Legati conquiescerent. At, cùm idemtidem instaret Legatus Galliæ, seque rem totam turbaturum assereret, nisi sibi plenè satisfieret; polliciti sunt illi Commissarii Poloni, vt coram ipso

Rege

Rege ac Palatinis assistentibus subscriberet. Cùm adhuc dubitaret: Nunquid pluris, inquiunt illi, præsentiam nostri Regis, quã nostram facis? acquieuit. Sic ergo res transacta, vt in communi tentorio præsentibus Commissariis ac Legatis articuli lecti sint, & cùm recessissent Legati, à Partibus subsignati. Sic autem se habet;

VERA,
&
EX AVTHENTICO DESCRIPTA
FORMVLA
PVBLICORVM PACTORVM,
DE
INDVCIIS
VIGINTI SEX ANNORVM;
Inter
REGNA
POLONIÆ
&
SVECIÆ
SANCITIS.

NOS *Serenissimi, ac Potentissimi Principis, ac Domini, Domini VLADISLAI IV. Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, &c. &c. &c. atque inclytæ Reipub. Polonæ*

Commissarii, Iacobus Zadzick Episcopus Culmensis, & Pomesaniæ, Nominatus Cracouiensis, Dux Seueriensis, Generalis Præpositus Miechouiensis, Supremus Regni Poloniæ Cancellarius : Raphael Comes de Lesno, Palatinus Belzensis, Rubiessouiensis Præfectus: Magnus Ernestus Doenhoff, Castellanus Pernauiensis, Derpatensis, Oberpoliensis Præfectus : Remigius de Otok Zaleski, Referendarius Regni : Iacobus à Sobiezin, Sobieski, Incisor Regni, Crasnostauiensis, Ianorouiensis Præfectus, notum testatumque facimus Vniuersis, quorum interest, quod cum Induciæ sexennales inter Serenissimos, ac Potentissimos Reges, ac Regna Poloniæ, & Sueciæ, eo inter alia fine, Anno M. DC. XXIX. sancitæ essent, vt interea vel de Pace perpetua, vel Induciis longioribus, interueniente mediatione Serenissimorum, ac Potentissimorum Galliæ, & Angliæ Regum, aliorumque Principum, loco & tempore, de quibus per Serenissimum Electorem Brandenburgicum, &c. Vnum ex iisdem Mediatoribus, inter partes conuentum esset, ageretur: Inde postquam à Sua Serenitate per eiusdem Legatos, Illustrissimum Principem Sigismundum Marchionem Brandenburgicum, & Illustres ac Magnificos Andream à Kreutzen, Consiliarium Ducalis Prussiæ Regentem, & Præfectum Prouincialem; Ioannem Georgium à Sauken, Consiliarium Regentem, & Cancellarium : Bernhardum à Konigseck, Consiliarium Prouincialem; Georgium à Rauken, Consiliarium Iudicii Aulici, & Petrum Bergkmannum, Consiliarium secretioris Consilii, inuitati Stumsdorffium, cum Illustrissimis Serenissimæ Re-

gina, Regnique Sueciæ Commissariis, Domino Petro Brahe, Comite in Visinsburg, Libero Barone in Rydholm, & Lindholm, Regni Sueciæ Senatore, Legifero Vestmanniæ, Montanorum, & Dalecarlorum; Hermanno Vvrangelio, Regni Sueciæ Senatore, & Exercituum Campi Mareschallo, hæreditario in Lergeholm, Skocloster, Equite Aurato; Achatio Axelii, Regni Sueciæ Senatore, & Legifero Nericiæ, hæreditario in Coxholm, &c. Ioanne Oxenstierna Axelii, Serenissimæ Reginæ Consiliario secretiore, Libero Barone in Kimitho, Domino in Fiholm, & Tideon, &c. & Ioanne Nicodemi, Serenissimæ Reginæ Secretario, & ad Exercitum Prussicum Commissario Generali, conuenissemus, ac interuentu inprimis Serenissimi & Potentissimi Principis & Domini, Domini LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi, per Illustrissimum Dominum Claudium de Mesmes, *Equitem Auratum, Dominum* d'Auaux, *Comitem Consistorianum, & Suæ Regiæ Maiest: per Septentrionem extraordinarium Legatum: ac Serenissimi & Potentissimi Principis, & Domini, Domini* C*AROLI, Magnæ Britanniæ, &c. Regis, Fidei Defensoris, per Illustrissimum Dominum Georgium Douglasium, Equitem Auratum,* S. *R. M. Legatum: nec non* Cel*sorum ac Præpotentium DD. Ordinum Belgii, per Illustres & Magnificos Legatos, Dominos Rochum Van den Honaert, Primarium in Suprema Hollandiæ, Zelandiæ, Vvestfrisiæque* Curiæ *Consiliarium; Andream Bicker,* Con*sulem* Ciuitatis *Ambstelrodamensis, & Ioachimum Andreæ, in suprema Frisiæ* Curia *Consi-*

liarium, pacis Tractatum auspicati essemus, ac diu, multumque agitassemus, eò tandem, diuino Numine fauente, prædictisque Illustrissimis Legatis indefessam operam huic negotio impendentibus, rem deduximus, vt cum prememorata Serenissima Regina, Regnique Sueciæ Commissariis de Induciis ad modum sequentem conuenerimus, statuerimus & concluserimus.

I. SInt Induciæ ex hoc die inter Serenissimum Principem & Dominum, Dominum VLADISLAVM IV. Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. &c. &c. Dominum nostrũ Clementissimum, Suæ Regiæ Maiestatis Successores, Reges Poloniæ, Magnos Duces Lithuaniæ, Regnumq; Poloniæ, & Magnũ Ducatũ Lithuaniæ, ex vna; & inter Serenissimam Principem & Dominam, Dominam CHRISTINAM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designatam Reginam, Magnam Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. S. R. M. Successores, Reges Suecorum, Regnumque Sueciæ, & Magnum Ducatum Finlandiæ, ex altera parte, annis sequentibus viginti sex, à data præsentium computando, vsque ad primam Iulii, stylo veteri, Anno M. DC. LXI.

II. Sit omnium vtrinque ante actorum amnestia. Inprimis Sacra Regia Maiestas, Eiusque Successores, Reges, Regnumque Poloniæ, & Magnus Ducatus Lithuaniæ abstineant durantibus Induciis omni hostilitate aduersus Reginam, Regnumque Suecorum, eisque mediatè, vel immediatè subiectas Prouincias, Castra, Ci-

uitates ac Territoria; neque quicquam per se, vel per alios moliantur, aut tentent, tentarive faciant in horum detrimentum, aut præiudiciũ. Ad eundem modum Serenissima Regina, Eiusque Successores, Reges, Regnumque Sueciæ abstineant durantibus Induciis omni hostilitate, aduersus S. R. Maiestatem, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, eisque mediatè vel immediatè subiectas Prouincias, Castra, Ciuitates, ac Territoria, neque quicquam per se; vel per alios moliantur, aut tentent, tentarive faciant in horum detrimentum, aut præiudicium.

III. Sacræ Regiæ Maiestati, ac Reipub. Polonæ, Serenissima Regina, Regnumque Sueciæ reddat eam partem Prussiæ, quam hactenus occupatam possidet: Ita tamen, vt Pillauia Electori Brandenburgico, Duci in Prussia, immediatè restituatur, possidenda eodem iure, quod ante hoc bellum habuit.

IV. In restituendis verò locis hoc obseruetur, vt exhibita Commissariis Suecicis S. R. Maiestatis ratificatione, nec non interposita cautione Senatorum, & Commissariorum Polonicorum, lege Comitiali, ad latus Regis à Repub. delegatorum, de tradenda primo quoque tempore Reipub. ratificatione, Mariæburgum, cum Insula maiori, Stuma, Brunsberga, ac Tolkemito, cum eorum Territoriis, deductis præsidiis, reddantur in manus Commissariorum Serenissimi Regis ac Regni Poloniæ: Hauptium verò, & Iunckertreil, præsentibus vtriusque partis

deputatis solo æquentur, suis cuique fundis, & bonis relictis: Et Exercitus vtrinque abducantur intra id tempus, eoque modo & ordine, quo inter Generales vtriusque partis conuenerit. Elbingam verò, cum pristino eius Territorio, atq; Insula minori, ac munimentis ibi extructis; nec non Pillauiam, cum ea parte Neringiæ, quæ eo spectat, retineat Serenissima Regina, Regnumque Sueciæ, donec ratificatio Reip. Polonæ subsecuta fuerit: qua tradita, illa quoque loca intra dies quatuordecim, deductis sine damno Incolarum præsidiis restituat, hoc obseruato, vt fortalitia omnia, Elbingæ extructa, relinquantur eo in statu, in quo nunc sunt, & eadem custodia, vt ante hoc bellum.

V. Post restitutionem locorum omnium, vectigalia in eum mox reducantur statum, & in illud ius, in quo erant ante hoc bellum, seruata in omnibus æqualitate, vbi antea fuit.

VI. In Liuonia vtraque pars, vti præteritis sexennalibus Induciis possedit, ita hisce quoque possideat.

VII. Sacra Regia Maiestas ac Respub. Polona, receptas in fidem suam Ciuitates, ac Territoria, Eorumque Magistratus, Communitates, Ciues, Incolas, & Subditos vniuersos, omni meliori modo indemnes præstet, ac eadem, qua olim, clementia & gratia prosequatur, foueat, ac tueatur: Gaudeantque vniuersi & singuli possessionibus, Iuribus, Priuilegiis, Consuetudinibusque suis, tam generalibus accommunibus, quàm specialibus, sine exceptione, quibus

ante hoc bellum gauisi sunt Præsertim verò Ciuitas Elbingensis in vsu Sigilli Terrarum Prussiæ, & consueto sessionis loco conseruetur, postquam debitum Suæ R Maiestati Iuramentum fidelitatis præstiterit. Saluo manente libero in locis restitutis, vti ante viguit, Euangelicæ Religionis exercitio. Manente quoque libero Catholicæ Religionis exercitio, in templo præsertim Parochiali veteris Ciuitatis Elbingensis, vti ante bellum.

VIII. Cunctæ actiones aduersus illos, qui partes Serenissimorum Regum, ac Reginæ Sueciæ quocunque modo secuti sunt, aut secuti esse insimulantur; cuiuscunque sint status, & ordinis, siue priuati vixerint, vel officio publico functi, ac seruitiis Regum, Regnique Sueciæ obstricti fuerint, vel instituendæ, vel institutæ, cessent; Et si quæ intentatæ sint, tollantur, omnique careant executione in perpetuum. Nec quisquam de iis, quæ belli, Induciarumve tempore, & occasione eiusdem belli, vel Induciarũ intercesserint, cuiquam respondere teneatur. Et si quid in contrarium susceptum, factumve est; aut rescriptum, vel decretum aliquod in absentia partis obtentum, id omne sit irritum, nulliusque valoris.

IX. Si cui, aut quibus non placuerit in restitutis Ciuitatibus aut Territoriis manere, sed potius mutato domicilio, ad alios se conferre, liberum sit, in spatio trium annorum, à data præsentium numerando, sua diuendere, aliis elocare, aut pro suo lubitu distrahere, sine vllo im-

pedimento, aut onere sub quocunque prætextu imponendo, saluis antiquis Ciuitatum iuribus, ac consuetudinibus.

X. Si qui Exulum, qui extra Sueciã apud Polonos versantur, & partes Serenissimorũ Regum Poloniæ secuti sunt, in patriam redire, quacunq; de causa voluerint, saluum quærant cõductum: quo impetrato, fruantur beneficio legum, & statutorum Regni Sueciæ.

XI. Acta, Iudicata, & Decreta, cuiuscunque fuerint Instantiæ, vel Iudicii, Inscriptiones, Contractus, Transactiones, aliaque omnia, (quæ statui publico, vti is fuit ante bellum, non derogant, vel hisce pactis per expressum non sunt reseruata,) belli vel Induciarum tempore, siue Magistratuum autoritate, & iudicialiter, siue extraiudicialiter gesta, firmum robur obtineant, æquè ac si priore rerum statu omnia acta fuissent, nec vlla vnquam Regiminis, & Magistratuum mutatio interuenisset.

XII. In locis quocunque tempore iuxta pacta præsentia restituendis relinquantur bonâ fide omnia mobilia Ecclesiarum, quæ in præsens reperiuntur, vti sunt vasa ac vestes sacræ, campanæ, aliaque ad vsum Ecclesiasticum seruientia: tum libri Cancellariæ, Priuilegia, & acta publica. Si quæ tamen temporum iniuriâ à milite sunt direpta, aut aliorum negligentiâ corrupta, vlterior in id inquisitio non instituatur, nec quisquam ad restitutionem teneatur. Tormenta item bellica & Bombardæ maiores, quæ tempore occupationis inuentæ fuerunt, & ad-

huc in restituendis Ciuitatibus vel locis sunt, relinquantur.

XIII. De iis, quæ durante bello, iure fisci cuiquam adempta, & vel fisco illata, vel aliis donata sunt, ita conuenit, vt immobilia, siue Regis & Reipub. siue etiam priuatorum sint bona, quorum donationes vtrinque factæ sunt, si donatariis iam tradita sint, antiquis possessoribus restituantur: Si verò nondum tradita, maneant penes Dominos; cessantibus de cætero omnibus quæstionibus, actionibusque ratione redituum, siue ex publicis, siue priuatis bonis perceptorum. Mobilium etiam donationes & largitiones vtrinque factæ, si ante has Inducias executioni non fuerint demandatæ, irritæ sint, traditæ verò, possessoribus modernis relinquantur. Cessantibus quoque eorum nomine omnibus actionibus, irritisque obligationibus, quibus apochæ authenticæ, siue à Regum locum-tenentibus, siue ab Officialibus Camerarum Regiarum, siue etiam ab ipsis donatariis, sine fraude datæ, dummodo de iisdem donationibus per authenticum instrumentum constet, solutionis factæ opponi possunt.

XIV. Commercia pristina inter vtrumque Regnum, & Prouincias subiectas restituantur, & in veteri exercitio conseruentur, redeantque omnia in eum statum, in quo ante hoc bellum fuerunt, ab omnibus nouitatibus, oneribusque hoc bello inductis, vindicata.

XV. Defluitatio mercium ex Mag. Duc. Lithuaniæ, nulla ratione in flumine Duna impe-

diatur, sitque ea in dicto flumine vectigalium ratio imposterum, quæ fuit ante hoc bellum.

XVI. Subditi fugitiui Mag. Ducatus Lithu; & Duc: Curlandiæ, quicunque in Liuonia reperti fuerint, suis Dominis reddantur, quod vice versa de subditis fugitiuis ex Liuonia in Mag: Ducat: Lithuaniæ, & Ducat: Curlandiæ fieri debet.

XVII. Exercitus omnes, exceptis præsidiariis, tempore supra definito ab vtraque parte ex Prouincia deducantur, & quidem Suecicus per mare. Si tamen Equitatui intra assignati temporis spatium traiiciendo nauium copia non suppetierit, liber illi & innoxius transitus, quàm breuissimo itinere, per terram in ditiones ipsorum, sine damno Incolarum Regno Poloniæ mediatè, vel immediatè subiectorum, concedi debet. Quod itidem obseruetur, si aliqui pedites dicti Exercitus Suecici dimissi fuerint. Iustitia verò per Præfectos indilata bonâ fide administretur damnum & iniuriam passis.

XVIII. Iniurias tam personales, quàm reales, sub hasce Inducias incidentes vna pars de altera non vindicabit, salua Iurisdictione ordinària cuiusque partis, sed iustitia ab Officialibus & Magistratibus competenter requiratur, eademque indilata administretur: Seueræ pœnæ in violatores pacis, fide publicâ roboratæ, exerceantur, nullæque repressaliæ, aut arresta, tam terrâ, quàm mari, ratione cuiuscunque iniuriæ, nisi iustitia pluribus vicibus legitimè repetita non administretur, admittantur: & si quę

ante hoc bellum, siue etiam durante bello concessa sunt, cassentur, ita tamen, vt quibus concessa sunt, iustitia administretur.

XIX. Quod si quid grauius inciderit, quod violationem Pactorum concernere videretur, dentur vtrinque Commissarii, qui loco aliquo ad fines Liuoniæ assignando conueniant, & controuersias exortas sopiant, decidantque.

XX. Pro maiore securitate, & ne quicquam hisce pactis contrarium, durantibus Induciis, à quopiam cōmittatur, Ordines Regni Poloniæ, & Mag. Duc. Lith. promittant & fide iubeant, Regem Poloniæ & eius fratres, Eorumque Successores ac Posteros durantibus Induciis, ex Regno Poloniæ Magnoque Duc. Lith. & omnibus Eis subiectis Prouinciis, atque ditionibus, nihil molituros, multò minus hostile quicquam tentaturos, aduersus Serenissimam Reginam, eiusq; Successores, Reges Regnumque Sueciæ, Eisque subiectas Ditiones ac Prouincias, Ciuitates, Castra, Munimenta ac Territoria: & si quidquam tentauerint, id impedire, ac præuenire teneantur.

XXI. Sacra Regia Maiestas & Respub. Polona aduersus Serenifs. Reginam, eiusque Successores, Reges, Regnumque Sueciæ, subiectasque Ditiones ac Prouincias nullis nauibus vel classe maritima vtatur, vel aliis quibuscunque auxilio submittat, durantibus Induciis; Et Dux in Prussia, Dux Curlandiæ, & ex Statibus Prussiæ Regalis Ciuitates Maiores caueant, se non permissuros hostile quicquam ex portubus suis

Reginæ, Regnoque Sueciæ, subiectisque ditionibus, ac Prouinciis illatum iri directè vel indirectè.

XXII. Durantibus ac currentibus hisce Induciis agatur de pace perpetua, loco ac tempore, interuentúque Principum Mediatorum, de quibus inter Partes, curâ ac diligentiâ Illustris Ducis Curlandiæ conuenerit: Ita tamen, vt si tractatus pacis perpetuę semel, aut iterum non successerit, firmę nihilominus, & inuiolabiles maneant Induciæ, vsque ad exitum hisce pactis præfinitum.

XXIII. Si qui Regum, ac Principum Christianorum hisce pactis ex vtraque parte includi voluerint, sit ipsis eius facultas, modo se ad ista, intra quinque ab hinc menses declarauerint.

XXIV. Vt hisce pactis firmius insistatur, certóque constet, bona fide ea seruatum iri, hoc modo conuenit, vt redditis vtrinque procuratoriis Dominorum Commissariorum, pacta hæc manu, & Sigillo Eorundem roborentur, & inuicem tradantur. Tum vt Sacra R. Maiestas Poloniæ secundum præscriptam formulam eadem quantocius confirmet, & antequam vllius loci fiat restitutio, suam confirmationem tradat. Deinde, vt Serenissima Regina Sueciæ solenni instrumento, illa nomine suo, ac Regni Sueciæ, per subscriptionem Dominorum Regni Sueciæ Administratorum rata habeat: Et Respub. Polona eadem in Comitiis primo quoque tempore celebrandis, solenniter approbet, & confecto

instrumento ratificet. Quæ quidem Instrumenta solennia ad formulam præscriptam nulla voce, aut syllaba mutata, per vtriusque partis Commissarios deputatos, quanto citius poterit, ad limites Territoriales inter Elbingam & Mariæburgum, sine vlla mora, & excusatione reddi vtrinque ac recipi debebunt. Ad eundem modum Serenissimus Elector Brandenburgicus, Dux in Prussia, Dux Curlandiæ, & ex Ordinibus Regalis Prussiæ Ciuitates Maiores literas suas Reuersales, quibus securitati Serenissimæ Reginæ ac Regni Sueciæ cauebitur, ante restitutionem Elbingæ, & Pillauiæ tradant. Actum Stumsdorffii, die 12. Mensis Septemb. stylo nouo, Anno M. DC. XXXV.

Hos articulos die 14. eiusdem Mensis, in Castris ad Quidzinum, quo omnes Domini Mediatores, promouendæ Regiæ ratificationis causa, conuenerant, proximo à Dominis Commissariis loco subscripsit Christianissimi Regis Legatus, coram Sacra Regia Maiestate, & Dominis Commissariis ac Senatoribus Regni, ad latus Regis Comitiali autoritate præsentibus.

Eosdem verò, die & loco supradictis ratos habuit Sacra Regia Maiestas sequenti modo.

VLADISLAVS IV. *Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c.* Si-

gnificamus vniuersis quorum interest, dedisse Nos Commissarios nostros plenapotestate, ac mandatis instructos ad tractandum, interueniente mediatione Serenissimorum Galliæ, & Magnæ Britanniæ Regum, aliorumque Principum, de Pace, aut Induciis cum Serenissima Principe ac Domina Christina, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designata Regina, Magnu Principe Finlandiæ, &c. &c. &c. Consanguinea nostra, & Regno Sueciæ: Qui congressi cum Serenitatis eius, & Regni Sueciæ Commissariis sequentia pacta, vti verbotenus infra sunt expressa, & inserta, inierunt, statuerunt, & concluserunt.

Hic suprascripti articuli ordine fuerunt subscripti, & post finem eorum sequentia verba addita.

Nos itaque VLADISLAVS IV. *Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. Promittimus & recipimus nomine Nostro, Successorum nostrorum, & Reipublicæ Polonæ, Nos singula & vniuersa capita, pactis supra scriptis inserta, & comprehensa, bona & Regia fide, approbare, laudare, & ratihabere; sicut hisce approbamus, laudamus, & ratihabemus: Nec passuros à Nostratibus, aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem, ac certitudinem, hisce manu nostra subscripsimus, & Sigillo Regni nostri muniri iussimus. Datum in Castris ad Quidzinum, die 14. Septembris, stylo nouo, anno 1635.*

HOc pactorum exemplar ſcitu & permiſſu Senatus Ciuitatis Gedanenſis impreſſum eſt: Eique præ aliis omnibus, antea in hac Vrbe, ſine authoritate publica editis, fidem adhibendam eſſe, idem Senatus cenſet.

XIII. Cùm me ſummo mane, Mariæb. contuliſſem, inuiſi Legati nomine Generalem *de la Garde*, cui de hac honorifica pace gratulatus ſum. Comiter ille mihi reſpondit, interque res varias ac graues, quas Legato perferendas dabat, dolere ſe mihi dixit, quod filium non adduxiſſet in Boruſſiam, vt illum ad Generalem Poloniæ ſalutandum mittere potuiſſet, à cuius filio ſalutatus fuerat; at (inquit ille) filius meus illius filio doctior eſt, meliuſque Latinè loquitur, tametſi iunior etiam ſit; annui illi libens affectumque paternum, inter res grauiſſimas & alieniſſimas erumpentem, demiratus ſum. Idem ipſo die congreſſus Legato teſtatus fuerat, optaueratque magna mercede, filii ſui præſentiam emere potuiſſe, vt illum Generali Polonico viciſſim exhiberet, cuius quidem neq; comitatum maiorem, neque grandiores equos ac phaleras inuiderat, ſed tam celebrem educendi ac quaſi ventilandi filii ſui occaſionem.

XIV. Legati omnes, ad Caſtra Regis Poloniæ ſe contulerunt, ſeparatamque audientiam habuerunt. Italicè noſter Regem allocutus eſt,

summo circumstantium plausu. Tum verò effectum est, quòd Commissarii Poloni promiserant, nam exhibitos à Cancellario Pacis articulos, & præbita ab ipso Rege penna, Legatus noster subscripsit his verbis; *Claudius de Mesmes, Regis Christianissimi Legatus.* Erant adhuc in Castris omnes Legati, & Secretarius Hollandiæ in ipso Regis tentorio. Articulos etiam Suecorum Mariæburgi præsentibus Cõmissariis ac Generali, subscripsit. Inde Quidzinum, incõmodum atque infame nobis omnibus dormitorium, iuimus, quippe qui humi in exigua palea, ter aut quater sordidius, quã in vllo nosocomio ibi decubuimus, qui ferè semper mos fuit per hanc Legationem Polonicam.

XV. Priuatam audientiam à Rege habuit Legatus noster, ac deinde Regem comitatus est, qui exercitum suum rite instruxit atque lustrauit. Adfuit etiam Hermannus Vrangelius Campi Suecici Marschallus, qui aciem totam viginti millibus hominum constare arbitratus est. Equitum, quod etiam alibi me notare memini, quatuor sunt genera, Hussari, qui lanceas gerunt, qui pellibus Pantherinis supra ferrum amicti, alasque longas quibus hostium equos terreant, ferunt. Secundum genus Reutrorum, *Reistres*, qui sclopetos & ensem, armatique sunt toti. Tertium Cosaquorum, qui indusiis ferreis tecti sunt, sclopetosque ferunt, sagittas alii ac pharetras. Quartum genus est draconum, miseri illi sunt, quippe qui nullo thorace neque galea, nudum pectus inimico offerunt, infelicibus

etiam

etiam ac pusillis equis insident. At tres alii ordines generosos ac validos equos habent, præclaris ephippiis ac stragulis, quæ clunes integunt, instructos: nec duces modo atque præfecti huiusmodi equis vtuntur, sed promiscue etiam equites. Rex ipse humanissimo colloquio Legatum nostrum distinuit, perque omnes ordines duxit, & cùm ad castra in suum tentorium rediisset, inuitauit illum, vt animi gratia videret quendam Moscouiticum Legatum, à quo adiri debebat. Itaque quasi incognitus remansit ibi Legatus. Sedit Rex, tecto capite, Barbarumque hominem, tetrico quàm potuit ac seuero vultu, excepit. At iste longam chartam, qua sua instructio scripta erat, perlegit deditque postea Regi cum litteris sui Ducis, illique respondit Cancellarius, ac eùm exiisset, Rex ipse Legato nostro, quid locutus fuerat Moschus, comiter explicuit. Tria Moschi illi Legatorum genera mittunt: maiores quidem, ad quos moris est octingentos circiter equites obuiam mittere; mediocres, è quibus iste erat, ad quos quinquaginta mitti solent. Minimos deindè, quibus nulla vel exigua pompa fieri consueuit. Expostulatum iste venerat, quod in limitibus quidam magnates Poloni, vrbes, arces & pagos contra pacta ædificassent.

Eadem illa die, Rex Poloniæ, insignem ac magni pretii annulum, quem gerebat, digito detraxit Legatoque dedit, excusans de vilitate muneris, quod superiori die ad illum miserat. Baroni item Auaugurio elegantissimum, nec exigui

valoris munus dari iusserat. Mea me sors vtique in Poloniam comitata est, nam qui per infirmam Secretarii nostri valetudinem, munus illius egeram, assiduamque præter morem meum measque vires operam, huic negotio impenderam, qui periculis omnibus interfueram, ne gratiarum quidem actione à quoquam honestatus fui. Anglici quoque ac Hollandici Legati

Plorauere suis non respondere fauorem
Speratum meritis.

Istis quippe singulis peluis argentea cum guttulo data est. Anglus suum pridem in diæta munus satis mediocre acceperat. Secretarius verò vtrisque, qui assidui vbique fuerant, quorum de pugillaribus nullum, vel temerè prolatum verbum exciderat, nihil neque præstitum, neque oblatum. Quid, si etiam, ex illa consueta terrestri dormitione, podagram in seros annos contraxerimus? Apage sis mihi deinceps Sarmatia atque Borussia.

XVI. A Palatino Russiæ ad prandium Legatus fuit inuitatus, in tentorio magnificentissimo, cuius materia licet ex auro puro ac serico constaret, vilis erat profectò, in comparationem artis atque operis. Persicum opus id erat, floresque ac animalia, villoso illo more, qui in Turcicis tapetibus conspicitur, affabre facti erant ad miraculum vsque. Lautum fuit amplumque istud conuiuium, sed multò etiam magis lætum atque hilare. Aderant Palat. Belzensis, Lipskius, futurus Culmensis Episcopus, Abbas *de Gnienos*, Comes *Ostrorot*, Sobieskius, Ozoliuskius, duo filii

Palat. Belzensis; filius ac nepos ex fratre Palatini Russiæ, quatuorque alii primariæ nobilitatis; nosque omnes è comitatu Illustrissimi Legati. Præstantius quod appositum fuit ferculum, ex Alce fuit, quam *magnam Bestiam* vocant, cuius pes salutaris Legato à Palatino donatus est. Eum pedem venator statim, cùm ictu bombardæ belluam strauit, abscindit, maximæque est ille virtutis, si bellua illa in coitu occidatur, vel certè in tempestate qua in Venerem ruit, vti nunc fit à festo D. Bartholomæi, secundum obseruationem venatorum.

Sunt inter delitias lautiores labella istius belluæ, ac dum illa comederent, infinita de pendulis domus Austriacæ labris non inurbana dicteria, Romulidæ saturi effuderunt. Incredibilis est Polonorum Nobilium libertas, qui de Imperatoribus ac Regibus, deque suo etiam Rege, liberrime quæ sentiunt, loquuntur. Cum discederet Legatus, ei Palatinus septem equos rhedarios, paribus maculis aspersos, obtulit, quos cùm accipere recusaret: Nisi (inquit Palat.) eos, Excellentia vestra statim acceptare velit, iubeo accersiri septem scloppetarios, qui eos in oculis vestris mactent. Eos itaque Legatus rhedæ suæ aptari permisit, ac torquem aureum Equisoni Palatini donauit. Alit ipse Palatinus, tam est diues atque potens, tria militum millia suis sumptibus, quæ cum famulis, lixis ac reliquo aulæ suæ comitatu, ad sex aut septem millia perueniunt. Prædicauit inter conuiuium Palatinus Belzensis, illum plus habere territorii ac ditio-

num, quàm Dux Hetruriæ. Bona illa tam patrimonialia sunt, quã beneficialia, quæ ad hæredes non transeunt, nisi & hæredes beneuolentiam regis mereãtur, à quo beneficia illa siue feuda benemoritis dari solent. Itaq; ex tã magnis reditib. viuit ille regifico more apparatuque, ac tametsi pusillo corpore sit, rugoso vultu, ac sanguinolentis oculis, magnificorum est tamen & liberalium morum, maximæque in Rep. auctoritatis. Creditum hactenus fuerat, eum Austriacis partibus fauere, faueratque semper; at postquam tantam beneuolentiam Legato Gallico testatus est, quem huius Legationis initio toruùm aspiciebat, longè alia de illo concepta est opinio. Quæ quidem mutatio, tam Legati Gallici virtuti, atque industriæ tribui potest, quàm quòd Parisiis nuper secundus Palatini filius, ab *Illustrissimo* Præside Memmio, indeque ab Eminentissimo Cardinali Richelio, honorificè exceptus est. Filius eius natu maior, Patri nunc adest, qui Galliam peragrauit, Gallicéque loquitur. Est vtique statura breui obesaque, ore etiam inuenusto, quod variolis excesum est, cæterùm qui comiter nobiscum egit, mihique Christianissimi Regis saluti propinauit.

Ad Generalis *Konielpolsky* tentorium contulit se Illustris. Legatus, vt illi vale diceret. Commendauit illi omnes millites Gallos, præsertimque Præfectos qui aderant, *Mareuil*, Locumtenens, Colonellus, *Fouassy*, *d'Angeler*, *Coridon* Maior, Colonellus *Duplessis*, qui aberat. Comiter respondit Generalis, eos suâ virtute, sibi satis

iam esse commendatos. Aderat ibi *Potofky*, qui Generali imprimis gratiosus, quem *Tartarorum pestem* vocant. Iste Legato nostro duos Camelos donauit. Salutauimus Generalem, eiusque filium 14. annor ingenui modestique oris, cuius mater soror est Palat. Russiæ. At ipse generalis, vir est altæ staturæ, longâ barbâ, qui mos paucorum est, raso capite, annorum 45. habet ille plerumque sub toga longa, tunicam satinicam albam. Summæ est ille nec fucatæ pietatis, vexillo suo B. Virginem depictam habet. Nihil nisi infidelium populorum profligationem respirat, quibuscum sæpe manum conseruit, fuitque captiuus Constantinopoli; Nec forti tantùm est animo, sed etiam robusto atque exercitato corpore, quippe qui tam fortiter tamque rectè sagittam vibret, vt militem thorace ferreo tectum transuerberet. Summæ ille est in Regno potestatis, atque ad Regem proximæ, ab eoque semel constitutus, ampliùs deponi non potest, quod omnibus officiis & dignitatibus commune est. Est ille præterea Castellanus Cracouiensis, quo nomine primus est inter Laïcos Regni Senator, nam Archiepiscopi & Episcopi Laïcos præcedunt, vt alibi accuratiùs explicabo. Ad hanc tantam dignitatem, quam alioquin ex priuata virtute merebatur, suffragatione N. *Doenhoff*, Palatini Cheradiensis, qui Sigismundo gratiosus erat, euectus est: qui quidem Palatinus, istius Generalis sororem duxerat. Adeo potens est per vniuersum orbem, fortunæ imperium, v-

nisi cum illius subsidiis atque numine, etiam integetrima virtus, ad honorum apicem niti non possit.

E castris tandem profecti, quia Mariæburgum attingere non potuimus, Stumsdorffii mansimus, vbi, cùm in semiruto longo horreo, supra segetes dormiremus, densæ quæ per hanc noctem incubuerant nebulæ, vestes nostras ac præsertim lintea penitus madefecerunt. Conspeximus ibi, non sine voluptate, iam maturos nouæ pacis fructus, scilicet ædiculas instaurari, stabula reparari atque concludi, supellectilē rusticam, gallinas, anseres ex arcibus & vrbibus reduci. Optaui certè ego sæpius, vt summa aliquando voluptate perfunderer, ruricolę cuiusdam Borussi personam induere, adeo mihi sors illorum fortunata esse visa est. At inibi tamen, præter nostram expectationem, horridus casus *oblatus* est. Nam, cùm Oeconomus Illustrissimi Legati currum à Rustico quodam conducere vellet æqua mercede, ac detrectante rustico, œconomus se iure suo abducturum minaretur, recessit continuo domum vir agrestis ac ferox, inscensoq; protinus equo, & rapta bombarda œconomi caput collineauit, ac deinde, cùm se intercipi à nostris metueret, aufugit. Insigne profectò, ac plusquam belluinę ferocitatis exemplum, in eos sæuire à quibus tantum tamque recens beneficium acceperat! nec istud modò, quòd toti prouincię commune fuerat, sed præterea Legatus à Rege vectigalium immunitatem in aliquot annos, pro huius pagi incolis impetrauerat.

XVII. Meridie Mariæburgum rediimus, vbi Sauaskius, Polonus, erat, qui Regiam ratificationem attulerat. At, quoniam in sigillo Rex Poloniæ, se Suecorum Regem nominabat, eum Sueci remiserunt, vt sigillum mutaretur.

XVIII. Hollandi Legato nostro vale dixerunt mane. Anglus à prandio. Illique protinus Dantiscum, iste die sequenti eodem se contulit.

XIX. Rediit Sauaskius, attulitque sigillum, in quo Cancel. Poloniæ titulū Sueciæ obliterauerat. At Sueci dixerunt, id sibi non sufficere, quia imputari illis posset, quòd ipsimet litteras illas deleuissent; volebant ergo, vt scripto Cancellarius Poloniç, huius facti attestationem daret, vel nouum sigillum, vbi hic titulus omitteretur, apponeret. Responsum est à Sauaskio, nouum sigillum cudi non posse, nisi ex autoritate Comitiorum. Cancellarium verò huius rei attestationem scripto dare non posse, eo quòd in tractatu conuentū expresse fuerat, ne de illa omissione tituli articulus fieret, nec quicquam scriberetur. Petierunt Commissarii Sueci à Legato nostro, vt illius rei attestationem daret; quod facere noluit ob eam rationem, ne præiudicium Polonis fieret. Rediit itaque Sauaskius, cum formula cautionis à Legato nostro conceptæ, Cancellario Poloniæ offerenda, quæ res in multam noctem Legatum in Sauaskii hospitio distinuit.

Dedi ego Sauaskio litteras, ad Agentem Du-

cis Curlandiæ perferendas.

XX. Stanislaus Koniecpolskius, Exercituum Polonicorum supremus Generalis, falcatum ensem ex chalybe Damasceno, auro gemmisque insignem, ad Illustrissimū Legatum nostrum misit, per Gallum quendam, cuius ope ad machinamenta bellica vtebatur, nomine *Beauplan*, quem comitatus est alter Gallus Capitaneus è regimento Artischoskii, nomine *Nicolai*, certe non absimili vultu à Parisiensibus Nicolais, qui quidem per sexdecim annos captiuus apud Turcas, ac Koniecpolskii, dum & ipse vinctus per duos annos fuit, eiusdem fortunæ consors fuerat. Egregium istud munus comitata est humanissima, & elegantissima Epistola, quam vt ipsius Generalis manu, ita & Marte, iure conscriptam dixeris, adeo spirat genium militaris iuxta ac litterati Viri, quique, vt cum Poëta loquar,

-- Geticum moderatur Apolline, Martem:

Sic autem se habet.

Illustriss. & Excellentiss. Domine, Amice obseruandissime.

VAledictionis officium iterarò Illustrissimæ & Excellent. D. V. persoluo, persoluturus coram ac strictissimè eam amplexurus, si per negotia, quorum concursu premor; si per missionem inauctorati militis, quæ ex religione & formula pactorum debetur, liceret. Eam ob rem per præsentes id exequor, atque ex animo Illustrissimæ & Excellentissimæ D. V. non solùm felix faustumque iter, verùm etiam, tot ipsius laborum ac meritorum digna ac iusta præmia,

ex animo cupio voueoque, quæ iam & cælitus sunt decreta; & à Christianissimo ac Potentissimo Rege, omnino speranda. Porrò, cùm Excellentissimæ Illustrissimæque D. V. summa prudentia, ac sistendo sanguini Christiano accommodata consilia, me ferro accinctum discinxerint, spolium laborum Illustrissimæ & Excellentissimæ D. V. libens eidem offero, meque Ciuem in hoc bello pacatum, ipsius opera agnosco. Susceperit itaque hocce pignus amoris, cultus, ac meæ erga se obseruantiæ, felicissiméq; tractarit, vt potiùs sanguine hostium Christiani nominis stillet ac rubescat, quàm ferrugine vilescat. Cæterum optimam valetudinem, prosperrimumque rerum successum, Illustrissimæ ac Excellentissimæ D. V. precor, studiaque ac officia mea paratissima defero. Ex castris ad Mariæ-Vverden, die 19. Septemb. Anno Domini M. DC. XXXV.

Illustrissimæ & Excellentissimæ D. V.

Amicus & seruitor, Stanislaùs à Coniepol. *Konieçpolski*, Castellanus Cracouiensis, Exercituum Regni Poloniæ supremus Generalis, Buscensis, Barensis, Coueliensis P. Coskierouiensisq; &c. Præfectus.

Respondit illicò Legatus, non minùs promptè, quàm eleganter, in hæc verba.

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISS. Domine, Amice obſeruandiſsime.

TAntùm abeſt, vt de Excellentia veſtra quicquam meruiſſe exiſtimem, vt etiam, cum me Pacis huius Conciliatorem geſſi, vehementer illi diſplicuiſſe metuerim. Nam qui ſopiendo huic grauiſſimo bello incubui, maximam profectò gloriæ ſegetem, quæ ſe virtuti veſtræ offerebat, præcidiſſe arbitror. Intelligo nunc tamen operam meam, vobis ingratam non fuiſſe; & ex magnifico munere, quod ab Excellentia Veſtra mihì allatum eſt, inſigne beneuolentiæ erga me veſtræ argumentum, libentiſſimè agnoſco & deoſculor. Satis equidem fari non poſſum, quàm incredibili gaudio perfundor, cùm eum Enſem manu contrecto, quo timendus toto Septentrione, totóque Oriente Coniecpolskius, accinctus eſt. Eum, inquam, enſem qui Gentibus terrori, Chriſtianis ſpei atque fiduciæ ſemper fuit. Vtinam ex voto Excellentiæ Veſtræ à me vel à meis, Ethnicorum cruore rurſus imbui poſſit. Eo interim vti libet in perrumpendis tot periculis & hoſtibus, qui reditui meo in Galliam officere volent: atque ego, qui hactenus Pacis pararius fui, Bellatoris perſonam induam, dum ſtrenuiſſimus Polonici exercitus Imperator ciuem aget; ac tandem cum patrios Lares contingere mihi Deus dederit, tùm verò potiore armamentarii mei loco, fatalem enſem ipſe appendam, eumque ad vltimam ſanguinis, nominiſque mei poſteritatem peruenire iubebo. Non eum rubigine deteri, non ſitu ac pul-

uere sordescere patiar : ad eum contrectandum assilient, anhelabuntque filii nepotesque mei, donec adulta ætatis priuilegio, eum impunè stringere ac vibrare possint; cuiusque erit fortior ac generosior indoles, eum ego illi iure præcipui do, ac prælego. Ceterùm, tam est splendidum, tamque magnificum & nobile istud munus, vt nemo deinceps illud viderit, qui non eius pretium summè æstimet; at qui donatoris præstantem virtutem, atque dignitatem clariùs libentiúsque, quàm ego faciam, prædicet, nemo certè erit in toto orbe terrarum; nemo vtique, qui maiori cum obseruantia & obsequio sit

ILLVST. ET EXCELLENT. D. V.

Mariæ-burgi die xx. Sept. Anno Domini M. DC. XXXV.

Amicus & seruitor Claudius *de Mesmes*, Comes *d'Auaux*, Christianissimi Regis per Septentrionem extraordinarius Legatus.

XXI. Quæ dies D. Mathæo festa erat, Missam audiuimus in Ecclesia Mariæburgensi, reliquum diem, vti & sequentes, litteris in Galliam scribendis insumpsi: laborabat interea Legatus dolore colico, nihilominus surrexit è lecto, vt Artichoskium, qui à Generali Cancellarioque Poloniæ mittebatur, susciperet, qui quidem pro illa sigilli difficultate missus fuerat. Certè ad illius conspectum, quia ex præcipuis ac strenuissimis Poloniæ Colonellis erat, creditum est, Suecos mitiores fore; Istum enim præ-

cipuè delectum, vt, si ambages ac scrupulos ampliùs quærerent, bellum illis denunciaret.

XXII. Rediit ad Polonos iste Colonellus, relatoque Commissariorum Suecorum responso iterum

XXIII. Quæ Dominica fuit, sub vesperam reuersus est ad Generalem Sueciæ, indeque ad Legatum nostrum, resque omnis peracta est ad vtriusque partis votum.

Ista die Piissimus Legatus noster ad Ecclesiam se contulit, ac Dominicum Corpus communicauit, præsentibus infinitis etiam Lutheranis, Caluinistis, Anabaptistis, qui hactenus impune in hanc Ecclesiam intrauerunt, verùm, quæ deinceps solis Catholicis remanebit: Fuitque decantatum Canticum *Te Deum laudamus*, ex eoque die aliquot Nobiles Poloni qui recesserant, redierunt, diuinisque sacris interfuerunt.

XXIV. Iacobus Pontus *de la Garde*, Generalis supremus Exercituum Sueciæ, cum Comite Petro Brahe conuenerunt Legatum domum, illique vale dixerunt nobisque singulis; Donauit etiam Generalis Illustriss. Legato septem maiores equos albos, rhedæ aptandos. Aliquot ante diebus Generalis vxor, imaginem Reginæ Matris Sueciæ recens factam miserat.

Ad Generalem Comitemque salutandos, iuit in Castellum cum nobis omnibus Legatus; iterumque atque iterum manus prensatæ ac vota pro mutua incolumitate facta.

XXVI. Ipse vtrique Legatus, vt animum à

grauioribus curis relaxaret, Camelorum suorum spectaculo vacauit, indeque quid de Camelis Plinius narraret, euoluimus. Aduenit sub vesperam Marolius ex exercitu Polonico.

XXIX. Qui dies D. Michaeli sacer erat, post Missam auditam, Mariæburgo profecti sumus Dantiscum, per sereniſſimum tempus, perque fertiliſſimos agros: nullibi tot anseres, tot vaccas pingues ac vberibus distentis videas. Hollandi sunt, qui agros illos exsiccarunt, paludesque inutiles longis canalibus ac riuis effossis in arua, prata, ac hortos frugum plenos commutarunt. Milliari infra Dirsauiam, Vistulam Pontone transiuimus. Ibi præsidium aliquot militum Dantiscanorum inuenimus, qui fortalitium terrestre custodiebant. Illud quod è regione, à parte insulæ maioris, Sueci fecerant, iam reliquerant. Paulò post hunc transitum, viginti aut triginta Equites è præsidiariis Dantisci, nos ad Vrbem vsque præcesserunt. Milliari ab Vrbe, Galli Nobiles nonnulli nobis obuiam venere, interque illos apparuit ex improuiso alter è Cubicularis Legati, qui è Gallia, quò quatuor ante mensibus fuerat missus, redibat, nobisque omnibus literas afferebat. Quas ego accepi, illæ me in affectus valde contrarios distraxerunt. Soror quidem de restituta Cornificii Vlfeldii valetudine scripsit, lætatusque sum de tam felici nuntio; Virum quippe è primariis Daniæ familiis ac per sese nobiliſſimæ virtutis, summè diligo. At frater mihi de N. Bardini, viri doctiſſimi, indigna ac præmatura morte, quippe qui

flumine inter lauandum absorptus est, nuntiauit. Miseratus sum hanc tam luctuosam sortem, & eò magis, quod nouissimè per Petri Bonartii litteras, me salutauerat, vicissimque ego salutem illi plurimam, quam vtinam Deus Opt. Max. in animam illius conuertat, impertieram.

XXX. Quæ Dominica fuit, à duobus Dantisci Senatoribus Reip. nomine Illustris. Legatus salutatus fuit, qui multis verbis de hac pace, tam vtiliter constituta gratulati sunt. Cùm ille comiter respondisset, expostulauit apud illos, de famosis libellis, qui è Belgio ad Librarios Dantiscanos allati fuerant, aduersus Principes Galliæ Viros, præsertimq; Eminent. Card. At illi statim ad Librarios suos iuerunt, omniaque exemplaria prehenderunt, atque ad Legatum miserunt. Iuit postea Illustris. Legatus ad Ecclesiam Dominicanorum.

A prandio inuisit illum N. *Fourbez*, Legatus Regis Poloniæ, qui è Dania redibat, quem Ioannes Vldricus, Spurius Regis Daniæ filius, comitatus vsque Dantiscum fuerat, exierat que ipso die quo nos aduenimus. Bergmannus item Consil. Brandeburgicus Legatum inuisit. Ego postea cum duobus aliis ex nostris ad hortum suburbanum iui, vbi sexcenti alii sunt admodum culti ornatique, estque ille vrbis egressus amœnissimus.

Prima die Octobris Opalinskius, Polonus, Palatini Postnaniensis Filius, Illustriss. Legatum inuisit, comitatusque est in ædes vbi erat N. *Fourbez*, quem Legatus noster vicissim adire

voluit. A prandio Legatum inuisit Euzebecquius. Eâ die increbuit fama, Gallos, Nouarram cepisse, id ferebant litteræ Vienna allatæ. Ego ac Theologus libros euoluimus apud Bibliopolam, variaque Poemata pro Christianissimo Rege ac pro Eminentiss. Cardinale Parisiis edita decurrimus.

II. Die Octobris cùm animaduertisset Illustriss. Galliæ Legatus, circumferri per vrbem Gedanensem Pacta Stumsdorffiana, veritati rei gestæ non congruentia, quæ malo more iniussuque Magistratus, ab Christianissimi Regis Serenissimique Electoris æmulis edi iussa fuerant, vt horum Pseudopactorum venditio sisteretur ac prohiberetur, misit me Illustriss. Legatus ad Senatum Gedanensem, in quem cùm à Secretariorum aliquo introductus fuissem, sedereque rogatus fuissem in scamnis maioribus vbi ipsi sedent, omnesque nudo capite essent. Stans ego locutus sum, si bene memini, in hæc fere verba. Generosi admodum ac spectabiles Domini, Illustriss. Christianissimi Regis Legatus misit me ad Nobilissimas Dominationes vestras, primo, vt illis suo nomine plurimam salutem impertirem, deinde ad rogandum illas, vt velint aliquem ex suis Secretariis, vel quempiam alium ad Illustriss. Legatum deputare, cum quo de negotio quod vrget, communicare possit, vt statim ad vos referat, antequam ex hoc loco emigretis. Destinauerat ipse ad Clarissimum huius Senatus Præsidem se conferre, vt de illa re apud eum ageret, sed nuntiatum est, illum hodie rus

se contulisse iussit, itaque me, quia mature factó opus est; ad vos postulatum venire, vt gratiam istam quam petii, illi facere velitis, quam quidem cùm poterit, referet vobis maximam. Inito prius consilio, iusserunt mihi per Syndicum responderi; se Illustriss. Legato summè obnoxios, missurosque statim aliquem è suis; qui illum domum conueniret. Statimque secutus me est ille Syndicus, cui Illustriss. Legatus coram Domino Bergmāno Electoris Brandeburgici Consiliario, pactorum menda indicauit. Eodemque momento ex Senatus decreto, omnia huiusmodi exemplaria prehensa sunt ac fisco adiudicata.

Excepit illâ die prandio Illustriss. Legatus Nobilem adolescentem Venetum, nomine *Prioli*, tresque Gallos, qui Constantinopoli veniebant, ac Marchionem Isidolium, qui captiuus in Moscouia fuerat, adiutum venerant.

V. Inuisi Dominum Eurebecquium, Electoris Brandeb. Secretarium, virum in plurimis linguis facundum, in pluribus scientem.

VI. Adii duos Iesuitas apud Officialem Daniscanum in Ecclesiæ maioris vicinia degentes, qui pro Catholicorum ope ibi diuersantur. Habent illi Collegium in suburbio Schatlandiæ ducentosque circiter Scholasticos. Fuit illa dies D. Brunoni sacra; Itaque duo è nostris in Chartusiam, quæ 4. mil. distat, iuerunt. A prandio tres Galli qui Constantinopoli veniebant, Illustrissimo Legato vale-dixerunt; & cum Nautis Hollandis abierunt. Bergmannus & Eurebecquius

quius, Elect. Brand. Consiliarii, Legatum adierunt, ac de rebus Pomeraniæ, déque Principum Germaniæ inter scribendum titulis fusè locuti sunt.

VII. Quæ Dominica fuit, ac præterea D. Brigittæ sacra, Legatus ad Moniales Missæ audiendæ causâ se contulit, vbi non mediocrem populi Catholici pietatem contemplati sumus. Inter Missæ solennia prædicant, ac postea processionem Dominici Corporis faciunt, antequam præfationem dicant, quod alibi fieri non vidi. Adfui precibus vespertinis apud Dominicanos rosarii festum celebrantes.

VIII. In montes Dantisco imminentes ascendimus, vnde tota vrbs facile circumspici potest. Est animus Dantiscanis murum vrbis, ad illorum summitatem porrigere, ne ab hostibus, si quando ingruunt, occupentur; quod nisi maximo sumptu fieri non potest.

IX. Post prandium funeris cuiusdam matronæ pompam contemplatus sum. Priores Scholastici cum suis Præceptoribus incedunt veste vulgari. Miserabiles ac infimæ sortis pueri vltimi incedunt, canuntque. Succollatur deinde feretrum ab octo viris honestioribus, qui manu serta ex aureo argenteoque filo facta gerunt, qualia in lectorum columnis præfigimus. Sequuntur deinde filii bini natu maiores, ac postea minores pileo demisso longisque palliis amicti. Postremus est Maritus, qui pallii sinu vultum obnubit, comitantur illum propinqui omnes in veste lugubri. Postea incedunt Optimates

ac Magiſtratus in palliis longis ac luctuoſis. Longo deinde interuallo eunt feminæ, primo filiæ, quæ ſingulæ ab ancillis ſuſtentantur, vultuique ſtrophium admouent, vt videri non poſsint. Omnes deinde aliæ mulieres binæ incedunt, in veſtibus nigris: quod viſu graue ac ſpecioſum eſt; ſunt enim pleræque præſtanti ſtatura, magnamque oris inceſſuſque dignitatem exhibent. Virgines ab huiuſmodi cærimoniis arcentur. In templo deinde canunt ac prædicant. Ac tametſi Eccleſia Lutheranorum ſit, Caluiniſtas nihilominus, qui domeſtica ſepulcra habent, inibi nullo ſcrupulo ſepeliunt.

X. Venit ad Legatum quidam ex Elbingenſi Ciuitate, qui illi Ciuitatis nomine Craterem aureum obtulit, quem accipere noluit; at humaniſſimâ Epiſtolâ ad illorum Epiſtolam reſcripſit.

XII. Illuſtriſ. Legatus poſt diſſimulatos per tres aut quatuor dies, febris paroxyſmos, qui illum meridie inter prandium ſubibant, lecto ſe tradidit. Hac occaſione ego cum illius pharmacopœo in hortum Ciuis cuiuſdam iui, vbi multas plantas herbaſque ſalutares contemplatus ſum. Erant ibi maturæ ſapidæque ficus, at vuę immaturæ, illas nihilominus vel inuito ſoli genio, ad aliquam tandem maturitatem curâ & culturâ ſuâ promouent.

XIII. Cùm in Curia Mercatorum, vbi perpetua compotatio fit, deambularem libroſque promercales euoluerem, aggreſſus me eſt quidam N. Ruardus, quocum per duas horas col-

locutus sum Latinè, ac deinde Gallicè, qui me ad ædes suas adeundas inuitauit. Didici postea ab aliquo, eum esse Arianorum Pastorem: sunt quippe Gedani huiusmodi homines, qui clam congregantur, inscio vel dissimulante Senatu.

XVI. Mane Legatus recreatus à morbo inuisit Dominum N. *Viceconti*, Summi Pontificis Nuntium, qui apud Dominicanos hospitium sumpserat. Legatum reuisit à prandio Nuntius.

XVII. Cum Illustriss. Nuntio Apostolico Illustriss. noster Legatus in eadem rheda ad Oliuense Monasterium iuit, quod milliari vno, Gedano distat. Est illud Ordinis Cistertiensis. Monachi omnes cum Abbate ante portam Ecclesiæ Nuntium expectabant, cui Crucem osculandam Abbas præbuit; eidemque Abbas manum postea osculatus est, ac deinde singuli Monachi, quorum vnus breuem orationem habuit, ad quam cum breuiter Nuntius respondisset, aqua lustrali omnes nos aspersit. Ingressi sumus deinde Ecclesiã, canentib. Monachis, atq; organis, deinde celebrata Missa. Est illa Ecclesia longa atque angusta, marmore atque picturis optimis decorata, itemque subselliis grandibus ac rectè fabricatis. Ibi septuaginta duo Duces Pomeraniæ sepulti sunt, quorum imagines pro magna parte visuntur. Nouies fuit illa Ecclesia vastata ac direpta. Nouissimè à Carolo Caroli filio, Sueciæ Admiralio, quem nouimus.

Ibi habent lapidem, quem dicunt olim panem fuisse, ac miraculo in lapidem conuersum, quæ

fuerit huius miraculi causa, nondum didici. Lauto conuiuio à Domino Abbate, qui Koniecpolskii propinquus est, excepti fuimus. Aderat Prior Dominicanorum Gedanensium. Inde rediimus cum Illustriss. Nuntio ad portas Gedani, præter quas duo milliaria ipse confecit Vvarsauiam versus. Nos vrbem ingressi sumus.

XVIII. Ego & Theologus ad Disput. Theol. quæ in Gymnasio Gedanensi fiebant, iuimus. Lutheranus adolescẽs Theses defendebat, quas sex Dominicani impugnatũ venerant, duo primi de libris Canonicis disputarunt, satis confusè. At tertius qui de iustificatione sola per fidem, clarè omnino ac Theologicè, ita vt Doctorem Lutheranum iugularet, eòque adigeret, vt à Dominicano postularet; an Argumentum quod formabat, in D. Pauli textu præcisè comprehensum esset?

Certè Nebulonum illorum amentiam aut impudentiam satis demirari non possum, qui noctuas nos ac lucifugas identidem appellitent, vt iste in sua præfatione sæpius fecerat, & ad conspicuum argumentum, quod & D. Pauli auctoritate, & vera ratiocinatione nitebatur, peruicacissimè nulla allata solutione resistebat. Sed ô inauditam barbariem! cùm inter loquendum vnus è Religiosis Papam nominasset; Incestus scurra Papam, nihil aliud quàm Monstrum esse, coram Religiosis quos inuitauerant, coram nobis quos Christianiss. Legati comites sciebant, impurissimo ore obgannituit.

XIX. Ego ab alio Pastore Lutherano domum

inuitatus sum ad colloquendum; qui quidem, quia in Anglia atque Gallia humanitatem aliquam didicerat, paululum absterſit indignationem, quam in illum hesternum ſubulcum conceperam. Dedit iste mihi orationem Latinam, quam coram Belgii Legatis paucis ante diebus habuerat. Vocatur Ioannes *Mochinger*. Vnà cum illo in pomœriis Ciuitatis deambulaui. Vidi apud illum Biblia Hebraica breuiori volumine quàm vnquam viderim, quæ ex Anglia attulerat, optima ac luculentiſsima editione. Est item ille Rhetoricę Profeſſor, in Gymnaſio Gedanenſi, Ciuitatis ſtipendiis.

XXII. Nuptiæ celebratæ ſunt in hoſpitio Illuſt. Legati noſtri, ad quas ipſe inuitatus fuit, cum ego Baroque Auaugarius comitati ſumus. Hæc ferè ceremonia obſeruata fuit. Matronæ ſingulę in domum nuptialem conueniunt, circa meridiem. Viri deinde cuncti bini incedentes, Sponſum adducunt, ſiſtuntque in atrio ſiue veſtibulo domus. Collocatur ſcamnum in medio. Ingreditur atrium Paſtor, ſequè ad illud ſcamnum ſtatuit nudo capite, nec labra mouet. Euocantur deinde ex intima domo Virgines, quæ binæ incedunt, inter duas grandiores, quæ vltimæ ſunt, Sponſa exiſtit, nigra veſte, cùm aliæ omnes coloribus diſtinctæ ſint; ac circundato Paſtore ibi ſtante, nec ſe mouente, ex altera parte ſcamni ante illum ſtatuitur ſponſa itemque ſponſus. Aperto tunc libro, Miniſter Euangelium nuptiale illis legit, ac deinde breui adhortatione

factâ, verba solennia profert. Tum verò musica instrumenta, vocesque personant. Statuitur inde sponsa prope ianuam, ibique ab ingressis & ingredientibus salutatur ac donis donatur. Vasculum illi argenteum Legatus donauit; ego & Auaugurius aureos nummos, chartâ, vt moris est, inuolutos, cum votis ac ominibus lætis. Ad mensam deinde assedimus, paulo ante horam secundam à meridie, ad septimâ vsque ipsam edimus ac bibimus. Eius sunt latitudinis illæ mensæ, vt si illas ante instratas mappas videris, theatra esse putes, in quibus fabulam potiùs, quàm conuiuium exhiberi debere suspiceris. At, cùm illatæ sunt dapes compotatioque incaluit, tam eum qui tibi è regione est, exaudire potes, quàm si inter vtrumque fluuius esset interiectus; cùm tamen nulla ibi interfluat aqua, sed vini meri cereuisiæque riui ac cataractæ vndequaque restagnent. Adeo ibi magnum est aquæ odium, vt nulla etiam iuscula vel offas inferant; fœminæ viri & viri, mutuò sibi propinant; certis interuallis Paranymphi mensas circumeunt, petuntque à conuiuis, an illis satisfactum sit. Tum etiam illi priores, verbis quibusdam conceptis, felicitatem futuri matrimonii augurantur, ac primario conuiuæ (Legatus noster is fuit) præbibunt. Iidem postea versus ac odas, in sponsorum gratiam compositas distribuunt, vbi sponsam quamlibet deformis illa sit, Venere aut Helena pulchriorem appellant: Maritum verò Apolline, Mercurio, Socrate pruden-

tiorem ac sapientiorem ; At ille plerumque caupo est, aut stabularius, aut certe mercator minorum gentium, qui pallida sulphurata fractis permutat vitreis. Veste tamen serica nigraque induuntur omnes, nec ab ipsis Senatoribus hac in parte distingui possunt, nisi quod plebeii isti manicellas lineas (*manchettes*) non solent ferre, alii honoratiores ferunt. Totum conuiuium perpetua vocum instrumentorumque Musica exhilarauit. Hora tandem septima pulsante, quædam ex præcipuis feminis, quasi cæteris aliis continentior foret, potestatem nobis exeundi fecit, iugumque tam longæ comessationis excussimus. Incœperunt deinde choreæ, in quibus manum cõseruimus ad illorumque morem, qui difficilis non est. Saltauimus ad multam noctem, non sine renouatione poculorum, quæ, inter tripudiandum, amatores venustuli amasiis suis porrigunt. Quid de sponsa deinde factum sit, si quis inquirat : credo, idem, quod in Gallia aut alibi; priores enim cum Legato discessimus, qui se, cùm cubiculum suum attigisset, tum demum beatum esse putauit, illique eo nomine gratulatus sum.

XXIV. Franciscus Floridus ; Theologus noster, *nunc Sereniss. Mariæ Lud. Reginæ Polon. Confessarius & Canonicus Varsauiensis*, suum in Italiam iter arripuit, impetratâ ab Illustr. Legato veniâ, nobisque rite ac peramanter salutatis, in Dania ac Suecia, vbi nullus Sacerdos consistere audet, eius ope ac ministerio vsi sumus ; ac præsertim in ingenti maris Balthici discrimine,

quo per tres dies conflictati sumus, illius pietatem ac prudentiam præsentissimam sensimus. Tandem, cùm iam à multo tempore in animum induxisset Italiam adire, nosque in Vrbe Catholica, saltem vbi sacerdotibus esse licet, vti sunt nonnulli, reliquisset, cisio Polonico, quatuor rotis ac duobus equis instructo, cum mercatore Gedanensi, qui natione Gallus erat, N. Ioannes *de Vantes*, Torunium vsque, quod ad Vistulam est, nobis cernentibus faustumque iter precantibus, discessit. Commendauit ille mihi aliquot libros, quorum catalogum feci, deditque aliquot reliquias S. Erici, Suec. Regis, quas Vpsaliâ attulerat. Et hic finis illius suauissimi consortii fuit, quod vtinam breui in communi patria redintegrari possit.

XXVII. Mercatorem Gedan. N. *Vpegen*, qui argentariam exercet, cum B. Auagurio adii, in cuius atrio non contemnendas tabulas contemplatus sum. Nobis iste, qui tamen optimè valebamus, aquam vitæ quasi deliquium patientibus, quater aut quinquies per semihoram propinauit. Egebat illius pecunia Auaugurius, itaque hoc fœnore illa nobis accipienda fuit.

Oportuit tamen, vt se Legatus totius summæ capitalis adpromissorem faceret, sub beneficio Auth. *Hoc si debitor*.

XXVIII. Quæ Dominica fuit, ad Suburbium Schotland. in Ecclesiam Iesuitarum se contulit Illustriss. Legatus, vbi Nobiles Polonos Polonasque eximiis torquibus ac catenis ornatas vidimus; colore sunt illæ oleagino, viden-

turque oleo aut alia pinguedine inunctæ: diuersum ferè omnibus erat capitis ornamentum, substructumque auro vnionibusque ad nostratium rusticarum sponsarum morem: vix ostendebant capillos, nisi quod in fronte ac sincipite hinc inde, iuxta naturalem, quæ crinibus femineis inest, separationem atque fissuram discriminati erant ac diuisi. Erat inter illas noua nupta, quæ isto die in mariti domum duci debebat, quam solennitatem vocant ipsi *transmigrationem*. Post celebratam cum musica organisque Missam, duo Iesuitæ Legatum conuenerunt duxeruntque ad Collegium, quod ex altera parte fluuioli est. Hortum vidimus innumeris frugibus consitum, qui in montem excelsum extenditur, vnde omne Gedanum videri potest, liberque patet in multa milliaria prospectus, quo amœniorem alibi non vidi. Ibi ad benigniorem Solem vites longo murorum ligneorum ordine seruerunt, quarum quidem racemi ad Cal. Nouembris incipiunt liuescere, nonnulli que etiam muscatelli speciem ferunt; at si ori admoueas labruscæ sunt tantùm ac omphacium. Ex illa vindemia quidam è nostris aliquot vuas succiderunt, quæ in prandio condimentis adhibitæ, neque hebetis, neque insipidi gustus inuentæ sunt.

Pyra certe ac poma prunáque nec pauca, nec contemnenda habent. Nuces sunt illis in deliciis, neque passim in agris, sed in hortis illas serunt, rariores sunt enim quàm apud nos: Denique domus illa villæ magis rusticæ, quàm

Collegii litterarii speciem habet, adeo gallinis, anseribus aliisque huiusmodi referta est. Valde illi Illustr. Legato, pro constituta pace, gratulati sunt.

A prandio Illustr. Legatus Præconsulem Ciuitatis inuisit, qui nobis absinthii Pontici vsum declarauit, stomacho nimirum vtilem, nec hepati aduersum; ori aliquot grana indi debent, ac deinde cum vini haustu sorbentur.

XXX. Vidimus in Eccles. Dominicanorum, funus quod peragebatur Nobili feminæ Polonæ, quæ tamen ante sex menses defuncta, nec dum tumulata fuerat. Viri qui aderant, non alia veste, quàm ordinaria induti sunt, nisi quod illa nigra est. At mulieres puellæque longe diuersa ab solita veste, amiciuntur. Pictoris magis esset istud depingere, quàm scriptoris: Neque enim vel Latinè vel Gallicè istiusmodi vestium nomina mihi succurrunt. Certè, illæ quæ secundo ordine erant, ad Sorbonicorum Doctorum formam accedebant, cùm pellibus suis inuoluuntur. Quæ luctuosum habitum non gerebant, longis ac incommodis, pretiosis tamen vestibus, indutæ erant, quæ humum verrunt. Habent in pileis, qui pellibus farti sunt, vniones ac breues auri calamos insertos, sub mento lintea habent, quasi mappas nostras, quas attollunt ad os atque ad nasum aduersus cæli iniurias, diceres eas ægrotare, adeo illis ceruix ac fauces reuinctæ sunt. Inter Missæ sacrificium facta fuit oratio funebris. Ad offertorium mulieres altare ambiunt, atque ad locum suum redeunt, quod

item repetunt, postquam dicitur *Agnus Dei*; credo quod in postica altaris parte oblationem suam faciunt, viri non item. Post Missam preces aliquas nostris longiores faciunt. Cùm ad fossam accederemus, ostensum est nobis cranium adhuc pileo tectum, qui quidem pileus integer erat ex serico, necdum decoloratus, punicei nimirum coloris, & tamen cadauer illic depositum fuerat, ante viginti duos annos.

Feretra sua panno nigro contegunt, ita vt lignum non appareat; alibi colore nigro lignum pingunt crucemque albam, vti vidimus in Suecia. apud ipsos Lutheranos.

Post conditum cadauer, in mediam Ecclesiam conueniunt propinqui inuitatique omnes, viri ac feminæ, in circulum, ac duo ex illis aliquot verba faciunt in defuncti commendationem ac superstitum solatium. Illi ipsi erant quos biduo ante in Ecclesia Iesuitarum videramus in veste nuptiali, ita vt proxima illius gaudii (quod plerumque fit) luctus occupauerit.

Prima die Nouembris, omnes cum Illustr. Legato Ecclesiam Dominicanorum adiimus, processioni interfuimus, ac Sacrosanctum Domini corpus communicauimus. Alius Polonicè, alius Germanice, alius Latinè, cæteri Italicè confessi sunt: qui Gallicè tantum sciuerunt, Theologum nostrum qui abierat, desiderauerunt.

Ego certè vtique illum ob aliam rationem magnopere desideraui, cùm istis austeris Patribus, eo quòd Lutheri biblia legeram, absoluendi mei scrupulus iniectus esset, cùm tamen affirma-

rem, me ad addiscendam linguam Germanicam solùm illa vsurpasse. Rediimus deinde ad vespertinas preces officiumque defunctorum, hancq; diem totam piè ex piissimi Legati exemplo transegimus.

II. Die, supplicationi ac Missæ, quæ fit pro defunctis, diligenter interfuimus. Processio facta fuit, in qua 4. Euangelia, in 4. Stationibus recitata sunt, quæ de resurrectione mentionem faciunt, hunc ritum in Gallia vsurpari non memini. Interim Sacerdos qui præit, aquam lustralem vndequaque aspergit. Legatus Angliæ post meridiem nos inuisit.

III. Præconsul Vrbis Dominus *Sirembeng*, Legatum nostrum adiit. Est ille senex lepidissimi consortii, qui per variorum sermonum occasionem narrauit nobis res miras, quas quidem eo diligentius notaui, quod ab homine sagaci & Caluinista, hoc est durioris fidei, recitabantur. Prima hæc fuit.

Antonius *Meidel*, Liuonus, Admiralius Sueciæ sub Rege Ioanne, patre Sigismundi, cùm pertransiret Lappiam, & quodam die nihil, neque potus, neque cibi inuenisset, haberetque secum seruum vnicum ac canem, incidit in viduæ aniculæ domum, à qua cùm cibum rogauisset, illa se nec panem, nec quicquam aliud ad manducandum habere affirmauit. At, cùm mulier è conclaui exiisset, illeque omnia rimatus, caseos asseri impositos deprehendisset, partem vnius cani suo fregit ac tradidit, quod cùm anus ingrediens animaduertisset, minata est homini in-

fortunium, statimque canis exanimis cecidit; quo spectaculo territus ille ac seruus, edere non sunt ausi: cúmque hac canina anima, maleficæ illius indignationi sufficienter litatum esse crederent, donec sequens illucesseret dies, per hanc noctem in stramine iacere pertulerunt. At circa mediam noctem, tanti dolores Admiralium inuaserunt, vt quasi energumenus ac rabidus, per horam integram volutauerit sese, ac tandem vultus illi omnino toruus remanserit, ita vt neque loqui, neque manducare posset, sed per calamum tantùm iuscula illi ac liquores infunderentur; si tamen in belluina regione, iuscula homini commoda ac salutaria fieri potuerunt. In hac metamorphosi, cùm iter faceret, ac denique ad cuiusdam senis tugurium peruenisset, miseratus eius casum seniculus, petiit num subleuari vellet ac pristinam faciem recuperare, fierique istud posse, si pares dolores pati vellet in morbo curando, quos in contrahendo sustinuisset. Cùm in hoc pactum non libenter modò, sed auidè etiam consensisset, media nocte cum iisdem acutissimis cruciatibus conflictatus est per horam, quâ transactâ restituta est illi pristina forma, relictaque per aliquot horas summa membrorum omnium fatigatio. Hanc portentosam historiam, se ab ipso Admiralio audiisse affirmauit nobis Sirembergius; aliam deinde subdidit.

Scabinus fuit Gedanensis, nomen non memini, cuius institor Stocholmiæ cùm esset, à muliere quadam amatus fuit, ita vt illum dimittere

nollet, persuaderetque omnibus illecebris ac promissis, vt in Suecia remaneret. Tandem, cùm ille sæpius à Domino suo reuocaretur, consiliumque reuertendi sumpsisset, libidinosa ac impotens mulier ab illo capillos aliquos poposcit, in absentiæ solatium amorisque pignus: ille qui Amasiæ suæ mentem, qui maleficorum in illa regione opportunitatem nouerat, quiddam læuum subueritus, Vrsinæ pelli, qua vestes inter peregrinandum contegebat, pilos detrahit, suis non absimiles, eosque serico intertextos, cum plurima amoris significatione, feminę donat, amantemque (tametsi Dido refragetur) fallit. Scandit nauim, pluribusque milliaribus à littore Sueco aberat, cùm de multo die stratæ pelli Vrsinæ decumbit; ac, cùm iam indormisceret, sentit pellis suæ villos sub capite velli; euigilat, nihil videt: somnum repetit; tum illam iterum sibi subtrahi sentit: irascitur, quasi aliquis è sociis illum lacesseret: neminem penes se conspicit, vigilansque etiam trahi abripique pellem suam videt, quam cùm retinere vellet, fortiusque illa traheretur, inclamat, euocatque ad miraculum Vectores ac Nautas, quibus cernentibus (stupenda res) pellis Vrsina per aërem, quasi altera Calisto, quæ iterum ab Ioue in Septentrionem rapiatur, transportari atque abripi visa est.

Tertia hæc fuit.

Quidam Italus equorum institutor, N. *Horatio*, qui postea etiam Gedani fuit, Stocholmiæ per aliquot annos hanc artem exercuit. Quodam die cùm imprudens domum introisset, in

qua debitorem ſuum pecuniæ exigendæ cauſa quærebat, inuenit illius vxorem, quæ doloribus partus vicini conflictabatur, cuique aderat obſtetrix, quo ſpectaculo territus ille, ſtatim aufugit, eodemque momento acutiſſimis alui ac pectoris cruciatibus correptus fuit; Ita vt in Medici cuiuſdam, amici ſui, domum ſe recipere cogeretur, vbi, cùm præſentiſſima ac optima remedia illi adhibita eſſent, dolores tamen ſedari non poterant: cúmque in ea re, neque morbi cauſam, neque curationem inueniret Medicus, artiſque ſuæ vanitatem fateri cogeretur: vxor eius quæſiuit ab ægroto, quonam ſe contulerat, quidve fecerat, cùm his torminibus tentatus fuit: reſpondit ille, ſe talem domum ingreſſum fuiſſe, vbi parturientem mulierem cum obſtetrice deprehenderat. Quam domum cùm ſtatim Medici vxor adiiſſet, intellexit ipſo momento feminam peperiſſe, naarrauitque quid Horatio contigiſſet, cúmque paulò poſt domum ſuam rediiſſet, inuenit Horatium dolore omnino liberatum. Vnde caſum illius, maleficæ iſti obſtetrici, à qua toruùm conſpectus fuerat, vniuerſi, qui apud Medicum fuerant, tribuerunt.

Quidam alius, qui in Sueciam nauigauerat, cùm cuperet ſcire, an vxor viueret, quam Gedani reliquerat, quidve ageret, in Magum incidit, qui illi ſe id declaraturum promiſit, ſub aliqua pecuniæ ſponſione. Magus ignem accendit, in eum ſe iniecit inſiluitque, credo, quòd euanuit ex oculis iſtius, ac poſt quadrantem horæ

comparuit, attulitque cultrum, quem è conspe-ctu istius curiosi vxoris, rapuerat, affirmauitque, illam domi esse ac nere, in cuius rei veritatem cultrum illum, qui Homini probe notus erat, exhibuit ac reliquit. Iste cultro asseruato, cùm post aliquot menses Gedanum rediisset, ac quodam die cum vxore colloqueretur, vti plerumque fit otiosè inter coniuges, narrauit illa, se tali die quem memorabat, maximo metu correptam fuisse, cùm penes se cultellum nemine conspecto, abripi vidisset, quæ res illam tam ob miraculum, quàm ob subiti euentus significationem, vehementissimè terruerat, cùm crederet læui quidpiam ac funesti marito contigisse: Infelix quæ pro zelotypo ac suspicaci viro solicitudinem tantam conceperat! Quæ cùm maritus intellexisset, confessus est illi, quæ cum Mago gesserat, cultrumque illi suum repræsentauit, ac de tempore quo istud acciderat, de momento ad momentum conuenerunt.

Insignis omni scelerum genere fœmina, è Nobili Ranzouiorum gente, quæ & sexus sui modestiam exuerat, & virilem vestem animumque induerat, quæ bello, quæ facinoribus variis interfuerat; tandem cùm hominem Gedani occidisset, in carcerem coniecta fuit. Dictum fuit Præconsuli, auunculo huius Ciremberg. viro docto prudentique, vt ab illius feminæ maleficis artibus sibi caueret. Semel cùm in Senatum iret, iniecta est callidè è carcere charta quædam inuoluta, quam cum ab apparitore colligi iussisset, statim ille qui colligebat, in faciem concidit,

ac

ac, tametsi aliunde læsus non esset, non potuit nisi sociorum ope subleuari. Aperta est charta, inuentæ sunt in illa aciculæ, crines & aliæ nugæ. Mulier tandem facinorosa decollata fuit. Id se etiam à suo auunculo sæpius audiisse referebat Cirembergius: aliam denique superinduxit, quam iam audieram, narrationem.

Quidam, qui è Suecia proficisci vellet, vt quò intenderat, celerius perueniret, ventum emit, de ventis enim tempestatibusque negotiatores ibi sunt: Datum est illi à venditore Strophiolum tribus nodis reuinctum. Primus nodus erat benigni ac secundi venti, secundus fortioris, tertius tempestatis; quos si solueret, his euentibus certo frueretur. Ingressus est nauim in maxima tranquillitate. Soluit primum nodum Strophioli: En adspirauit secundus benignusque ventus, qui cùm lentior esset, secundum nodum soluit, continuoque fortior ventus nauem impulit, ita vt intra exiguum tempus ad optatum portum peruenire spes esset. At, cùm per incuriam Strophium, cui tertius relictus erat nodus, ex hominis istius pera cecidisset, atque à nauta quodam collectus, qui pecuniam in illo nodo inuolutam credidit, solutusque esset, continuo oborta est talis tempestas, vt post magnam iactationem ad scopulos nauis allisa sit atque confracta; vectores tamen ac nautæ mercatorque iste ventosus, seruati sunt, qui historiam deinde narrauerunt.

Hæc omnia se ab ipsis, quibus acciderant, vel ab hominibus fide dignis, quos nominabat, se

accepisse Ioannes Cirembergius, vir grauis, Illustr. Legato mihique referebat.

IV. Die Nouembris, quæ Dominica fuit, Illustr. Legatus adiit Dominicanos processionique Rosarii interfuit, adfuit item illic Princeps Dominicus, adolescens ditissimus, quem è Regum Poloniæ stirpe esse aiunt; à sinistra Legati nostri incedebat. Ibi eodem tempore ante Missam prædicatio Germanica eodemque tempore Polonica fit; Germanicæ interfui, canuntque laici Psalmos hinc inde vernaculâ linguâ, in locis tamen diuersis, sed se exaudiunt inuicem. Post prandium litteras in Sueciam scripsi ad P. Vvibium, aliasque etiam descripsi iussu Legati.

V. Cùm satis manè ad Dominicanos iuissem, vidi copiosam plebeculam, quæ Polonicè in Monachorum claustro Psalmos Hymnosque Polonos canebat, sine sacerdote vllo.

Ductum est funus post prandium viduæ cuiusdam Præconsulis, quod è fenestra, vt morem Lutheranum intueretur, conspexit Legatus, quem quidem morem me superiùs annotare memini.

VI. Litteras nostras in Sueciam conclusimus; Scripsit Legatus ad vtramque Reginam ac omnes Regni Administratores, excepto Cancellario, qui Vismariæ est.

VII. Vniuersi Carolum Auaugurium, qui in Sueciam proficiscebatur, comitati sumus ad ripam Vistulæ. Ibi ascendit in mercatoriam nauiculam, qua remeando flumen Hostium vsque, in aliud fluminis diuortium descendit, vnde per

Friph baff. Pilauiam delatus est, vbi Nauim bellicam, quæ illum Stocholmiam ferret, ingressus est. Ægrè illum dimisimus, cum quo per annum & ampliùs, placidissimè ac humanissimè (vti ille comissimus est) conuixeramus. Maximum ille ac sincerum Illustr. Legato honorem detulit, maximum Legatus retulit, ac cum plurima amoris significatione dimisit. Abduxit secum Franciscum Gernandum, virum valde bonum doctumque, ex Palatinatu oriundum, in quo nihil nisi Catholica religio desiderari potest, qui vtique è Dania omnium peregrinationum nostrarum ac laborum particeps fuit, testisque assiduus ac idoneus eorum omnium, quæ Stumsdorffii gesta sunt. Alios duos secum duxit siue milites siue asseclas, Spinæum ac Pratensem. Faxit Deus vt breui rursus conueniamus.

IX. Illustr. Legatus cũ Ioanne Cirembergio, Senatus Gedanensis Præside, inuisit Illust. Legatum Angliæ, proximo ab vrbe lapide commorantem, qui nos humanissimè excepit, multoque vino proluit.

Ea die aduenit Gedanum Vvrangelii Secretarius, qui rogauit Senatum, vt pedites Succos, qui in Pomeraniam transire volebant, præterire per suum territorium sinerent, eo quòd tres eorum naues militibus Anglis Scotisque onustæ, per tempestatem perierant, vna tamen ab igne. Huic postulationi adiunxit se Legatus noster. Retulit idem Secretarius, aliam nauem, quæ

in Sueciam tendebat, Memeliam fuisse delatam.

X. Adii Vvaltherum *Rosemberg*, Senatorem Gedanensem, honestissimum virum, qui Gallicè etiam loquitur; Ille mihi Ioannis Ros. filii sui infortunium narrauit, nimirum, eum in Naue deprehensum fuisse, quæ sine commeatu ac diplomate Regio è Gallia soluerat, quæ cùm, Dantisco rediens, à Classiariis Regiis prope Diepam intercepta fuisset, Adolescens iste omnibus suis vestibus, pecunia, supellectile, succino ac cera, quam vendere destinauerat, spoliatus fuerat, cùm tamen, mercator non esset, sed studiorum peregrinandique ergo in Galliam mitteretur, eæque merces illi in sumptuum quos faceret, pensionisque quam solueret, subsidium à prouido Parente donatæ essent. Petiit à me pius Pater, vt Legati nostri litteris iuuaretur, si fortè apud Parlamentum Rothomagense gratia, aut auctoritate valeret, nam ibi rem istam disceptari cœpisse. Spopondi me apud æquissimum Legatum intercessurum. Pupugit me certè adolescentis casus, siue quod olim Scholasticus fui, siue quod etiamnunc peregrinus cùm sim, nolim me in huiusmodi calamitatem incidere.

XI. Aliquot Artificum, qui Succinum vendunt, officinas lustraui; vbi pusilla Naturæ miracula contemplatus sum: in illo quippe & muscas & ranas congelatas vidi, aliaque eiuscemodi, quæ homines otiosi ac curiosi magno mercentur.

XIII. Offendi in via Ioannem *de Vantes*, Mercatorem, qui Thorunio reuerterat, plurimamque salutem à Theologo nostro mihi referebat: Aiebat iste, se milites gloriosos è partibus Imperatoris vidisse, qui super mensa *Ludouicum* debellabant, Galliamque inter se partiebantur, quasi ex diuisione Cæsaris; cùm hi Celticam, alii Belgicam, alii verò Aquitanicam sibi sumerent. Commouit certè me hic primùm nuntius, sed cùm eundem postea Gedani passim in popinis, ab hominibus madidis atque mero titubantibus recantari intelligerem, desii timere; præsertim cùm hæc consilia à Ferdinando, non à Iulio Cæsare perfici debeant.

XIV. Inuisi *Schvvartzvvaldt*, Scabinum Gedanensem, qui mihi egregiorum Pictorum tabulas, quas ex Italia attulerat, ostendit, duæ præsertim, meo quidem iudicio, cæteris præstabant: Vna D. Magdalenæ, quæ tota nuda est, nisi quod capillis, vbi opus est, contegitur: altera est Iudithæ, quæ Holophernis caput crinibus gestat, quam mulier vetula, spiranti similis, subsequitur. Ostendit item mihi puerum natantem, è cera Mich. Angeli, argento expressum. Ostendit & equum argenteum, ab insigni sculptore Florentino factum, quem Equestris statuæ, quæ in Ponte-nouo Parisiis est, fictorem esse dicebat. A quo sculptore se audiisse sæpius referebat; pœnitere illum istius Equi Parisiensis, cupereque, mille aut amplius aureorum iactura, ne extaret, adeo ex illo tempore quo eum fudit, in peritiam artis suæ creuerat.

XV. Sub noctem Gordonus, Agens Regis Angliæ, cùm suum inuisisset, nostrū Leg. quam primum salutatū venit, illique narrauit victoriā quam paucis ante diebus, Bannerius Suecorum in Saxonia Dux, de Saxonicis retulerat; cæsa nimirum duodecim hominum millia, à Baudissèno ducta. Dixit, Regem Angliæ, ad Imperatorem expostulatum misisse, quod Palatinum Rheni in patrimonium suum restituere nollet, vti promiserat, atque adeo eidem Palatino Regem Angliæ Exercitum dare, vt se Christianissimo Regi aliisque fœderatis coniungeret; initamque magnam amicitiam inter Galliæ Angliæque Reges, quod Senecterii, Legati Extraordinarii, operâ factum erat.

XVI. Thorunio allatus est à Mercatoribus quibusdam nuntius, Galazzum à Duce Bernardo Vveimario in Lotharingia profligatum esse ad triginta hominum millia.

Inuisit Cirenbergium Præconsulem, Illustr. Legatus, cuius filiam Constantiam Cirenbergiam, canentem ludentéq; instrumento organico audiuit. Formosissima illa est totius Vrbis femina, omnium quæ feminas decent, artificiorum perita, musicès verò ad miraculum vsque. Est illa præstantissima voce, canitque ad Italicum morem, qui solus in Polonia ac Germania notus est. Cùm illius fama in Italiam peruenisset, dignam illam iudicauere insignes Musici Mediolanen. cui librum dicarent, nuncupatum. *Flores Præstantissimorum Virorum* (intellige de Musicis) *à Philippo Lomatio delibati*. Cui libro ele

gantissimam Epistolam ad *Const. Cirenbergiam* præposuerunt. Quidam qui Dantisci fuit, quique nunc in Belgium transiit Neranus, in illius laudem suauissimos versus Elegiacos conscripsit; Meliores certè toto hoc Septentrione non legi.

Coram illa Varennus noster cecinit, cuius modulos moremque canendi valde laudauit, confessaque est, se nunquam Gallicè canentem quenquam audiuisse. At illa tamen cantionem Gallicam nobis præsentibus cantare ausa est, suo tamen Italico more: doceri se deinde à Varenno postulauit, cumque illo cecinit. Lectissimæ feminæ virtutes laudauit impensissime humanissimus Legatus, præsertimque modestiam, non illam vulgarem atque seruilem, sed quæ honestos ingenuosque natales redolet.

XVII. Litteras Latinas scripsi ad quosdam Poloniæ Proceres; Interim dum Illustriss. Legatus ad Regem præcipuosque Palatinos scriberet.

XVIII. Quæ Dominica fuit, Illustr. Legatus ad Ecclesiam Carmelitarum se contulit, qui illum comiter susceperunt. Prædicationi Polonicæ interfuit Missæque, magno plebeculæ concursu. Liberalitatem ibi suam in pauperes Religiosos contulit, vti passim facere solet.

XIX. Illustriss. Angliæ Legatus, qui ad primum ab Vrbe lapidem diuersatur, Legatum nostrum ad prandium inuitauit. Illum comitati sunt Gordonus, Agens Regis Angliæ, ac Præconsul Cirenbergius. Adfuit isti conuiuio

Vxor Gordoni, ad morem Anglicum vestita, tametsi Dantiscana sit, quæ sua pulchritudine, atque cultu oculos nobis perstrinxit, nam in comparationem matris eius, quæ Germanico, & sororis, quæ Polonico more indutæ erant, illa è Veneris grege conducta videbatur; adeo brachia papillasque denudauerat; capillos sparserat atque torserat, pretiosâ denique ac conspicuâ veste, ad mollitiem vsque se instruxerat. Scilicet illa ex Anglia redibat, vbi per duos menses has artes, tam feliciter didicerat; ad quas etiam quasi suopte genio, non satis insaniret, ex mariti qui illam deperibat, persuasione impellebatur, qui hoc ostento tam præclaro vniuersum Gynæceum siue Germanicum, siue Polonicum, obscurare credebat. At dici non potest, quantùm inuidiæ inusitati illi habitus, apud seueros populos concilient, quorum feminæ reconditis capillis suis, belluarum siue pelles, siue crines pro maximo cultu induuntur. Humanissimè à Legato Anglico excepti fuimus, ac pro regione lautissimè.

XX. Litteras accepi à D. Fran. Florido, Vvarsauiæ datas, 8 Nouembris, vbi plura narrantur; scripsit item ad Illustr. Legatum nostrũ, Regem Poloniæ salutauerat, eiusque Fratrem, Carolum, Nyssæ in Silesia Episcopum, itemque sororem Hispanico more vestitam, vultu satis venusto, staturâ deteriore. Quædam Guldestierna toti gynæceo præstabat.

Misit idem ad me breuiculum Latinè scriptum, quo ferebatur, Principem Casimirum pe-

riculum vitę vix euasisse cum Gallis decertando. Oposkium interemptum. Coloredum iussu Regis Hungariæ in custodia positum, qui Principem in id discrimen duxerit.

XXI. Ego cum Varenno adii Constantiam Cirembergiam, cum qua per plures horas cecinit. Animaduertimus, diem illam esse Vigiliam B. Cæciliæ, quæ Parisiis tanto Musicorum concursu celebratur, quam illi cum virgine, nos cum castissima femina transegimus.

Eadem die insignem Phrygii operis tapetem vidi apud vnum è Præconsulibus Dantiscanis, cuius vxor est artifex: tam est opus illud tersum, subtile, ac rite adumbratum, vt optimæ picturæ adæquari possit.

XXII. Descripsi plurimas Illustriss. Legati litteras ad varios Palat. addidique vnam ex meis ad Illustriss. ac Reuerend. Nuntium Apostol. qui est in Aula Polonica, vt legendorum aliquot librorum facultatem mihi concederet, quam D. Theodorico, Legati nostri Oeconomo, ferendam dedi.

XXVIII. Missus fui ad Gedanensem Senatum ab Illustriss. Legato, vt Legioni Baronis *Schut*, Sueci, qui Pilauia in Pomeraniam terrestri itinere transire volebat, commeatum daret, quia mare per summas tempestates imperuium erat. Didicimus, B. Auaugurium per quindecimę dies Pilauiæ moratum esse, ac denique, cùm nauem quæ in Sueciam solueret, non inueniret, in Hollandica, Elsingoram vsque profectũ. At, quod nos valde anxit, relatum est, duabus

horis postquam in nauem ascendit, summam tempestatem fuisse obortam.

A prandio Mochingerus, vir πολύγλωττος, Illustriss. Legatum inuisit, ac deinde Dominus Bergmannus.

Prima Decembris duos PP. Dominicanos, viros pios ac doctos, cum quibus non inutiles sermones conseruimus, Illustris. Legatus prandio excepit. Didicimus ab illis, solum istud Gedanense à Ducibus Pomeraniæ Dominicanis datum fuisse, eorumque originem Vrbe ista antiquiorem esse, quæ tamen deinde in hanc potentiam creuit, vt Monachi penè oppressi sint, ac deleti. Arguitur nihilominus eorum vetustas, ex ædificiorum vetustate atque ruina imminente.

III. Magnam litterarum copiam è Gallia accepit Illustris. Legatus, tam à Rege Ministrisque, quàm ab Illustris. suo Patre, qui vtique ad me scribere cum summa comitate non dedignatus est. Datæ erant recentiores litteræ 26. Octobris, accepi item litteras à Fratre meo, atque à Steph. Caminæo Latinas. Marchio *de S Chamont* scripsit ad Legatum nostrum, se ad Regem Daniæ proficisci, quod vtique mandatum Rex Christianissimus nostro Legato dederat, si Regi Daniæ propior esset. Litteras à *de la Tour*, de cuius salute timebamus, accepimus. Itaque fausta contigerunt omnia, præsertim cùm ex Aula impensissimæ laudes Illustr. Legato nostro tribuerentur.

V. Illustris. Legatus Baronem *Schut*, Suc-

eum, prandio excepit. Ac deinde adiit *Vpogen*, virum bonum, qui argentariam exercet. Per hos dies impressa fuerat typis Dantisci relatio, quæ impudenti mendacio narrabat, Parisiis tumultum esse factum aduersus Card. Richelium; nec id tantùm, sed constare pro certo, quatuor prouincias in Regem rebellasse; Quæ calumniæ cùm expressissimè litterarum nostrarum tenore refutarentur; Iussit me Legatus Cirembergium Præconsulem adire, ac suo nomine de illa relatione conqueri. Quo quidem de negotio cùm Præconsul apud Senatum postero die retulisset, arcessitus est Typographus, qui aliam Stetini impressam relationem exhibuit, vnde hanc fabulam transcripserat, quod illi excusationis loco fuit. Verumtamen prohibitum, ne deinceps res huius momenti incautè ederet in vulgus.

VII. Illustriss. Legatus Anglicus nostrum adiit, ac postea per serenum frigus extra Ciuitatem deambulauimus, didicimusque superiori die, nauim mercatoriam in portu fuisse absorptam, tam vehemens fuerat illa tempestas. Aliquot antea diebus duæ aliæ ibidem perierant, inter quas fuit illa nauis bellica, quæ ad Regem Poloniæ pertinebat, quæque à Suecis, dum Stumsdorffii ageremus, retenta fuerat. Credo, in illa totam Poloniæ classem fuisse positam, nam portus sibi proprios illa non habet. Pilauia, Regiomontũ, ac Memelia, ad Electorem Brand. quatenus Prussiæ Ducalis Dominus est, pertinent. Habet itaque Rex Poloniæ tantùm locum

siue stationem, vbi portus institui potest, quatuor mill. aut quinque à Dantisco in Pomerania; Ibi est oppidum N. *Putsko*. At enim ea est Polonorum incuria, vt quoniam nunc cum Suecis conuenerunt, de illo portu instituendo ac classe ædificanda ampliùs non cogitent.

VIII. Conceptionem B. Mariæ Virginis, apud Dominicanos celebrauimus. A prandio Legatus inuisit *Cetton*, Scotum, qui Admiralius appellatur, nam mare quod illi subiaceat, nondum deteximus, nesciòque cur illi hic titulus tribuatur. Habet vxorem è Belgio, Gallicè loquentem; ab illis valde comiter fuit exceptus Legatus.

X. Litteras è Gallia accepit Legatus, quibus ferebatur, Ducem Sabaudiæ ac Marsch. Crequium à Valentiæ obsidione recessisse. Relationes Belgicæ ferebant, asperrimum fuisse inter Gallos ac Cæsareos prælium ad Lotharingiæ limites, incerto tamen rumore. Litteræ Gallicæ ferebant, ex communi fama destinari ad Conuentum, qui Constantiæ iniri debet ex parte Regis Christianissimi, Marsch. *d'Estrée*, *Bethune*, *d'Auaux*. Vel etiam aliquos credere nullum Conuentum fore, adeò partes ad bellum exarserunt. Aliquot insignes viros ex nostris in velitationibus contra Cæsareos factis cecidisse, Marchionem N. *de Mouy* ac Cahensacum, quem noueram, per relationes Gallicas didicimus.

XIII. Sudo serenoque cælo cum duobus Scabinis honestis Viris *Brant* ac *Ferber*, ad Schotlandiæ pagum, siue Suburbium spatiatum iui.

Diuisum est Suburbium illud inter Ciuitatem, ac Remp. Dantiscanam, ex vna parte, & Episcopum, ex altera, suntque ibi plurimi omnium artificiorum fabri. Sunt item plures Ecclesiæ, Iesuitarum alia, alia Lutheranorum. Sunt & illic Anabaptistarum, quorum magnus numerus est, conuenticula; nam publica templa non habent. Interluit pagum, quàm longus est, limpidus fluuius, aggeribus munitus, qui quidem ad Ciuitatem non ad Episcopum pertinet; ex eo, quia altior est, manant canales, ex quibus tam multi publici priuatique fontes per Gedanum saliunt.

Ea die Illustr. Legatus à Theodorico, quem Vvarsauiam miserat, litteras accepit, quibus ferebatur, Regem doluisse, quod illuc ad Comitia Legatus Galliæ se non contulisset.

XV. Legatus Britannicus Vbaldum, Dantiscanę militię Præfectum, strenuum celebremque in Germania Virum, ad Legatum nostrum salutandum deduxit, nimirum quia ille Germanicè tantum loqui sciebat, ideoque se illi cum summa humanitate comitem, ac interpretem Legatus Britannicus adiunxit. Eius est virtutis Præfectus iste, vt mercatoris qui pannos vendit, filius cùm sit, atque adeo tabernæ ac mercimoniis à natura destinatus, rem militarem tamen tam feliciter aggressus sit, vt nuper illum Imperator, honestissimis litteris ac conditionibus oblatis ad stipendia sua compellauerit; quod recusauit tamen, siue quod Imperatori seruire nolit, siue quod sua sorte sit contentus. Milita-

uit antea sub Suecis, sed illis nunc vehementissime aduersarius est, eo quòd Cancell. Oxenstierna, Secretarium eius qui pecuniam pro stipendiis Vbaldi flagitabat, percusserit, nec dignatus sit illius litteris respõdere, quod graue in Germ. putant. Hanc ab Oxenstierna acceptam contumeliam, parum abfuit quin Vbaldus, in Oxenstiernæ filio vlcisceretur; nam, cùm è tractatu Stumsdorffii ille rediret, ac per Dantiscum in Pomeraniam transiret, misit in Oxenstiernæ diuersorium aliquos ex officialibus suis Vbaldus, qui illum superbè aggressi, suum Præfectum mirari dicerent, cur tam fidenter in Vrbem, in qua ipse imperaret, ingredi ausus esset, præsertim cùm illatam sibi à Cancell. iniuriam non ignoraret. Ad quas voces cùm prudenter, ac summisè iunior Oxenstierna, alioquin satis superbus, respondisset, se istius rei prorsus ignarum esse, seque apud Patrem operam suam collocaturum, vt Vbaldo satis fieret, remouit à ceruicibus suis intentatam, ac paratam vltionem. Interea Legatus Britannicus illum sedulò admoneri curauit, vt nisi maturè ex vrbe ac ditione illa se eriperet, periculum esse, ne vel ab Vbaldo, vel ab aliis Cæsareis militibus inuaderetur; cui consilio statim paruit. Dixit Legato nostro Vbaldus, se, si litteras, quibus ab Imperatore euocabatur, tunc cùm Oxenstierna transiit, accepisset, se ad satiandam vindictam, Imperatoris partibus accessurum fuisse, captoque Oxenstierna atque Imperatori tradito, fidem suam hoc pignore nexurum atque addicturum fuisse.

Certè, cùm per hos dies Gedanum appulissemus, quibus iunior Oxenst. transierat, audiuimus viros non ignobiles, qui dicerent, se conuiuio interfuisse, in quo Vbaldus baculum exhibuerat ac sustulerat, quo se Oxenstiernam percussurum fuisse diceret, nisi summisse officialibus suis respondisset. I nunc, ac Proceribus Ministrisque Regnorum inuide fortunam; quibus ab hominibus nullorum stemmatum tanta pericula creari possunt.

Memini Comitem *de la Garde*, Suecici Exercitus Ducem, dicere Legato nostro, hunc Vbaldum & Artichaussium, Colonellum Polonum, qui Mesuæ oppiduli præfectus erat, plus sibi molestiæ facturos, si bellum gereretur, quàm integros exercitus, ac ipsos siue Saxoniç, siue Brandeburgi Electores.

XVII. Adiuimus non ignobilem pictorem, apud quem imaginem B. Virginis Alberti *Durer* inuenimus. Est illa Angelis circum caput septa, dextrâ Christum infantem, sinistrâ flosculum album tenet. Minor est illi oculus sinister, quod cur factum esset, cùm interrogaret Legatus. Quandoquidem (inquit pictor) hoc ita est, rectè ac cum summa ratione factum fuisse oportet: neque enim mihi huiusmodi artificem reprehendere licet, at admirari tantùm, longissimoque, si possim, interuallo imitari.

Accepit litteras Illustris. Legatus à March. *de S. Chamont*, quibus ferebatur, hanc pugnam in Lotharingia, de qua rumor vbique peruaserat,

veram non esse, Galassumque fame pressum versus Bohemiam recessisse.

Aperitur ea die in tres dies sequentes circum Metropolitanam Ecclesiam mercatus, in quo omne genus infantilium nugarum proponunt. Huc omnes matronæ ac virgines præcipuæ, ac etiam plebeiæ confluunt, emuntque quod filiis vel cognatis infantibus donent, quibus persuadent, si erga nascentem Christum pii sint, *omne* genus ludicrorum ac bellariorum illis abundè affuturum, illis itaque hac spe illectis, in Vigilia Natalis Dominici ieiunare persuadent, & antequam dormitum eant, vel lancem, vel corbem mensæ aut alibi apponunt, quo Christus de nocte munera sua conferat. Interim seruo aut ancillæ campanulas in tibiis nectunt, qui per tenebras in infantium, qui id auidè expectant, cubiculum cum sonitu se insinuet, ac *tum demum* pueri puellæq; Christum aduentasse autumant; & cum dies illuxit, magno cum gaudio & exultatione munuscula, quasi cælitus allata, venerantur, ac deinde pertractant, eaque etiam vt plurimùm, antequam dies elapsa sit, effrinxerunt.

Eodem artificio famuli suas lances dominis, aut aduenis offerunt, vt suum Christum, sic loqui consueuerunt, hoc est, sua Xenia consequantur.

XXV. Piè, vti Christianos decet, Natalem Dominicum transegimus. Interfuimus manè concioni Germanicæ, Processioni Dominici Corporis cereos gestantes, ac deinde ad Sacro-

ſanctam menſam inter Miſſarum ſolennia acceſſimus. A prandio veſpertinis precibus, iterumque proceſſioni, magno populi tam Polonici, quàm Germanici concurſu. Interim Lutherani in Eccleſia maiore ſuas preces maximo vocum, organorum, aliorumque inſtrumentorum concentu, ad noctem vſque protraxerunt, quibus ob diei religionem (tametſi id maximè ob muſicam cuperem) intereſſe non potui.


XXIX. Petrum Krugerum, inſignem Mathematicum, adiit Illuſtriſ. Legatus cum P. Bergmanno: duas ille nobis Sphæras ex Copernici mente fabricatas exhibuit, explicuitque.

Vltima die anni huius 1635. maximo gaudio perfuſus ſum, cùm litteræ Baronis Auaugurii ad nos perlatæ ſunt, quæ illum Elſingoram appuliſſe ſignificabant. Nam horrenda tempeſtas, cuiúſque paris apud homines memoria non extat, per hos dies, quibus è portu Pilauiæ ſoluerat, non modò mari Baltico, quod periculis ac ſcopulis infame eſt, ſed & ipſi Oceano incubuerat: quippe in Oceano ad Noruegiæ plagas, ſexdecim ſupra centum naues, octodecim verò in mari Baltico ad Bornholmiam Inſulam, periiſſe narrabant. Memorabat mihi per litteras ſuas Gernandus, diſcrimen quod in ipſiſſimo loco, ac freto per eos ipſos dies anno præterito ſubieramus, in iſtius recentis comparationem perexiguum fuiſſe. Credo, quia in illius ſenſu ac experientia, præſenti, iſtud recentius erat. Verumtamen in eo maius eſſe potuit, quod an-

no ſuperiori; in fortiſſima ac munitiſſima naue, quinquaginta aut ampliùs nautas ac remiges habebamus: Cùm miſeri illi in tenui ligno, ad ſummum ſex aut ſeptem viros haberent, certè, cùm iſtius nauigationis hiſtoriam intueor in litteris Gernandi, horreſco relegens.

Ea ipſa die litteras Lutetia à fratre, à ſorore, à Claud. Rich. atque à P. Bonartio iucundiſſimas accepi, ac per fauſta illorum omnium vota, amicorumque aliorum commendationes, concluſi feliciter (quoniam ita placuit Deo) Annum M. DC. XXXV.


Finis Itineris Polonici.




FRANCISCVS OGERIVS
LECTORI BENEVOLO S.

HVmanissime Lector, libet hic paulùm interquiescere. Dabimus aliàs Reditum Illustrissimi Legati in Galliam, per Vrbes Hanseaticas & Hollandiam, si te huiusmodi scriptionis genere delectari intellexero. Modò non patiuntur rationes occupationesque meæ, longiùs me progredi. Habe interim Nicolai Borbonii elegantissimas Epistolas, & suauissimâ earum lectione oblectare. Nimirum si importunè, alieno etiam in loco, illas tibi obtruderem, gratias tamen fortunæ felicitatique tuæ haberes, quæ te quomodocumque, huius litterarii Thesauri hactenus inediti, compotem faceret: Nunc verò, cùm ista litteræ ad Legationem Memmii pertineant, quippe quæ ad ipsum data sint, dum in Borealibus Regnis ageret, earumque sæpius hîc mentio fiat, fateberis non potuisse alibi commodiùs edi; meque eximii Artificis tabulas in bono lumine collocasse. Quidni? quibus & fortasse vmbræ non desint lenocinantes, à vicina & minùs compta Caroli Ogerii oratione. Quidquid huius sit, malui iniqua comparatione, nonnihil laudis Fratri deperire, quàm eiusmodi delicias inuidere publico. Prodeant ergo Clarissimi Viri

Epistola, ac quemadmodum te, hac Itinera ingredientem, excepit Borbonius; ita tot peregrinationibus defatigatum, & ingratis quasi hospitiis malè multatum, recreet atque reficiat. Vtinam verò quæ Amicissimo & Doctissimo Viro, aliisque eiusdem Ordinis, identidem rescribebat Illust. Memmius, ad manum essent. Haberes unde vel omnem maris Baltici nauseam abundè abstergeres: Vnam modò aut alteram, ex chartea nostra supellectile, exhibeo responsionem, ex qua tamquam ex suauissimo gustu, quantus etiam in nostris litteris fuerit vir ille, experieris; qui Gallicè cum Victuro & Balsacio; Latinè cum Borbonio paria faciebat.





NICOLAI BORBONII

EPISTOLÆ.

I.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino, D Claudio Memmio, Christianissimi Regis ad Septemtrionis Reges Legato extraordinario, &c. S.

VIR ILLVSTRISSIME,

Nescio quo pacto animus meus acus magnetis nautica factus est, perpetuòque in Septemtriones vergit, ex quo Excellentia tua illuc à nobis discessit. Caussa profectionis vehemens tuus reipublicæ amor, qui etsi ardore suo frigora illa facilè superabit, nos tamen nonnihil de tua incolumitate sollicitos habet, ne quid ei officiat insolentis aëris & cęli asperitas. Quamquā maius periculū imminere videbatur, nisi à Legatione Italica ferè annum in Gallia interquieuisses, vt habitudo tua pugnantem illam ex aduerso tepentis oræ temperiem, paulatim dediscceret, nec ab vno veluti extremo ad alterum transitus, tibi sine medio daretur, quod vtique fieri posse negant Philosophi. Enimverò per omnes mundi plagas, iter tibi ad gloriam

munire pergis, dumque bene mereri de Rege, & patria possis, adeo non grauaris æstum aut frigus, vt nullos præterea labores, nulla terræ aut maris pericula certus sis defugere. Plerique quibus animus, vt non tantæ laudis egens, sic nec tanti muneris capax, suam ignobilitatem desidia & ganeis solabuntur, & sicubi tuæ Excellentiæ mentio inciderit, illos Flori hominis dissoluti in Hadrianum Cæsarem versiculos, in non dissimili occasione reuocabunt.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Digni herclè talione, & eiusdem Hadriani responso.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Vnum scio, te nunquam tam longè à nobis abfuturum, quin prægressam vlterius Memmii nominis famam semper comperias. Non tam auersus equos populis Sol iungit ab istis, nec adeo vltra anni Solisque vias iacent, vt non priùs de tua virtute, déque tot experimentis perspecta in grauissimis rebus obeundis solertia, fando inaudierint, quàm teipsum viderint. Certè crebra & honorifica tui mentio apud nos, vel si cæteri muti essent, non silente illo, rerum nouarum, quæ venales circumferuntur singulis sabbatis, Exscriptore; præsertim cum de rebus Daniæ, & Tractibus illis agitur, vt hodierno

die Hispani Legati ex aula Danica discessum legere mihi contigit, addita causa, quòd minus tecum illi conueniret. Sed quod maioris est ponderis ac momenti, audio frequens & libens ex admodum Reuerendo Episcopo Maclouiensi; quanti te faciat Eminentiss. Cardinalis, & quantoperè tuis litteris, seu oblectaretur, seu instrueretur, quas Venetiis ad eum dabas, cùm in castris ad Rupellam esset, & semper aliàs, tanto iudicio, tamque expedita elocutione scriptis, vt à nemine vmquam Legatorum, æquè ingenio suo satisfactum inter familiares prædicare soleat. Quæ cùm etiam in circulis & coronis de te dicuntur, omnium assensu excipi probè scio. Scribo ad te iussu tuo, memor quid iniunxeris mihi discedens, alioqui qua fiducia auderem ad tantum Virum? Partim inualetudine, partim occupationibus, quæ plusculæ nunc ingruunt, ad id officii cunctantior: quando etiam vix suppetit quod scribam. Nam de iis quæ in vrbe aguntur, aliunde certior fieri & potes & soles, suntque qui plura me norint, homine tenui ac solitudini magis addicto. De re priuata si quid attingerem, abuti tua patientia, & insanus haberi meritò vererer, quamquam satis expertus sum, quantum tibi meæ rationes cordi essent, recenti tuo tuorumque beneficio obstrictus. Propterea celatum te nolim, Eminentiss. Cardinalem me sibi oppigneraſſe, vltrò & liberaliter, ducentis aureis annuis in reliquam vitam donatum, idque tabulis rite confectis, & in publicum Fori Parisiensis tabularium, vt vulgò dicunt, in-

sinuatis. Hæ porro sexcentæ libræ ex vectigalibus subsidiorum, quæ vocant, in publicis Vrbis ædibus percipiendæ, vbi nomen ille habet mille sexcentarum, & ampliùs librarum, ad meas sexcentas disertè oppositum, quod ita illi placitum pro affectu erga me suo. Ego verò tantam munificentiam nondum vllo genere officii prouocaui, nedum meritus sum, nisi quod operâ meâ vsus est in aliquot inscriptionibus Latinis, ad imagines Illustrium Galliæ Virorum, in sua porticu apponendis, quarum ei nonnullæ satis placuerunt. Longiorem Epistolam habes, quia raram & è tam longinquo missam, vix decuit esse breuiorem, sed raptim & stilo incomposito scriptam, vt excuses, Tuam Excellentiam enixè rogo, quam Deus Opt. Max. incolumem faxit, nobisque aliquando huc reducem, re prosperè gestâ, sistat. Vale. Lutetiæ, pridie nonas Nouemb. anno salutis, 1634.

Vestræ Excellentiæ addictissimus,
NICOLAVS BORBONIVS.

II.

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISsimo Domino, D. Claudio Memmio, Equiti, Comiti Consistoriano, Christianiss. Regis in Sarmatiam, Daniam & Sueciam Legato, &c. S.

VT nunquam putaui me tibi rem gratam facturum, si amicitiam tuam in vltimis

terris agentis, sola duntaxat recordatione, & silentio colerem: sic ex aduerso verebar, ne cum Excellentia tua paulò familiarius agere viderer, nisi verecundâ litterarum breuiloquentiâ, saltem summissioris erga te obseruantiæ aliquam tibi significationem darem. Nunc cum libertate Decembri, vti mihi permittas, datis ad me, ipso mense, tam luculentis, tantæque beneuolentiæ plenis litteris, video mihi seruo tuo factam esse prolixius cum Domino colloquendi, velut in Saturnalibus, potestatem. Quæ securitas mihi excusationem præripit: nam, si parum elegánter nec copiosè, more meo, scripsero, non iam parcus, sed rudis & ieiunus, non modestus & pudens, sed sterilis & infans habebor. Sed, si me ad hanc vsque diem, mutum natura finxisset, tamen ad initium Epistolæ tuæ, præ metu, repentè, vt olim Crœsi filius, vocalis fierem, ipsaque commemoratio tuæ in mari Baltico iactationis, omne mihi linguæ impedimentum abrumperet. Deus immortalis! vt totus legendo cohorrui! vix ipsi mihi credens de salute tua, etiam postquam, summa Dei benignitate, te prorsus defunctum periculo, ex sequentibus intellexi. En quò patriæ amor tanti pretii animam egit! Cùm nihil propius factum fuerit, quàm, vt fœda tempestas, post tot dierum capitis dimicationem, in alienum littus te naufragum eiiceret. Vt à Virgiliana parodia tanti casus narrationem ingressus es, sic patere indidem à me tibi reponi verba Didonis Æneam increpantis.

Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum?
Sed non nisi per varia discrimina itur ad tantam gloriam, nec fortasse res Gallicæ sinebant expectari vernum tempus, nauigationi magis idoneũ. Nos interim Littoralibus Diis, vota pro salute tua, cùm hinc discederes, nuncupata, magna fauentia & religione persoluamus. Magni patris magna proles Thuanus adornat profectionem Constantinopolim, quem non amicorum monita, non recens decessorum infelicitas, ab ista Legatione deterret. Tibi cum asperioribus fortasse elementis, cæterùm hominibus, nec litterarum incuriosis, nec humanioris vitæ expertibus, iisdemque Christianis, licèt nimis lata, etiam ab Orthodoxis discrepantia: Sed illi cum portentis & Cyclopibus res futura est, iam acceptis litteris, de feritate naturæ illius qui rerum ibi potitur, edocto, cum quotidianas cædes sine iusta causa imperare, pro ludo habeat. Enimuerò scio, multos hîc esse, quos pœniteat, omissæ visendi tecum longinquas Septentrionis prouincias, tam pulchræ occasionis, qui si hoc tempestiuiùs præuidissent, magni muneris loco habituri erant, si ad comitatum Excellentiæ tuæ sese adiungere ipsis licuisset. Quidam ex hac familia Sacerdos, quondam regiarum rationum auditor, homo locuples, post lustratas in adolescentia Italiam, Germaniam, Britanniam, dolet non Sarmatiam quoque, Gothiam & Cimbros, sat citò induxisse in animum tecum peragrare, sub tutela scilicet & legatione

tanti viri, cui libens etiam in quottidianis ſacris, ſed volonis more, operâ dediſſet. Ego certè expecto à doctiſſimo Ogerio tuo, nec non à Floro Caluimontano, eximio Theologo noſtrate, plura me & veriora de regionibus illis edoctum iri, quàm Saxo Grammaticus & Olaüs magnus ſcriptis prodiderint. Interim gaudeo, vos fallere tædia longarum noctium eruditis ſalibus & carminibus; quibus tantum Enthei caloris ineſt, vt meritò dubitem, num Polus Arcticus, aduentu veſtro, præter naturæ ordinem incaluerit, an potius vobis calor, inſitus per circumobſiſtentiam, aduerſus illa frigora ſeſe acrius intenderit. Ego & Ogerius vim admirabilem excitatiſſimæ tuæ mentis ſuſpicimus:

Scimus & ad noſtras cum ſe tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

Proinde mirificè oblectatus ſum illa veſtrorum carminum (vt Agellii verbo vtar) mutitatione, mutuiſque veſtrarum curarum delinimentis: ſimul me afficiunt peregrina illa nomina Stocholmiæ, Vpſaliæ, Calmariæ, Norcopiæ, Sudermaniæ, Smolandiæ, aliáque id genus, quæ iniuriosè appellare nolim, vt Actius Syncerus Sannazarius noſtræ Galliæ, more Italorum iniquior, cùm ſuum & Neapolitani Regis exilium Eclogâ defleret.

Addidit & varias, heu! barbara nomina, gentes,
Bellonacos, Morinoſque, &, quos quis dicere poſſit?
Tarbellos, &c.

Nam, vbi nemo vos audiret, nisi Latinè sciretis, quid barbarum dici possit, non video: Immo, vero simile sit, istud magis in Italos conuenire, à quibus exulat Latium, & primis omnium litteræ politiores, ac disciplinæ liberales opico contemptu, euiluerũt. Admodum Reuerendus Episcopus Maclouiensis, in Armoricam profectus est, ad Comitia Prouinciæ circa Idus Nouembres, quem reducem non expectamus, nisi vere ineunte, ei, cum primum ad nos redierit, salutem nomine tuo nuntiabo, quantique facias eius amicitiam, etiam ex litteris ostendam. Quod me hortaris, vt Eminentiss. Cardinali gratum animum ingenii opera probem, & currenti, quod aiunt, calcar admoues, habeo gratiam Excellentiæ tuæ, quæ obuium menti meæ consilium suggerat, meque in proposito rei aggrediendæ, licet non pari spe perficiendæ, confirmet. Iam festinaueram rudem eius argumenti Panegyricum, cuius ad te nuda duo exemplaria transmitto, magis ne officio desim, quàm quod digna videatur tabellariis sarcina, meritóque vereor, ne inde tibi maior oboriatur nausea, quàm qua nuper in mari Baltico conflictatus sis, aut porrò alio Gedanum vsque trajectu, metuere possis. Sed tanti, vti spero, erit apud Te solius materiæ dignitas, vt ignobilitatem carminum, spe meliorum deinceps, aut excuses, aut toleres. Interim cuperem efficaci carmine, aut prece, impetrare tibi à Deo secundos in Sarmatiæ littus ventos, non quos emi vel conduci pecunia fabulantur, à famosis Sueciæ & Nor-

uegiæ Magis, quod vulgi figmentum sit, necne, per vos qui in rem præsentem veneritis, omnis tolletur dubitatio. Certè, numquã adducar, vt credam, etiamsi rei veritas constaret, eiusmodi Te remigum operâ vsurum, aut ab Æolis istis inclusas vtribus tempestates emercaturũ. Quin potius Deum immortalem, terrarum, & maris vnum potentem, obsecro veneror que, vt reflexo paulisper in Orientem cursu, Te in Sarmatiæ littus saluum sospitemque expositum, in regiam titulis nostris aliàs adiunctam deducat: vnde rursus per plana & aperta regionum, mores multorum hominum conspicatus & vrbes, à quibus discesseris summè desideratus, ad nos tandem omnibus tuis magnopere spectatus redeas. Vale. Lutetiæ, 7. Cal. Martias, anno. S. 1635.

Tuæ Excellentiæ iustis de causis addictissimus.

N. BORBONIVS.

III.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENT.

Domino, D. Claudio Memmio, &c.

OMnia quæ Mariæburgi acta sunt, quorum pars magna fuisti, & idcirco regum & gentium pacificator audis, fusè ac eleganter scripsit ad me Carolus Ogerius. Nouum istud Excel-

lentiæ vestræ beneficium, quæ aliàs solita dignari me propria manu & stilo, vbi per occupationes minùs licuit, tantarum rerum voluit, hoc internuntio, me facere certiorem. Respondi ei paulò lentiùs ob pertinacem valetudinem, ac ferè post mensem, & eruditissimo Sacerdoti, verè germano Ogerio, qui mihi, fratris litteras reddiderat, vicissim meas commisi transmittendas, fortè alieno die & tempore, iam profectis tabellariis, vt vero simile fiat, tanto seriùs ad vos esse peruenturas, si tamen non penitus interciderint, quod magis verebar. Interim alias à te Calendis Octobris Gedani datas, peruigilio Epiphaniæ accepi, eiusdem ferme argumenti cum Ogerianis, sed cum insigni auctario; in quibus vnum me valdè perculit, quod significare videris, me incautiùs & parùm ex animi tui sententia fecisse, qui Orationem quam ad me *miseras*, à te in Comitiis Sueciæ habitam, cum aliis communicarim: nimirum audire te, extitisse aliquos, si Diis placet, censores, qui velut in ea oblatam sibi carpendi materiam arripuerint. Miratus sum, vnde rumor iste ad vos, tanta terrarum intercapedine, manare potuerit, cuius ne tenuis, quidem aura antea meas aures afflauisset, neque verò eius legendæ aut describendæ potestatem nisi rogatus, & Viris lectissimis feci, quorum habes iudicia, & studia merito virtutis, nec alioqui me silente quisquam perperam, & ineptè Criticum egisset. Vereor, ne ridiculæ sit arrogantiæ, offerre me vadem ad præstandum, si quod sit, periculum, & profiteri me defensorem

eius Viri, cuius nomine aliquod adhuc litteris superest decus, & dubiis etiam authoritas accederet. Nolo tibi laudem iniqua comparatione quærere, sed scio magnorum quondam in toga virorum orationes recens typis excusas, quas post discessum Henrici III. è Polonia, in Comitiis illius regni habuerint, quæ cum tua collatæ, mera infantiæ crepundia viderentur. Sciscitatus sum quoque ex admodum Reuerendo Maclouiensium Episcopo, ecquid ea de re compertum haberet: respondit, se, multos qui præclarè sentirent, neminem qui de te secus hiscceret, audiisse. Atque is ipse (vt omittam Apologiam minimè necessariam) iam gratia excidit, ob nimiam in dicenda sententia libertatem, cùm de alienandis bonis Ecclesiasticis, & augendis decimis, in Conuentu sacri Ordinis ageretur, palam à Rege asperioribus verbis increpitus. Neque verò precibus, aut minis Eminentiss. Cardinalis Ducis, quicum sæpè verba commutauit, neque obtestatione amicitiæ, & cõmemoratione beneficiorum exprobrationi propiore, de suscepta semel opinione dimoueri potuit. Cætera ei gratus studet ex animo, & in fide, cultu, & obsequio religiosè perseuerat; sed quamuis pacato in speciem animo, & vultu ab Eminentissimo Cardinale excipiatur, tamen frigore percussus creditur, nec ferè quisquam est, qui adhuc inter eos omnia integra constare putet. Hęc & alia quædam scire aliunde poteras, vt quod eadem libertas nonnullis è Senatu fraudi fuit, quorum Amitinus vester iunior, Salmurium

concedere iussus, duo in Aruernos; duo in Andegauensi arce inclusi. Sed deerat ferè quod scriberem, nisi de rebus minorum gentium aliquid tibi dici velis, cuius generis vnum hoc duntaxat audies. Grangerius non incognitus Eloquentiæ Professor, sexagenario maior, vxorem duxit, abdicatâ priùs Collegii Præfecturâ, quæ ad cælibem iure pertinebat, & à summo Pontifice factâ sacrorum ordinum gratiâ; susceperat iam ex ea muliere liberos, quorum status ex postfacto est melior, cum legitimis parentum suorum nuptiis, quod non omnibus datum est, viui ac videntes interfuerint. Cæterùm nubeculam hanc, de qua paulò ante, breui serenitas excipiet, vt speramus ex Dei Opt. Max. clementia, Regis felicitate, Eminentissimi Cardinalis Ducis sapientiâ, pace in orbe Christiano constitutâ, cuius tu pararius omnium votis & vocibus designaris. Et sanè, qui, vi admirabilis facundiæ, ferociora quam Thracum pectora mollire potueris, ac omnino perfeceris, ne essent quod veteri carmine iactantur, *Phrenetici Septemtrionum filii*, minoris tibi futurum negotii creditur, animos Italorum, Germanorum, ac Hispanorum magis tractabiles in concordiam reducere. Lautia tibi fuerunt, ensis quo te Sarmaticus exercituum Imperator donauit, accepta per te missione, cameli, equi generosi, sed imprimis Palatini Belsensis carmen, illustre operæ à te nauatæ testimonium. Eandem vt præstes, & vt hæc prouincia tibi sorte obueniat, omnes

ardentissimis

ardentissimis precibus à Deo exposcimus, si annuerit, duplicem inde, & rerum in melius mutationis, & saltem absentiæ tuæ propioris; fructum laturi. Vale, Lutetiæ, 17. Calendas Februarii, anno salutis 1636.

Excellenti Dignitati vestræ addictissimus
N. BORBONIVS.

IV.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENT.
Domino, D. Claudio Memmio, &c.

DVm Excellentia vestra ingratæ moræ penè impatiens Gedani sedet, nos quoque expectatione vestri reditus, & desiderio senescimus: eoque magis, quòd spes erat, & sermonibus omnium percrebuerat, tertium te quartumve arbitrum ex compromisso, & disceptatorem pacificationis fore: Nec ego id diuinaueram meo erga te affectu, quod suspicari videris ac penè succensere, sed sabbatariis relationibus quæ venales circumferuntur, nomen tuum disertè appositum legebatur, vt spem illam vel ereptam, vel nimiùm dilatam, mihi & multis aliis summæ molestiæ esse intelligere possis. Sed crebra tui vel potius numquam intermissa recordatione, interim me consolabor, & lectione tuarum litterarum, quas cùm non parca manu, sed prolixè & liberaliter des, ad idem quoque audendum inuitari me sentio. Nam alias aut re-

rum penuria, aut dignationis vestræ reuerentiâ totque negotiorum, quæ incumbunt illi, contemplatione breuior fui, ac tecum consideratiùs egi, nunc indulgentia tua liberior factus, quidquid in buccam veniet, committere chartis non verebor, & colloquium producere. Si modum excesserim, aut importunus rerum grauiorum interpellator aduenerim, tuæ potestatis erit audientiam mihi negare, & infra minimas vltimæ admissionis cogitationes me reiicere. Sic quoque mecum per-honorificè agi existimabo, & tam amicâ repulsâ atque castigatione gloriabor. Profectâ Vilnam Lithuaniæ aulâ, non ex splendoris illius & pompæ recessu tibi tædium oriri puto, qui nec inanibus rerum caperis, & solitudinem mira voluptate librorum pascere ac celebrare soles: sed credibile est, aliquos viros doctos simul cum Rege discessisse, vt Matthiam illum Sarbievium, Societatis Iesu, tot eximiis dotibus suspiciendum, quorum consuetudine magis gauderes, & amissos etiamnum animo ac cogitatione requiras, paucioribus id genus in ea iam ciuitate reliquis. De rebus nostris non habeo quod scribam, nisi ad bellum omnia spectare, & in Comitatum Burgundiæ, aut parari, aut fieri iam irruptionem, intercedentibus Heluetiis, quorum haud magnam rationem haberi audio. Sed de rebus tanti momenti, humani nostri Ioues te Legatum, per alios Mercurios satis monendum curant, quibus ideo supersedebo, alia minora, sed minus fortasse, vt in alieno solo agenti, aliunde cognoscenda, attingam, vt

quodque occurret, fallendis aliquot horis. Episcopus Maclouiensis, postquam diu podagrâ laborauerat, circa festum Pentecostes in Armoricam ad sui ouilis curam profectus est, humanissimè habitus & dimissus ab Eminentiss. Cardinale Duce, lecticâ etiam quâ veheretur, vltrò commodatâ, vnde Prouinciales ad Fortunæ auram mobiles, nihil de solito eum cultu & reuerentia remittere visi sunt; quod ex hoc veu fauoris vehiculo, eum adhuc in gratia florere colligerent.. Pollicitum me modò imitaturum beatam Litterarum tuarum copiam & vbertatem, è vestigio sterilis breuitatis pudet; qui nihil huc infarcire possim ad voluptatem, aut raritatem memorabile. Sed in supplementum nouitatis audies obiter, cœptam obsideriâ nostro exercitu Dolam in Sequanis, duce Principe Condæo, cui adest magnus rei tormentariæ Magister seu Præfectus Milleræus; tum fasciculo inseretur alia Epistola nuper edita, cuius argumentum tute satis intelliges. Huic causam dedit nouatum authoris, tibi non incogniti, Litterarum editio, quæ ante duos menses prodiit, vbi more suo, multos offendere studet, meque in primis olim amicum, nunc verò sibi non iustis de causis inuisum, operâ iniquorum & factiosorum hominũ, & nefariâ impudentiâ quorundam nebulonum faces ad iram animis ex mutuo errore pronis subdentium, qui classicum cecinerunt. Rem altius repetere tuâ patientiâ, & otio abuti sit, nec tanti videtur. Ego quamuis me peti, & tantum digito non indicari viderem, nihil omnino com-

mouebar, vt cui hac ætate ac inualetudine, quies mali & doloris vacua, omni decoris cura sit antiquior, & blandiebar mihi opinione publicæ ignorationis, quod suppresso meo nomine, vel nulli, vel pauci, de quo sermo esset, intellecturi viderentur. Sed cum ex eo, ad quem scriberet, de quo scriberet, plerosque fallere non posset, qui satis scirent, quibuscum *mihi* vetus necessitudo intercedat, nec propterea vllo iniuriæ sensu tangi viderer, amicus quidam meus vicem meam præstitit, non tam vltionis animo, vt ait, quàm, ne deinceps author litterarum imbecillitatem meam, fiduciam suam faceret, & barbam vellere leoni mortuo impune speraret. Doleo certè impositam mihi diffidii necessitatem cum eo homine, qui aliquando tibi placere visus est, & cum Ogeriis fra*tribus*, *sanè* lectissimis Viris, amicitiam colit, sed vbi causam pleniùs cognoueris, quæ ab iniustis partium fautoribus, & ab eorum odiis, minis ac molitionibus tota est, vtque Iliacos intra muros, & extra peccatū fit, præterea vt adhuc ex animo amem, quamuis aduersarium, idque priuatis sermonibus non sine admiratione multorum testatūm faciam, iubebis in gratiam rediri, te Authore, & sequestro; cuius authoritati, qui non parebit, causa ceciderit, me verò semper obsequentissimum tibi fore profiteor. Vale. Lutetiæ, 7. Idus Iunii, anno Salutis 1636.

Vestræ Excellentiæ addictissimus,

N. BORBONIVS.

V.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENT. Domino, D. Claudio Memmio, Auauxii, Equiti Torquato, Regis Christianiss. per vniuersum Septentrionem, & Germaniam Legato Extraordinario. S.

NEscio quo animo accepturus sis, quòd quò propius à nobis abes, eò negligentior sum in officio scribendi, quasi maior è longinquo reuerentia, nec nisi in extremo Septentrione, animo meo imago tui frequens obuersetur. Hanc suspicionem, si tibi purgare velim, & iustas causas afferre, vereor, ne excusationis meæ maius sit tædium, quàm cessationis. Quare satis habeo dicere, hanc tuam Legationem, præ superiori, suburbanam quandam mihi deambulationem videri, quæ spem & speciem in horas reditus nobis præbeat: & fortasse tam iucunda expectatio supiniorem me facere potuit, nisi aliunde sollicitum, & anxium habuissent fœdi rumores, comparatas esse in caput tuum insidias ab Aula Pannonica, & ad violandum ius gentium percussores, quinquaginta millibus aureorum inuitatos; quod abominor, cùm alioqui vel centies millies sestertium exiguum tam chari capitis pretium foret. Sed de ope Numinis, & de fide Germaniæ melius spero, quæ non temerè tantum facinus alienæ libidini præstiterit. Qui

nullum seorsim de te cogitandi, etiam cùm ego & Ogerius, vnà sumus, nullum de te prædicandi finem facimus: & litteras ille mecum tuas communicat, atque, vt ad te scribam, verbo & exemplo impellit, volentem quidem, sed aliis super alia incommodis crebrò interceptum & retardatum, vt officii mei ratio minùs tibi constare possit. Nunc, ne quid nugarum mearum te prætereat, certior fies, me allectum esse in *Academiam nouam*, ab Eminentissimo Cardinale Duce, nihil tale sperantem aut prensantem, tanquam minimè idoneum, in patria lingua peregrinum, Latinæ rudem, denique rerum omnium indocilem, vtpote senem. Sed, vt cætera in me desiderentur, pro merito satis erit obsequium, & Græci Poëtæ versum, in Epistolis ad Atticum, à Cicerone vsurpatum, de me profitebor,

Αἰδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

Quid plura? factus sum penè Aulicus, & conor interdum prodire paulò comptior, & fucum facere (sed frustra) senectuti ac imbecillitati meæ, cùmque vix ingredi possim, prope est, vt dicatur Prouerbium, *omnia secunda saltat senex.* Hoc scilicet vnum deerat, ne speciosis titulis non impeditus morerer. Nec tamen parui duco, Collegam hîc habere Cancellarium Franciæ, aliquot Proceres, & complures alios elegantis ingenii ac insignis doctrinæ viros; quibus vtinam tu felicitatis meæ cumulus accessisses, nec maluisses in hunc Ordinem semper optari, quàm cooptari;

Namque sibi generum Tethys te emat omnibus vndis.

Capto Landresio quædam Epigrammatia, quasi aliud agens, sed tamen hoc successu lætus effutiueram, quorum vnum aut alterum arrisisse visum est Eminentissimo Cardinali: eidem, cùm initiarer Academiæ, & omnibus Academicis quos habet in clientela, cura fuit farciendæ inter me & Balzacum gratiæ, quod alióqui ego omnibus votis tacitus expetiueram, & percommodè accidit, quòd vtrique nostrûm eadem antè incesserat cupido, quamvis neutri de alterius voluntate compertum esset, idque amicorum hinc inde postea, quoniam longo regionum & vrbium interuallo absumus, non vnâ litterarum significatione patuit. Interesse tua hoc scire arbitratus sum, nimirum non malè conuenire duobus, quos tuâ beneuolentiâ dignatus sis me quamvis immeritum, aliquantò prolixiore, (vt sperare audeo). Tum etiam consentaneum est, qui conciliandæ pacis interpres sis & internuntius Europæ Regibus, eam te inter priuatos, & homunculos, & jure tuos, coire, libenter auditurum. Cuperem ego quidem tot tamque graues, quæ te in Legatione exercent, non nihil leuare aliquo oblectamento, vel nouitate rerum litteris meis inspersâ: Sed si publicas attingerem, frustra essem, vt quæ ab aliis multò celeriùs nuntientur, priuatas & plebeias id genus non habeo. Attamen adsem para & audi fabulam: Mommorius Græcarum litterarum Professor Regius, solus sui ordinis eques, & apud Vrbis Proceres inexhaustæ dictionis, eruditionis, ac memoriæ, ideoque gratus mensarum as-

scola, coram Illustrissimo Cancellario, (is repente me acciri iussum & curru suo humaniter acceptum, in villulam amici, paulò vltra suburbia, expatiatum duxerat) multos authores laudauit, Græcos & Latinos, ad locum quemdam D. Pauli, vbi ad bestiarios & damnatos alluditur. Ego subdubitaui de fide laudantis, aliosque qui aderant, in meam sententiam adduxi, nonnisi consultis libris ei credendum. Postridie, vbi diluxit, scripsi ad vnum è familiaribus & domesticis Illustrissimi Cancellarii, me animi causâ, domum vesperi reuersum adiisse authores ab eo citatos, nil eorum quæ dixerat, reperiisse: Non credideram fore, vt id resciret dominus, aut porrò suâ curâ dignum duceret. Biduo pòst ad solitum prandium iuit Mommorius, multis iocis super mensam exagitatus est, tanquam falsi suspectus, aut planè reus. Illico homo miræ confidentiæ partes agere, velut in scena, cavillari, vociferari, vix exspectare dum è mensa surgeretur, appellare singulos & vniuersos. Præsertim Illustrissimam Matronam, quæ ad latus viri erat, vt, quæ testis & conscia obiectorum fuisset, suo de Accusatore triumpho interesse vellet: & cedo, inquit, libros, Hesychium, Manilii Astronomica, Strabonem, alios; qui cùm sat citò reperiri non possent à novo nomenclatore, quamvis in refertissima Bibliotheca, mittitur confestim servus à pedibus meos postulatum, mox etiam currus, qui me adueheret. Aduentu meo non parua expectatio omnium, quorsum res euaderet, nam, tametsi hominis histrioniam satis in-

telligebant, ob ingentem tamen fiduciam, vel à me ipso vera dicere prope credebatur. Itum est in cubiculum superius, prolato omni librorum instrumento, sedit Illustriss. Cancellarius tamquam supremus iudex, assidebant duo Libellorum Supplicum Ex-magistri, Consistoriani Comites, aliquot Abbates, & viri honesti complures vtrimque: Tutam controuersiam exposuit diserte & dilucidè Heros ille maximus, laudatâ nonnihil etiam modestiâ meâ, tum iussit Mommorium ex libris, quorum iam copia fierat, suas authoritates petere. Ibi noster tergiuersari, aliena concionari, verborum diuerticula quærere, concesso semel quod petierat, mox aliud requirens, eas editiones parum commodas causari, nec interim de sententia decedere, nec manus dare; cùm vrgeretur à Cancellario, nihilominus comperendinationem petere. Sesqui-horam fermè tenuit ea declinatio, donec pronuntiatum est, falsi manifestum esse, & soluta risu concione, Batauiæ Ex-legatus ad ignem, ex tempore hos vernaculos recitauit à se factos.

Mommor, c'est fait de ta memoire,
Tu bronches sous le vieux Bourbon,
Tous les Autheurs te font faux-bond,
Si tu n'as recours au Grimoire.

Dies erat Simoni & Iudæ Apost. sacer, circumduxit me humanissimus Heros, cæteris comitantibus per vniuersam domum suam, omnia conclauia, porticus, hortos ostendit, laquearia, pauiméta, parietes multo auro, marmore, pictu-

ris & aulæis, omnium artificium elaborati operibus, cuncta scilicet visenda, donec aduesperasceret: Ibi me D. Spessao, qui Mommorium quoque vltra pontes curru secum reuehebat, domum etiam exitinere reducendum dedit. Maxima de nihilo nascitur historia: & vereor ne, dum tibi aliquo sale risum mouere cupio, ipse putidus sim & insulsus; quare desino nugas, & Deum immortalem oro obtestorque, vt salutem tuam cum regni salute coniunctam, sibi cordi esse, tum tuo incolumis reditu, tum legationis tuæ fructu, quem omnes pacem intelligunt, notum generi humano faciat. Vale. Lutetiæ 3. Nonas Nouembris, anno salutis, 1637.

Tuæ Excellentiæ omnium addictissimus,

N. BORBONIVS.

Ad Illustrissimum Virum,
CLAVDIVM MEMMIVM,
Equitem, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ,
Ex legatum,

IMmemor officii non sum, sed promere quantùm
Addictus tibi sim, fata maligna vetant:
Aduolet vsque tuas tantùm vox debilis aures,
Et præstet crimen, quòd minùs ire datur.
Forsan apud multos non excusabile: sed me
Credis inauditis depuduisse malis.
Debueram, fateor, iusto tibi carmine nuper
Testari reditus gaudia nostra tui.
Importuna foret medio sed Musica luctu,
Nec satis ad plausus tempora læta nouos,

Indignas grates, merito tibi tanta, rependi,
Et dolui vestra multa dolore domus,
Quemque mihi generarat amor, propriumque putabam,
Communis multis hic quoque sensus erat:
Sed nunc quid veniam, non longâ ambage morabor;
Publica privatâ sublevo damna prece:
Res est, Lingonicam Superûm quae spectat ad aedem,
Iudicio magni constituenda patris;
Commendant alii, patriôque, in supplice charta,
Vt placeat Domino, *scribere more solent.*
Sic commendatum venio, pariterque rogatum,
Sed minus obtendit vela Latina pudor.
Si patris ista voles oculis offerre, litabit
Aut hac, aut nullâ victima caesa manu.

NICOLAVS BORBONIVS.

Ad Illustriss. Virum, D. D.
CLAVDIVM MEMMIVM,
sacri Consistorii comitem regium, apud
Rempublicam Venetam Exlegatum.

APOLOGETICON EX TEMPORE,
Pridie Dominicae Palmarum.

O Nuper Veneti stupor Senatus,
Cui censu, arduaque mentis
Nil par Adria vidit aut secundum.
Ingratum aut stupidum putare noli,
Si quem tot meritis diu lacessis,
Tam crebro officio, obvia & fauori

Respondere minus tibi videtur.
Causas accipe, si vacat, tacendas
Cordatis sapientibusque, verùm
Hæc prudentia me necat, meumque
Omni est supplicium pudore maius:
Et vita miserum laboriosa
Fatum immanius me iubet fateri,
Quando vel mihi plus nocent amici
Interdum hostibus usquequaque sævis,
Nempe quo mage displicere amicis
Infelix timeo, nec moror malignos.
Ergo sunt mihi causa temperati
Prava est fabrica corporis, vel astrum,
Quadragesimus atque sextus annus.
Cum iam continuas agens diebus
Noctes, pervigil, integrosque menses,
Et corpus labefactat atque mentem
Horrendis crucibus: nec est molestum
Non credi mihi fortè, sed laborem
Tam parvæ fidei, angit esse verum.
Morbus hic novus insolensque mundo,
Fortunæque hominumque me coegit
Esse ludibrium, ac humi iacere,
Et vili positum angulo latere,
Et cum tempus erat loqui, silere:
Nec doctum simul & videri ineptum.
Tum vis longa mali addidit timorem,
Et casum genuit timor, medullis
Impressus nimis ossibusque totis
Sulco imaginis altiùs notata:
Sicque rebus inutilis gerendis
Prorsus otior: aut mihi Berilli

Impendet bone pœna maior ausо
Quid promittere tempus in futurum.
Condictumque diem repente totus,
Siue is crastinus est perendinusue,
Horresco, mihi si quid est agendum,
Nimirum vigilata ne actioni
Nox interueniens, mihi det eius
Insomnique hebetique debilique
Illætabile Solis esse lumen,
Sicut assolet, & miser reclusis
Terram mi hiscere comprecer cauernis.
Ergo sum meus vnius diei
Duntaxat spatio, duasque noctes
Inter, si fuerit prior benigna,
Mors est; cætera vita, morte peior.
Nec vita hunc miserum statum, suprema
Prouidentia quem mihi ordinauit
Ingratámue volo manu cruenta
Lucem abrumpere: ceu Priûlus olim
Claros Euganea super iuuenta
Doctus Patritios, fugam malorum
Ægritudine victus vsque dirâ
Per ferrum, per aquas, per & fenestras
Quæsiuit sibi: nos Dei voluntas
Quem vitæ dabit exitum feremus.
At tu Gemma togæ atque litterarum,
Quæ me insania vexet, obstupesces
Fari talia, nec pudore tangi,
Sed, credo, misereberis, degésque
Forsan hæc patientius, quod apta
Threnis hebdomas instat audiendis,
Et cruces hominum, colenda Christi.

Ante crux venit, admonetque ferre
Nostras, atque leuare proximorum,
Quatenus datur. En tibi retexi
Defectus maculasque seruitutis
Vt mea ratio atque constet vsus,
Quandocumque velis frui, sciasque
A me muneris ecquid exigendum,
Quid possint humeri; quid & recusent:
Qualis qualis ego, fauore prisco
Si dignabere, te tuosque dicam
Illustres proauos, patremque magnum
Et fratres Themidis polo micantes:
Nec me degeneri audient Camœnæ
Nomen carmine Memmium sonantem.

BORBONIVS.

V. CL. CAROLO OGERIO
Nicolaus Borbonius S.

QVia me Latinè compellasti, puduit me Gallicè respondere: ideoque maluissem tecum agere coram, de quibus me consulis, quàm hac chartula. Sed quia vtrique nostrûm labor itineris ac ambulationis ad mutuò visendum, supra vires est & valetudinem, pareo necessitati. Alioqui quâ me inuitas elegantiâ, eâdem à rescribendi talione deterres: adeo felicitas tua, an facilitas, mihi omnem loquendi fiduciam intercipit, qui nisi diu multumque meditatus, tecum paria facere nec possim, nec ausim. Est autem ad Illustrissimum Memmium Legatum eiusmodi tua Epistola, vt in ea nihil carpi possit vel ab

Inuidis, nisi fortasse hoc vnum, quod subest aliquid liberioris stomachi. Sed hoc tuum esse ingenium non ignorat Memmius, qui, cùm vnà legeremus tuam ad Marchionem Surdinum Elegiam, cuius initium est, *Tendimus ad cæcos*, &c. & Epistolium breue quod ei subiacet, te audacter querulum esse, eiusque rei liberam tibi facultatem concedi oportere, aiebat. Hoc quoque tecum commune habeo, vtinam cætera similis forem, communemque in tua litterarum vicem agnosco & doleo. Epitaphia sunt admodum luculenta, præsertim Monluciæ, & adolescentis primo belli experimento desiderati, & Stephani de via. In personato Æthiopiæ principe, minus mihi placet, quod Delphinum solo N. minorem dicis, odiosa comparatione, qui si cæteros mortales superat, saltem infra patrem est, idque memini à quibusdam reprehendi. Rursus in Epistola hæsi non nihil circa ea verba, *omnino prohibes, pareo omnino*: sed tandem visa est mihi ea vocabuli repetitio, non solum venustatem, sed vim & significationem habere certi & constituti obsequii. Omnino nihil hîc pœnitendum. Vale, & me tui studiosissimum esse & fore, quandiu viuam, persuasum habe.

Illustrissimi D.
CLAVDII MEMMII,
Auaucii, Christianiss. Regis per Germaniam Legati,
AD
NICOLAVM BORBONIVM.
Epistolæ duæ.

I.

Clarissimo Viro, Nicolao Borbonio,
CLAVDIVS DE MESMES, S.

QVâ fronte arguerem tuam in libero scribendi officio cessationem, qui post duos & ampliùs menses à te prouocatus, in ære tuo ipse hactenus mansi. In mea igitur mora tibi indulgebis, &, si quid etiam silendo peccarunt, correum me habebis; non vindicem; licet tibi quidem de salute nostra sollicito tardiores litteræ, gratiores quoque esse deberent, cùm ex iis intellecturus sis, quàm nos diu, post Pannonicam capitis nostri taxationem, viuimus, valemusque, & sicarias hostium artes pessundamus. Noui equidem, gentem Austriacam, oppressione Principum, violatione Legatorum, iampridem famosam; Hispanosque, quos aperto Marte nequeant, insidiis tentare solitos; sed nec tanti sum ego, vt coniuratione opprimi merear; nec facilè terreor rumoribus plerumque vanis. Grandis tamen nuper, & irarum plena Epistola Viennâ

Viennâ venit, quâ vacuæ illius aulæ Regnator, suo me odio dignum ratus, & proprio nuncupatum nomine iteratò proscribit, Senatumque huius ciuitatis atrociter increpat, quod hic mihi non modò diuertendi locum, sed commorandi dederit, qui specie pacis cuncta turbauero, nisi prohibeant, & hospitalitatis istius officium, crimen in ipsum Maiestatis trahit. At ego profectò, illique ipsi, ni fallor, bruta ista fulmina non horremus, & vtcumque sit, aliis imminentibus tẽpestatibus non cessi, his verò pro republica me offero. Id non prohibet quominus gaudeam, te ab Eminentiss. Cardinale Duce in Academiam cooptatũ; eiusq; te Viri iudicio porrò frui, qui quantùm fortunæ amplitudine, tantùm ingenii immensitate ac rerum omnium scientiâ, eos quoque, quorum hæc vna virtus est, longo à se interuallo relinquit, vt ad gloriam ipsius numquã humani captus quisquam accedat. Nuper in Lutetiæ armamentario, cùm Principi omnium retrò humanissimo, vnà cum quibusdam intimę admissionis, iussus assiderem, orto de iis sermone, qui hac ætate per optimas quasque artes inclaruerunt; memini ipsum de te magnificè, & pro tua dignitate sentire. Tu mihi iam magnus in litteris, crescere visus es diuino Viri eloquio, & ego te, fateor, suspexi magis in sacro ore tam æqui meritorum æstimatoris, non minùs quàm rerum fortunarumque communium arbitri. Tanti ego Herois munificentiæ, quâ eruditos omnes eruditissimus ipse cõplectitur, vt videatur in singulis, honestissimo prætextu, proprias

Hh

dotes amare atque virtutes, Ogerium nostrum capacem, vt nosti, magis quàm cupidum, commendari summopere vellem; sane doleo hominis vicem, qui mecum ausus tot terras & mariaemetiri, vt prodiret in lucem, dimidiâ sui ipsius defunctus est; & postquam Regibus notus acceptusque, multa etiam cum Regum ministris, authore me, non infeliciter gessit, nunc prandet olus in suburbio Sancti Victoris, ac pene cæcus vitam vndequaque obscuram trahit. Sors ista mihi in mentem reuocat illud cuiusdam fragmenti, quod non immeritò vsurpet Ogerius. *Hæc vulnera pro libertate publica accepi, hunc oculum pro vobis impendi, date mihi ducem qui me ducat.* Adiuua hominem quâ licuerit, tuâ operâ & meâ commendatione dignissimum. Quod scribis te cum B. in gratiã rediisse, id profectò mihi perquam iucundum accidit, ac siquidem hoc iam ante vtrique vestrûm erat in animo, tertium me accipite, qui nunc voti reus, causas subiungam; Vos ego plurimi vt feci, te verò præcipuo ac singulari quodam amore prosecutus sum semper, ita nec libens, nec tacitus iam dudum tuli criticas in eum inquisitiones, in quo (fatendum est enim) mira vis eloquendi; qui de patria lingua optime meritus, rectum illius vsum suis quoque censoribus ostendit, qui aberrare voluit à schola, si aberrauit, non ignoratione artis, sed contemptu, rationem animi sui interdum potius sequutus, quàm miseram & magistralem Rhetoricam, à qua maximè in Epistolis non modo impune recedas, sed & com-

mode, vt plurimum, ac venustè; Nam familiare illud scriptionis genus, ad præcepta alicuius Declamatoris exigere, absonum videtur, quasi iocari cum amico non liceat, nisi ad numeros, & quousque Quintiliano visum est. At idem, vbi te quoque suo magis fato, quàm vitio, aduersarium nactus est, siue me tua mouit authoritas, siue diuisit amicitia, iam non ego, vt antea, transire ad partes, sed sequestri animum personamque induere, & cui prius victoriam, tum ei pacem optare. Vides quanti mea interfuit bene conuenire vobis, quamque appositè & ad animi mei sententiam, illud ipsum mihi nuntiasti. Equitis Mommorii drama, narrante te, lepidissimum non sine risu perlegi, nec sine admiratione, quomodo helluo ille librorum, & publicæ famæ tympanum, causa simul & memoria ceciderit. At illum si defecit hæc sua inexhausta quondam facultas, certe iudicio valuisse mihi videtur, qui ex congressu cũ Nicolao Borbonio non exiguum, siue vinceret, siue vinceretur, nomen captauerit Tu interim vtroque superior, vale; & scito Epigrammatia tua, per hanc vrbem totumque hunc tractum, centies descripta volitare. Hamburgi 15. Calend. Februarii. M. DC. XXXVIII.

II.

VIR CLARISSIME,

Quod postremis tuis statim occurram, id non eò facio, vt inofficiosâ diligentiâ tibi mo-

lestus sim, & quasi incumbam: aut expedito nimis responso te quoque ad vices maturiùs reuocem, ac plus petam tempore: scio occupationes tuas measque frequens istud litterarum commercium non admittere. Quin & facile animaduerto, quæ summa semper fuit animorum nostrorum consensio, & hac in re etiam tacentibus nobis conuenisse. At eiusmodi non scriptam legem nunc transgrediar oportet, ne tua in Ogerium nostrum beneuolentia, cùm præcipuam tibi materiam dederit, ego si seriùs rescripsero, suffragationem tuam, & illius expectationem habere suspensam videar, aut meæ saltem dubitationis, argumentum vobis aliquod cunctando præbere. Nam, vt verum fatear, Ogerii relationes siue ephemeridas, multæ sunt causæ quamobrem editas nolim. Est nimis recens triplex illa, cui interfuit, per Septentrionem Legatio, & adhuc versamur iisdem in rebus, fluctibusque rerum, quas vt non attingat, & itineris potiùs quàm legationis seriem persequatur, tamen homini qui suæ spontis est, ac paulò liberioris stomachi, multa excident, præter opinionem incommoda, & ipse vix sibi hanc vim inferet, vt ea tacitus prætereat, quæ operi suo gratiam conciliare, aut pondus addere putauerit. Eadem rei nouitas, vt curiosos forsan oblectet; ipsa obstabit, ne vel factis meis, vel eius scriptis gliscat auctoritas: paucis quos summa virtus aut summa felicitas tot gradibus à me seiunxit, datum est frui famâ sui: & vt quæque à nostris tẽporibus remotiora sunt, ita in pretio ha-

beri solent. Prætereà non ego is sum, qui in scenam libenter prodeam, qui gestũ agere velim tot spectantibus in arte Rosciis, quorũ nemo non facile aduertat, si quid in agendo, vel leuissimè erratum sit. Latentem me trahet Ogerius ad conspectum, iudiciumque vulgi, & nihil minus prensantem, censuræ magis obiiciet, quàm laudi. Imò nec deerunt, qui suasore ac incentore me istud, quicquid est operis, in lucem emissum credant; quod scilicet tum de me multa, tum mei Parentis nomen inscriptum præferet. Denique ad ipsum Ogerium quod attinet, non video cur hanc editionem tam præpropere vrgeat, quæ & auctior nouis in dies accessionibus fiet, & Auctori, si me audiat, vtilior. Certè quem pro virili semper ornaui, eius vt vsibus, aut existimationi intercedam, numquam eueniet. Sed & alieno tempore hæc aggreditur; & parum fauentibus Diis non hoc thure litauerit.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Noli tamẽ putare, Amicissime Borboni, quod petentib. vobis negare cogor, ex eo me minus affici, quàm vtrumque vestrum: quin si vrgetis, id ego tandem alterius commendationi, alterius impatientiæ tribuam, liber vt ille committatur prælo, atque fortunæ, post reditum meum ex Germania, qui si non instat, certè nec procul abesse, vel dulci errore captus, præsagio. Hæc deinde tota melius coram, vbi ad vos venero, & breuiarium illud siue Commentarium, oculis saltem recognouero, quibus hactenus æquissimis vsus est, vteturq; porrò Ogerius Abbatis Condæi versus

Episcopo dignos censeo; imo & nutu atque iudicio summi omnium Episcopi ac Poëtæ: quod pace tuâ, Vir Clarissime, dixerim: neque enim te, quantus quantus es, ab Vrbano Octauo secundum, & vno Papa minorem esse pigebit. Iambos vero tuos cupidè ac peramanter; at non siccis oculis legi; & quod numquam fore putaueram, vt tua me omnia non valde delectarent, tristi demum experientiâ didici. Condonabis tam iusto desiderio optimæ Gloriæ, & nobilissimi illius Cordis, cuius legatum, eheu, quàm vellet ad se nondum pertinere Frater meus! Viue beatior, & vale. Hamburgi decimo Calend. Nou. 1638.

Tibi ad officia paratissimus
CLAVDIVS DE MESMES.

CAROLO OGERIO
CLAVDIVS MEMMIVS S.

VIR CONSVLTISSIME,

Qui fusis à te olim in itinere Ostrogotico versibus, extemporale quoque carmen reposui, me, in ampliori fortunâ, non esse omnes ἀμούσους, nescires; quidni hodie prorsâ, oratione, & nouo inter nos scribendi genere lacessitus, Latinas tecum literas commutem? prærogatiuam nolo, iisdem armis experiri libet; at impar congressus; esto. Sed par est amicitia, quę omnia exæquat, & si qua in re alter alteri præstamus, ad ipsum utrumque, cui minus est, iustâ communicatione deriuat; certè non patitur,

quod in alterutro fortè eminet, in alterius iniuriam transferri. Nemo itaque mihi dicam scribat, si te non assequor hominem in politiori literaturâ cultissimum, id ego per occupationes, nec possum, nec si vacaret, contenderem. Tuum sit acutè ornatéque loqui; nostrum aliquid efficere, & inuictum animum, per labores ad maiora dirigere. Legi non inuitus expostulationes tuas, imagine officii comiter adumbratas; agnoui ingeniosi doloris sensum, qui recurrit passim, & ad omnes Epistolæ tuæ partes, ad omnem materiam pulchrè se aptat. Placuit reuera, indicti ad tempus silentii, elegans indignatio, visque illa & spiritus acrior, qui te mihi totum in hac quoque peregrinatione reddidit: tanti est profectò lucubrationibus tuis lucem negasse; quam tibi quidem restitutam malim. Amo te, mihi crede, etiam iratum, imo, vt dulcius quid in venusta facie deprehendi solet, cùm ipsa per fletum quodammodo forma corrumpitur, sic genio tuo, si forte morosior, accedit nonnihil leporis, & in illis nebulis, quibus interdum suffunderis, noui emicant ignes. Ne tamen obductâ fronte hæc etiamnum legas, confirmo tibi, spondeo, deiero; &, si qua sunt adhuc solennia verba, vsurpo libens, fidem vt meam votis obstringam tuis: quid plura? pręsens à me omnia impetrabis. Occupabo forsan: tu modò sustine non longissimi temporis moram: certè à salutato Rege, nil reduci mihi prius futurum est, quàm redire tecum in gratiam, obseruationes tuas euoluere, tecum rursus per Septentrio-

nem vagari, & an ista in publicum emitti debeant, hoc tui demum arbitrii facere. Nunc teneor Epitaphiis illis illustribus, quæ mea esse voluisti, atque vtinam tui tantum muneris essent, nec primam in iis & præcipuam partem, infelix mihi casus tribuisset. Commendauimus poësim, quicumque hic & Galli, & ex hominibus Germanis, non pauci literas colimus amœniores, ego pium etiam erga amicos tuos, erga meos affines officium, quo tibi nomine, de me quoque bene-merito gratias habeo. Addidisti rem mei planè saporis, carmen verè Heroïcum N. Borbonii celebrandis Heroibus nati. Placet imprimis materia, placet & opus, quod pro materiæ dignitate assurgit; nihil illic vacui offendas, nihil hiantis aut superflui; nihil non aptè ac summo cum iudicio contextum: quàm mihi carus sit, quæso, ex te cognoscat Scriptor valde bonus. Nec tuum ipse fratrem, multi iam nominis Theologum, meis verbis insalutatum præteri; serua mihi locum maturè, sicubi ille concionabitur, hac quadragesimâ. Ego ipsi audientiam (ne respue artis vocabulum) præberem impensiùs, quàm tot molestis plerumque Oratoribus, qui me hic variè exercent. Vale. Hamburgi, Calendis Februar. 1639.

Tui studiosissimus,

CLAVDIVS DE MESMES.

CAROLI OGERII ad Nicolaum Borbonium, Epistola.

TAmetsi in litteris, quas, ante aliquot menses, ad Illustriss. Legatum dabas, honesta de me mentio facta sit, tibique eo nomine non mediocriter debeam, numquam tamen ad te scribere in animum induxissem meum, nisi id imperasset Legatus. Metuebam quippe, ne huius Latinitatis, cuius opinione aliquid hîc sumus, periculum te Censore facerem. Certè ad Nicolaum Borbonium, quem tanti facit, ipse scripsisset, nisi negotiis obrueretur, quæ illum respirare non sinunt. Patere interim, Vir æquissime, vt, dum Christianiss. Regi, dum Maximo Cardinali qui te fouet, Polonicæ Legationis rationem reddit, summa apud te persequar rerum fastigia, quas hîc felicissimè gessit. Post Suecicam hyemem, post exhaustas iterum infamis Baltici tempestates, xv. Cal. Iunias, Gedanum appulimus. Intrabamus Dromone ostium Vistulæ, cùm præuii Reip. Secretarii Illustriss. Legatum è nauiculis suis salutatum venerunt, non sine præfationibus, quibus, quamquam nauseâ laborabat, ne suam isti dignitatem spretam putarent, abundè respondit. Dies ille fuit Ascensionis Dominicæ: Itaque commodissimè in ædem Dominicanorum, ad Missam audiendam descendimus. Primus, vti par erat, Legatus noster supplicationi Dominici Corporis, cereum gestans, infinito populi Borussi, atque Polonici concursu inter-

fuit; cùm tamen pedem vix firmare possemus, ex recenti maris iactatione, quæ vertiginem capitibus nostris induxerat. Verùm, qui è Lutherana Babylone migrabamus, animi nostri ad Ecclesiæ conspectum, incredibili pietatis sensu perfundebantur. Hospitium suum contigerat Legatus quieti lectoque inhians: En duo maiorum gentium Senatores, longo lictorum apparatu, illum adeunt, repetitoque à Franco, vel certè à Pharamundo, suarum cum Gallia fœderationum exordio, ad hæc vsque tempora deducunt. Legatus, vt suam illis beneuolentiam rependeret, Christianiss. Regem, de nulla re tam esse sollicitum respondit, quàm de Gedanensium commodis atque salute. In hoc verbo, amphoras vini ac ceruisiæ, copiamque ciborum, ad eius pedes abiecerunt. Crediderat tum demum sibi partam quietem. At eodem momento, à Suecis, à Polonis, atque ab aliis Legatis, qui iam Mariæburgi erant, quique de eius aduentu audiuerant, per missos identidem Cursores euocatur; ab eoq; ad istum quo scribo, diem ne minimũ quidem temporis spatium, ad recreandas vires, intercipere potuit. Factum est (nam vni Memmio, post Deum, ista est tribuenda gloria) vt improbo labore, patientia ac solertia, pacem inter Polonos ac Suecos constituerit. Nihil igitur cæteri Legati præstiterunt? quorum vnus ex Anglia, tres è Fœderato Belgio, quinque è Brandeburgio, quos inter ipse Electoris Patruus erat: Adhibuerunt certè quisque diligentiam. At fatebuntur ipsi, agnoscent Poloniæ ac Sueciæ

Proceres, diuersissimorum denique populorum vox vna illa erit ; Legatum Galliæ rem totam confecisse. Scilicet in omnibus congressibus, vt in sedendo, ita in proponendo ac concludendo Princeps fuit : Nec Sueci tantum ob inita nobiscum fœdera, sed & ipsi Poloni, quibus initio, eo nomine suspectior erat apud eum summa cum fiducia, arcana Imperii deposuerunt. Rex ipse sagacissimus, quâ illum industriâ ac sapientiâ pollere vidit, plusquàm sexies per tres, & ampliùs horas, priuatim distinuit : vbi alii Legati, vbi vniuersi Aulici Senatores ac Palatini adfuerunt, aliis ægrè ac parcè, Memmio auidè vtramque aurem accommodauit. Effecit denique Memmius, vt in gratiam accepti à Rege Christianissimo beneficii, Rex Poloniæ nullas, vel postulanti Auunculo suo Imperatori, suppetias mittat, ac se neutri parti addictum fore polliceatur. Superest nunc, vt, quæ sint huius Pacis præcipuæ conditiones, intelligas. Restituunt Sueci, Regi Reique pub. Polonæ Borussiam Regiam ; Electori Brandeburgico, Borussiam Ducalem, vrbes, oppida, propugnacula, portusque omnes. Quod ad Liuoniam spectat, induciæ factæ sunt in viginti sex annos, quibus hanc Prouinciam, quam armis adepti sunt, retinebunt Sueci. Cæterum longa acrisque, circa Liuoniam, inter partes altercatio fuit, cum illic Religionem Catholicam Poloniæ Rex esse vellet, Sueci nollent ; Qua in re, qui in cæteris æquissimus semper fuerat Memmius, ad Polonos studiosissimè accessit, constantemque se, vti

decebat, Catholicum professus est. Accidit tandem, vt cùm 6. Cal. Sept. toto die hic articulus animosè agitatus esset, indignabundi Sueci derepentè tympana, ac tubas pulsari iusserint, ac insalutatis Mediatoribus, qui cum Polonis erant, tentoriis suis abierint. Tunc verò ad hunc strepitum, excandescere Poloni, contestarique iniuriam sibi fieri; priorque Palatinus Belsensis, vir alioquin sapientissimus, in verba atrocia, ac iræ militaris plena erupit. Quæ vox, quasi pugnę tessera, à gregariis militibus, qui tentoria circumstabant, excepta & ad Hussaros statim delata est. Sunt isti non infimæ nobilitatis Equites, longis armati lanceis pellibusque pantherinis, præter chalybem tecti, qui quidem, quia Sole & vino incaluerant, oblatam pugnæ occasionem facilè susceperunt, protinusque in aliquot obuios Suecos irruerunt, qui cùm ad suos confugissent, conuerterunt se in Polonos Sueci, inuentosque penes se aliquos vicissim cæciderunt. Exauditus sclopetorum cum vociferatione strepitus, Commissarios Polonos ac Legatos è tentorio subitò euocauit, qui medios se, in irrumpentes Hussaros coniecerunt. Venerandus ipse tam ætate, quàm vtrâque, Politicâ & Ecclesiasticâ dignitate, Cancellarius, dum eos cohibere vult, equorum pedibus penè obtritus est. Cæteri Poloniæ Proceres irruentium equos frenis prehendebant; verbisque ac baculorum obiectu prohibebant. Parte aliâ, ad pedites Suecos Legati concursabant, quos vtique vinum, odium, æmulatio excitabat. Iam se conuerte-

rant, iam aliquot passus fecerant, ordines duplicauerant, furcillas scloporum proiecerant; obiiciunt se illis intrepidè Legati, illorumque impetus, quà minis, quà precibus, conantur sustinere. At milites inter se tumultuabantur, vapulabantque à Præfectis, qui ipsi inter se diffidebant, dum alius Legatis paret, alius illos non agnoscit. Aduenit tandem Vvrangelius, campi Suecici Marschallus, qui cum Finnos suos, equites illi sunt, procul consistere iussisset, hos deinde pedites licet ebrios, licet iratos ac insanientes, præsentiâ suâ compescuit. Recordatus est postea Legatus noster, cùm in medio tumultu gregarios Polonos sisteret, ac prensaret plurimos, illos sibi Latinè respondisse, victosque persuasionibus, enses condidisse. Velitationis huius fructus hic fuit, vt Sueci liberum Religionis arbitrium Catholicis in Liuonia permiserint. Hæ sunt, Nicolae Borboni, hæ sunt hodiernæ Claudii Memmii, quem diligis, exercitationes, hæ sunt artes. Sub isto Imperatore militiæ meæ tirocinia nunc primum facio. At quicumque sub illius vexillis, siue rem Gallicam, siue famam augemus, si non alia nobis stipendia proposita sint, quandoquidem Achillem nostrum tanti facis, Homero certè non carebimus. Apparuere nobis nuper Caroli Burgundi Manes carminibus tuis excitati, efficacemque illorum scientiam admirati sunt Polonæ Reip. Principes; Palatinus Belzensis, Zobieskius, Lipskius, aliique amplissimi ac doctissimi Viri, nam Zamoskium propter valetudinem nondum vidimus.

Legêre etiam illa cum maxima voluptate, Ordinum Belgii, qui hîc adſunt, Legati, quorum ſenior Honerdius, non Oratorem ſe modò, ſed etiam Poëtam cenſeri vult. Gaudeas interim in tuo ſinu, Vir Clariſſime, ac dum Pariſienſi quiete frueris, ſcias velim, Illuſtriſſ. Memmium, quocumque gentium Chriſtianiſſ. Ludouici animos, Eminentiſſ. Richelii ſapientiam prædicabit, Doctiſſimi Borbonii eruditionem numquam obliturum. Auctor fuit mihi ille huius Epiſtolæ ad te ſcribendæ: Itaque, ſi quid in ſtilo, ſi quid in ſententia peccatum ſit, ſeuerius non emendes, ne Oratorem tota Europa, ab ipſis Regibus prudentiſsimum ac facundiſsimum iudicatum, arguere quodammodo videare. Vale, vir Clariſsime, ex Illuſtriſſ. Legati, noſtrûmque omnium voto.

CAROLI OGERII
POEMATA,
Ad Legationes Memmianas pertinentia.

Illuſtriſsimi & Excellentiſſ. Viri,
CLAVDII MEMMII,
EQVITIS, C. D'AVAVX,
S. Conſiſtorii Regis Chriſtian. Comitis,
Nuper in Italia, nunc ad Sereniſsimos Septentrionis Reges Extraordinarii Legati,
ADVENTVS IN DANIAM.

MEmmia cum primùm Danis ratis appulit oris,
Æquora bis denos poſt peragrata dies.

Spargebat roseum Cælis Aurora colorem,
Et circumiectam rore beabat humum.
Ingeminant vigiles festiua celeumata nautæ,
Vndique suppositi personat ora freti.
Eripimur stratis: hic fundo surgit ab imo:
His puppis: reliquis prora cubile fuit.
Continuò (nec enim vestis cura vlla moratur)
Turba terit vastos semisopita foros.
Miramur colles auidi, camposque iacentes,
Cæli posthabitis, Oceanique minis.
Hinc Elsemburgum celsâ dat se arce videndum,
Arx vetus, è Scanæ condita parte plagæ.
Parte alia diues plenos Elsingora portus
Exhibet, & forti præsidet arce freto.
Nulla superuehitur secùs hanc impune carina,
Illam seu Boreæ, seu Libys aura ferat.
Nec nisi depenso Decumanis rite tributo,
Trans Elsingoricum fas fuit ire fretum.
Subsidia hinc Danis amplissima Regibus, vnde
Præcipuum regni sustineatur onus.
Constitimus; scandere leues ad suppara nautæ,
Et vela antennis implicuere suis.
Ipsi etiam leni vexilla vndantia vento,
De puppe, & malis explicuere tribus.
Bellica sexdenis tonuerunt ictibus æra:
Antris Nereides contremuere suis.
Ipse pater Nereus, quem tunc sopor humidus vrsit,
Fulmina vibrantem credidit esse Iouem.
Memmiadem vt vidit, conceptum mente timorem
Depulit, & tales edidit ore sonos.
Da veniam, Memmi, non hæc te signa decebant
Bellica, qui sparsum semina pacis eas.

Nec quia belligeri nomen mandataque prafers
Principis, hinc etiam bella canenda tibi.
Consilii Regum Dii nempe intersumus, atque
Scimus, cur Septem regna Trionis obis.
Rex Gallûm, quo nec maior, nec iustior vsquã est,
Quà regnum Cybeles, Oceanique patet;
Turbati aggrediens componere fœdera mundi,
Hoc tibi fungendum tam graue mandat opus.
Impiger hunc porro proprium tibi sume laborem,
Cui mox successum prospera fata dabunt.
Sat furiis animisque datum: pia pœnitet vltra
Numina, in alternos bella mouere viros.
Bis fermè denis Sol circuit igneus vndas
Cursibus, inque vices alsit, & intepuit.
Ex quo Germana pubes fortissima terra,
Crudeli inter se vulnere confoditur.
Nec vastis tantum campis, furor vrbibus idem,
In pueros pariter sæuiit, inque senes.
Bellorumque Duces licet interiere, supersunt
Bella, Ducumque iras plebs malè sana luit.
Occidit Austriaca partis Dux Tilius acer,
Ad muros fusus, Lipsia clara, tuos.
Occidit & Pappenheimius. Valsteinnius audax
Occidit, accensâ Cæsaris inuidiâ.
Et tu, quem tardis, fortissime Spinola, fatis,
Obruit eximii gloria Thorasii.
Gustauus terra decus immortale Suecæ,
Oppositi emensus Balthica septa freti,
Inuasit postquam Germanica victor in arua,
Germano occubuit victor & ipse solo.
Heu nimis incautâ confise Vldrice iuuentâ,
Fraude malâ in mediis oppetis induciis.

Delicias

Delicias te tota suas mœstissima plorat
Hafnia, te gemino Cimbrica cincta mari.
Te propter rigido quamuis subiecta Trioni,
Liquitur in lacrymas Noruega terra pias.
Rex pater indulgens tenero Christernus amori,
Subdidit humanis regia corda malis.
Siste pater luctus; en damna resarciet ista
Mox tibi Saxonicæ Nympha pudica domus.
Tu tantum pater es. Dabit hæc pulcherrima prolem,
Quæ te iucundo nomine dicet auum.
Cunctus ad hos orbis nunc conspirans hymenæos,
Vt faueant illis Numina, vota facit.
Tu quoque lætus ad hos, per me nulla est mora; Memmi
Perge modo; & Regis perfice iussa tui.
Experire ista quantum Lodoicus in aula
Iactetur, quantus impleat ora virûm.
Audiuere suos illum domuisse rebelles,
Terribilem terrâ, terribilemque mari.
Vt medias hyemes, medias perruperit Alpes,
Oppressæ vindex impiger Italiæ.
Denique vt ad metas æquans sua regna vetustas,
Abluerit Rheni flumine victor equos.
Notus & hîc pacisque bonus, bellique minister,
Romanæ Armandus gloria rara togæ.
Insita quem virtus, gestisque exercita tantis,
Quondam etiam ad magnos euehet vsque Deos.
Ingredere ergo libens Dani ad prætoria Regis,
Et resera votis ora diserta bonis.
Centum Oratores diuersa per æquora vecti,
Ardent te voto quisque iuuare suo.

Has inter pompas, interque oblata vicissim
Dulcia permissa munera lætitiæ.
Mandatis incumbe tuis, sere commoda pacis
Verba, nec incassum tempus abire sine.
Lætus Hymen sinet his misceri seria ludis:
Materies Sponsæ non erit illa grauis.
Quaque tibi lingua est facundia, confer in illud,
Vt pacis cunctis insinnetur amor.
Victores pax alma iuuat, iuuat hæc quoque victos,
Hanc timidæ matres, hanc cupiere nurus.
Hanc cupit exhausto Germania milite, Marti
Heu nimium multos scena cruenta dies.
Illam non pugnax Suecus, non respuet acer
Arcu & veloci Sarmata fisus equo.
Fors & Cæsarea non est inuisa senectæ,
Vt possit fato commodiore frui.
Ni faciant: Rex Gallorum iustissimus, vltrò
Oppressis certam deuouet vnus opem.

SIRENI BALTHICÆ
Constantiæ Sirenbergiæ.

NOs quoque carminibus, pulchra ô CONSTANTIA, nostris
Pangimus in laudes debita vota tuas.
Pangimus, & quocunque pedem seu Regia ducent
Imperia, aut rerum sors inopina feret:
Semper honos tuus è nostro vulgabitur ore,
Testis erit fama linguaque nostra tuæ.

Nam quod te celebret Germana Borussia, quod te
Laudibus impensis Aula Polona colat:
Quod plebs, quod tua Gens, non est ea gratia; debent,
Præmia virtuti talia iure tuæ.
Quippe tuos potis es simul exornare Borussos,
Et famam populis addere Sarmaticis.
TV Prussi flos lectus agri; Virtutis odorem
Felix, te circum qua iacet, halat humus.
Qualiter in clauso spirat flos inclytus horto,
Funditur exempli sic odor Vrbe tui.
Te simul aspexit nupta, aut innupta puella;
Siue quod inuideat, siue quod optet, habet.
Incubat infixis tibi sedula Mater ocellis:
Te quasi sola fores, cura Paterna fouet.
At tu maternâ non es contenta loquelâ:
Addita Teutonica lingua Polona tibi est.
Hetruscum possis intellexisse Petrarcham,
Tu possis prisco cum Cicerone loqui.
Si, cùm Sarmaticis Naso fuit exul in oris,
Vixes, non vsquam, quod quereretur, erat.
Alloquii ille tui solâ dulcedine posset,
Exilii, vt facimus, tædia ferre sui.
Solertis te præterea manus æmula linguæ
Excultam ingenuis artibus esse probat.
Quid vel naturâ, quid vel præstatur ab arte,
Quod calamo, & doctâ non imiteris acu?
Dexteritas tibi præ manibus, tibi gratia vultu,
Diuinum resîdet denique voce melos.
Nene suo careat tam nobilis indice virtus,
Forte tibi inuidia virus adhæsit edax.

Diues enim, aggesto sensum qui mancipat auro,
Detraxit lepidi dotibus ingenii.
Constituêre suâ qui Numen turpiter aluo,
His ratio meriti non fuit vlla tui.
Denique qui malus est gratis, qui barbarus, ille
Contempsit tantas censor iniquus opes.
At nos immensi Gens defæcatior Orbis
Francigenæ, Iustis queis Deus esse dedit.
Qui Mundi meliore situ, meliore sub axe,
Ciuilis vitæ iura, modumque damus.
Post circum-cursas tanto discrimine Gentes,
Est vbi virtutis terra malique ferax:
Nos laudare tuos, pulchra ô CONSTANTIA, mores
Non satis est, ad quos obstupuisse decet.
Et iam magna tui nostras peruaserat aures
Fama, ratam aspectu quam facis esse tuo.
Illa per Ausonias iam pridem inclaruit vrbes,
Quas pater Eridanus, quasque Timauus obit.
Illa per Euganeos libramine præpetis alæ
Se tulit, Adriaco personuitque mari.
Audiit hanc Venetis ageret cùm MEMMIVS oris,
Nec potuit tutam tunc adhibere fidem.
Nam quis in extremos vsquam transisse Borussos
Tam placidam possit credere Melpomenem?
Et cur à reliquis diuisa sororibus ista
Exulet à sacro tam procul vna choro?
Tandem etiam Gedanum (sic Dii voluistis) adiuit
MEMMIVS, emensis per mala longa fretis.

Ille patens primùm Oceani digressus in æquor,
Intrauit fauces Danica Sunda tuas.
Illinc à dextro perstrinxit littore Cimbros,
Illinc à læuo littore Noruegiam.
Et positum mediis in fluctibus Vranoburgum,
A magno cultos Vate Tychone lares.
Principis hinc Dani festam diuertit ad Vrbem,
Contulit & thalamis omnia fausta nouis.
Hei mihi, quàm magno post fœnore pene pependit
Lætius impensam festa per ista moram.
Namque sub hyberno repetit dum sydere classem,
Vlterius iussum pergere certus iter:
Substitit in portu: pigrique per otia ponti
Increpuit tardos ad sua vota Notos.
Quindenosque dies, totidemque ex ordine noctes,
Opperiens ventos nauita sedit iners.
Interea Arctoo Sol impiger axe recessit,
Et de contracto nox fuit aucta die.
Tum vero pelago metuunt se credere nautæ,
Deductasque locant ad vada tuta rates.
Rex Danus pelagi, tempestatumque peritus
MEMMIADEM infesti temporis admonuit.
Ille nihil Regem, Regis neque dicta moratus
Fida, per infidas vela tetendit aquas.
Iam prater vectus Scanæ freta feruida terræ,
Impulerat nauem liberiore salo.
Et poterat, vento in puppem spirante secundo,
Littus in opposita pergere Vandalia.
Seque sinens fatis, tuto succedere portu,
Siue tuo Gedanum, siue Lubeca tuo.
Maluit ad læuos cursum deflectere Suecos,
Præque Deûm fatis Regia iussa tulit.

Callidus inuitis vtens tum nauita ventis
Obliquâ rexit gnauiter arte ratem.
Æolus humanas sed enim indignatus habenas,
Rectorem, atque ratem per freta dira tulit.
Ceu rapit impositum sessorem, dura tenaci
Cùm frena indomitus dente momordit equus.
Ergo per infestos cœli, pelagique tumultus,
Fertur in ignotas nostra carina plagas.
Non stella non luna polo: densissimus imber
Inuoluit tenebris nos, fragilemque ratem.
Tum vero mare per tumidum, tumidumque per imbrem
Visa magis mergi, quàm superesse ratis.
Deserit ars pauidos nautas; subit error; & ipsa
Turbine præ magno vix sibi constat acus.
Quis mihi tunc, tanto vitæ in discrimine sensus,
Quos non tentaui sæpe vocare Deos?
Post sex absque die iactati denique noctes,
Cessimus ad Suecæ littora Calmariæ.
Inde lacus super adstrictos, perque inuia saxa,
Per nemora, & sparsas, nulla per arua, niues.
Vsque tuum tandem peruenimus, Holmia, nidum,
Qui fluuio hinc pendet, pendet & inde mari.
O auium, ô Lyncum domus Holmia: credere quisquam
Possit ibi cicures delituisse feras?

Ingenium soli accusatur non hominum.

GVSTAVI LEONORA quid ô, quid deinde moraris
Sola per has syluas, sola per hasque feras?
Nempe hic Imperii quondam est stabilita Sueci
Regia, degit in hoc Curia, & Aula situ.

GVSTAVI hàs sedes venerabilis incolit Vxor,
Luctum ibi pro tanto coniuge tristis habet.
Non populus, non turba fores premit aulica magnas:
Quò te cunque feras, atria longa tacent.
MEMMIVS hîc ratus est Aulam subiisse silentum,
Quàm tenuis populus, larnaque muta tenet.
Abdita in obscura stabat Regina latebra:
Tristitiæ speciem cætera turba tulit.
At non illa oculos tristis, faciemque decoram:
Hei mihi, quos Soles! hei mihi, quas Veneres!
His oculis nostros perstrinxit: tu quoque, MEMMI,
Fassus es his oculis obstupuisse tuos.
Heu fuge, MEMMIADES, teque istis eripe flammis:
Non nos Arctoo Sole calere decet.
Fata vocant aliò: maneat sua Diua Suecis,
Atque vicem, super hæc frigora, solis agat.
Iamque vale longum lapidosa Stocholmia in æuum,
Per nimiùm lentas Vrbs habitata moras.
Reginæ Comites, summa quæ è turribus arcis,
A portu nostras cernitis ire rates.
Si potis est castas ea tangere cura puellas,
Fundite pro fausta vota secunda via.
Dum loquor hæc, celsis se plurima Virgo fenestris
Exerit, & vasto pendet ab arce mari.
Turba virûm longa prætensa est margine ripæ,
Quisque sui amplexus stringit amantis amans.
At nauta impatiens impacto ad littora conto,
Diuidit à Sueco nosque ratemque Solo.

Ergo vale LEONORA: tui monumenta fauoris
Excutiet nostro pectore nulla dies.
Quem semel afflasti diuini numine vultus,
Non vllis poterit succubuisse malis.
Aspice nos: sub tam miti feliciter astro,
Vincemus rigidi crebra pericla freti.
Aspice: postremum hoc superest. Aspexit: & ecce
Aura fauens orta est, quá Dea parte fuit.
Ilicet & remorum alis, & numine Diua,
Spectantum ex oculis ocius eripimur.
Transuecti abruptas, angusta per æquora, rupes,
Ad vada deserta sistimur Elsnapia.
Illic ingentem, quæ ducat in alta, carinam
Scandimus, infirmæ non adeunda rati.
Nec mora: vicina librans se ventus ab Arcto
Flatibus impleuit carbasa tota suis.
Littora conspicimus terræ sperata Borussæ,
Mitis vbi placidum Sol finit esse solum.
Hinc molles campi, hinc colles patuere benigni,
Hinc arbor flores, hinc sata præbet humus.
Aurea piscantes è diuite succina fluctu,
Suscipimus grata dona beata plaga.
O lætas Gentes! quibus hæc nascuntur in vndis
Munera, Pactolo veriùs atque Tago.
Sed neque sunt oculis sua tantùm gaudia: & ipsa
Aures materiem nempe stuporis habent.
Assiduo hæc cantu mulcet loca BALTHICA SIREN,
Tam bene, Phœbe, tua non modulantur aues.
Diuino resonant percussa carmine ripæ,
Icta repercussis subsilit vnda sonis.

GALLICVS hanc vocem simul intellexit VLYSSES,
Atque auidâ dulces ebibit aure modos.
Non se continuit porrò: saltuque repente
Nitens, è media se rate proripuit.
Successitque antro Diua, quod Vistula circùm
Sarmaticis labens in mare lambit aquis.
Tum vero fatis aperit præsaga futuris
Ora, mouens lyricas Nympha canora fides.
Expectate venis, MEMMI, te Prussica Tellus
Anxia, te pariter Liuonis ora cupit.
Iam bina statuere acies sua castra; Suecum
Sarmata, Sarmaticum Suecus inire parat.
Obtrudunt qui se medios Bataui, atque Britanni
Non sunt, vt sistant iurgia tanta, pares.
Mercurium, vel te, MEMMI, hæc discrimina poscunt,
Abditus ille tuo ni tamen ore latet.
I, propera: strictos vibrant iam cominus enses,
Auditisque amens æstuat ira tubis.
Ni cohibes, iam certa ruunt in vulnera turmæ:
Arma rapit Finno, Cossacus arma rapit.
Iniice te in medios, verbis compesce furentes,
Ira cadet verbis obsequiosa tuis.
Non vltra effata est Nymphe, non audiit vltra
MEMMIVS, ad Stumæ protinus arua volat,
Et procul exertos cernens splendescere cultros,
Quo ruit in diras turba scelesta neces!
Quo ruit? en vestri geminis è partibus vltro
Incumbunt paci, pacta per æqua, Duces.
Intereà infestis madidi concurritis armis:
Ipsaque iam vestro terra cruore madet.

Condite: conde tuum, Gotthe insuperabilis, ensem:
Tuque inuicte ensem, Sarmata, conde tuum.
Gotthe, lacessiti reuocant te Cæsaris arma,
Proditá te pacti fœdera Saxonici.
Sarmata, vicinis debes obsistere Moschis,
Tu debes Turcas, tu prohibere Getas.
Gotthe acer, qui GVSTAVO sub Principe iactas
Artes militiæ te didicisse tuæ,
In LADISLAO Gustauos aspice plures,
Hunc optes Regem forsan & esse tuum.
Sarmata, cognatos ne perge lacessere Gotthos,
Ipse suum ducit Rex tuus vnde genus.
Quin vestras ambo Populi coniungite dextras,
Alter in amplexus alteriusque ruat.
Interea iuris, tu LIVONIS, esto Sueci:
Reddatur propria PRVSSIA Sarmatiæ.
Hæc dicens, virgam prætendit; conscius altè
Iuppiter è cœlo fulsit, & intonuit.
Continuò placidas motans PAX aurea pennas,
Afflatu incultos exhilarauit agros.
Et iam FAMA suis nitens pernicior alis,
Hanc pacem cuncto sparserat ante Solo.
Tertia, tam læta augurium CONSTANTIA pacis
Quæ dederat, pacis nuntia & ipsa fuit.
Et dubios recreans tanto in discrimine Ciues,
Oppida, & affusas carmine mulsit aquas.
Quin ipsum, spiraret adhuc cum pectore Martem,
VLADISLAVM carmine distinuit.
Ille tuis pronam, CONSTANTIA, cantibus aurem
Præbuit, ad laudes obstupuitque suas.

Regis ad exemplum, tibi tota obmutuit Aula,
Eque tuo pendens Aulicus ore fuit.
MEMMIVS *arte capi haud facilis, se denique captum*
Dulciloqui sensit carminis arte tui.
Dumque tuos cantus miratur, ad ostia sedit
Vistula queis tumidas in mare voluit aquas.
Et nisi vel patria, vel amor diuellat honoris,
Preferat hæc cunctis otia delitiis.
Pone modum fidibus, CONSTANTIA, *pone canoris,*
Quos pariter resonas docta per ora modis.
Gallia nos reuocat, sequimur: vt nostra supersit
Fama nimis longâ fors onerata morá.
Si canis, en etiam subsistimus: exime nexus,
Qui religant linguæ pectora nostra tua.
Viua tui posthàc tamen in me hærebit imago,
Æternùm ex animo non abolenda meo.
Scilicet absentem votis te prosequar absens,
Et mea votorum littera testis erit.
Venerit vt nostram vacuus Gedanensis ad Vrbem,
Vota tamen nostra plurima ab Vrbe feret.
Portubus à Gallis ad portus nauta Borussos
Cùm soluet, soluet votaque nostra tibi.
Si dubitas, tua te confirmet conscia virtus:
Illa tibi nostri pignus amoris erit.
Sic ô Sarmaticas mulce, CONSTANTIA, *ripas:*
Mulce vndas, Siren Baltica, Sarmaticas.

AD ILLVSTRISSIMVM MARCHIONEM D. S.

ELEGIA.

Tendimus ad cæcos, dedimus iam nomina lu-
scis:
Altera pars mundi iam mihi penè perit.
Marchio, *longinquis hæc sum lucratus in oris:*
Memmiadem *terra dum sequor, atque ma-*
ri.
Prima venenatos stomacho mihi Dania *potus*
Indidit, in cerebrum se tulit inde vapor.
Siccati inuito calices, & funditùs vdis
Exsugenda labris vltima gutta fuit.
Eia tui Regis tibi, Galle, propino saluti:
Iste ait; & toto mergitur ora scypho.
Exhaustum replet inde scyphum, traditque biben-
dum,
Excipio, & Regem dono salute meum.
Richelio, alter ait, nihil est generosius; illi
Ergo bibo: calicem corripit atque bibit.
Quàmlibet illa fuit mensura immensa, sequaci
Circuitu, fuit hæc tanta bibenda salus.
Danice *Rex; vestros non obmittemus honores:*
Impensa merces hic erit vna tua.
Vt par sis reliquis virtutibus: arte bibendi
Maior Alexandro diceris, atque Clyto.

Nec benefata istas te constituère per vndas:
Hesperia fueras dignus vtraque frui.
Ergo tibi, & geminis, nam sic decet, ordine natis
Libamus puri pocula terna meri.
Restabat facienda noua libatio nuptæ,
Id perago, & nuptæ nuncupo vota noua.
Hoc fuerat fortasse satis: sed non satis, vrgent
Vtque bibam quà vi, quà prece, quisque rogat.
Prodigit omne genus vini, gens indiga vini:
Tota redundanti diffluit Aula mero.
Hoc nimis austerum est, præsto sunt sacchara mensis
Mellaque, & expressis cinnama mixta citris.
Omne genus statuunt pateras: habet illa lebetis,
Hæc cymbæ speciem, cassidis ista refert.
At non vlla fuit variæ mensura figuræ,
Quæ misero mihi non experienda foret.
Torquentur dubii sic à Tortore latrones;
De quibus ingesta quæstio habetur aqua.
Ista quidem vis est, clamo, mihi robora desunt,
Exturbata suo est mens mea penè loco.
Nec minùs. Impellunt sese cubitisque fatigant
Fortè etiam rixæ proxima causa fuit.
Hinc cyathos auri allidunt, mutantque vicissim:
Hinc strages vitreis fit violenta scyphis.
Hæc mihi Centauros Lapithasque reduxit imago,
Cùm sparsère tuas, Hippodamia, dapes.
O mihi abhorrendos per sæcula cuncta Hymenæos,
Quanta mihi series nectitur inde mali!
Post aliquot menses tormenta per ista peractos:
Eoo petimus regna Sueca mari.
Ergo succedunt cœli intoleranda Sueci
Frigora: cùm memini, crinibus horror inest.

His ego compactus membris, his viribus, atque
Assuetus longâ ducere pace dies:
Per media penetro durissima frigora Brumæ
Hospes ad extrema limina Lapponiæ.
Quattuor è paruâ nos Memmius *eligit Aula,*
Mandatisque onerat; consilióque regit.
Scilicet vt Gentis studiúmque fidémque Suecæ
Firmius ad nostram conciliemus opem.
Ilicet Vplandos *decurrimus, &* Dalecarlos,
Argenti montes tangimus atque Cupri.
Norcopiamq; auidi fabricantem fulmina Martis,
Artibus & claram Palladis Vpsaliam.
Prensamus magnos minimósque per Oppida ciues:
Callosis dextras prendimus agricolis.
Lignea Nobilium quin & Castella subimus:
Deprensos miseris quos pudet esse casis.
His tamen est pubes exorta parentibus, arces
Diruit infida quæ modò Saxoniæ.
Teutonicas quæ tam latè grassata per Vrbes,
Thesauros Bauari diripuit Monachi.
Et quâ Cæsareas acies fundente, cruentas
Volverunt toties Rhenus & Albis aquas.
Tam validæ attoniti parua incunabula pubis
Vidimus, & parcos tecta per ista patres.
Vix tamen in tectis hac tempestate morantur,
Nec sedet ad segnem Gens operosa focum.
Moris id est positis alio sub Sole Suecis,
Cùm sunt adstricto flumina dura gelu.
Quærere per glaciem compendia curta viarum,
Inuenta oblonga commoditate Trahæ.
Quaque per anfractus longos æstate peragrant,
Brumali peragrant per loca planâ, die.

At non incauti campis spatiantur apertis:
Pellibus, & densâ corpora veste tegunt.
Adde quòd innutrita suo Gens aspera cœlo,
Ferre potest cœli frigora dira sui.
Gallus ego imprudens hæc frigora tento, rigentem
Cùm magis irritat Bruma rigens hyemem.
Pellibus & villis non sum suffultus, & artus
Vix tecti ventis frigoribúsque patent.
Paruum est quòd nostri cutis aruit extima nasi,
Torrentique vsta quòd velut igne genæ.
Penè mihi adstrictus medio sub pectore sanguis,
Ossibus obriguit penè medulla meis.
Hac quos experior fluxêre ab origine morbi,
Si non à rigida sunt quoque Sarmatia.
Sarmatiam quis Gallus amet, quis adire laboret?
Ni velit exempli non meminisse mei.
Per centum noctes illa Regione moratus
Decubui nuda debile corpus humo.
Non lecti suberant, non mollis culcitra pluma,
Vix etiam duro stramina sparsa solo.
Sæpe sub effossi decumbens culmine tecti
Immadui pluuiâ semisopitus aquâ.
Nocte domum subiisse putans, fuit illa ruina,
Sensi sub puro me iacuisse Ioue.
Denique sternendis fuerat quàm sedula lectis
Cura, ministrandis par fuit illa cibis.
Quid, Memmi, *hic vltra facimus quin præpete cursu*
Diffugis, & patrio nos finis esse solo?
Littora contigimus tandem sperata Dieppæ,
Et teritur pedibus Gallica terra meis.
Heus & Parisiis fruimur: pia turba, Propinqui
Vndique in amplexus nostra per ora ruunt.

At non ille mihi longum gratissimus hæsit
Sensus percepta pectore lætitiæ.
Inuadens nam me subitò sæuissima febris,
Incautum ad tumuli limina penè tulit.
Liquitur ac veluti canis cùm montibus humor,
Vndique putris agros obruit eluuies,
Concretus capiti sic me penè obruit humor,
Cum cœpit se imis fundere visceribus.
Tandem egi febrim: sed non impunè: sinistri
Quippe migrans aciem contudit illa oculi.
Si dextrum fors vicini contagio lædat,
Mutetur longâ si mihi nocte dies:
Tum verò fatis submittens colla supernis,
Adscribensque meis hæc mala flagitiis:
Cæcorum me Cœnobio sociabo trecentûm,
Et precibus templi muneribúsque frequens:
Atque regens baculo sensim vestigia longo,
Imponam fuluæ lilia parua togæ.
Credo equidem, si me hoc damnet fortuna dolore,
Ambire & misera cogar in æde locum,
Est tam læua mei sors insuparabilis Astri,
Desit sufficiens vt mihi fortè fauor.

Id non eò dico, *Illustrissime Marchio*, quod de gratia tua diffidam, sed illam hactenus superauit mea mala fortuna. Scio quàm sæpe apud Eminentissimum Cardinalem mihi suffragatus sis, & quàm frustrà: fortasse erat nimis leue tunc temporis meum meritum. Nunc cùm redirem è Dania, Suecia, atque Polonia, vbi Christianissimi Regis prærogatiuam aduersus Hispanos atque Anglos strenuè, & cum capitis discri-

mine defendimus; vbi hominum studia Galliæ conciliuiamus, vbi ego priuatim Maximi Cardinalis virtutem apud Sarmatas atque Russos prædicaui, existimabam reuersus in Galliam mihi magnam repositam esse justitiæ coronam. Patrocinaturum deinde mihi speraueram Illustriss. Auauxium Mœcenatem meum: at illum nescio quo fato sua domestica negotia aliò traduxerunt. Magnam quoque in tua humanitate spem collocaueram; sed priusquam te adire possem, contracta ex infinitis laboribus febris lecto me afflixit, & postquam per plures hebdomadas sæuissimè exercuit, sinistrum denique oculum mihi suggillauit, si non extinxit penitus. Prohibuerunt interim Medici ne legerem; ne scriberem; ne quererer, non prohibuerunt. En ego tibi, Vir Humanissime, quoniam te coram alloqui non possum, in hac Elegia peregrinationum & ærumnarum nostrarum breuem tabulam mitto: Illam, si placet, decurres oculis; & si commodum judicabis, ostendes illi à quo fortunæ omnium pendent; salutemque quam tibi voueo plurimam, grato animo suscipies.

AD IAC. FAVERELLVM

ELEGIA.

Humana heu quantis obnoxia casibus est sors!
Quàm varia versant corpora nostra vices.

Nuper in extremis peragrabam saxa Suecis
Ardua, quæ possint vix superare capri.
Vertice penè meo, quâ totus vertitur orbis,
In perpendiculum pensilis Arctos erat.
Infandum est quæ me pupugerunt frigora, quæque
Stipata circum me coiere niues.
Interea calido recreabam pectora fotu,
Combusti infundens pocula sæpe meri.
Vrgebant ipsi patrio de more Sueci;
Quippe merum cunctis fortius esse malis.
Depellique mero nimios æstate calores,
Depellique ipso frigora dira mero.
Rhenanum, Hispanumque istis auctoribus hausi,
Quæcumque & salsis vina vehuntur aquis.
De Medulis, de Bituricis transuecta Vibiscis,
Et de Santonibus, mi FAVERELLE, tuis.
Caligo hinc capiti sedit densissima nostro,
Pellere quam medica non valet artis opus.
Quæ postquam toto grassata est corpore, tandem
In partem læui luminis incubuit.
Herbarum quot agris, cultis quot aluntur in hortis,
Sunt pridem in stomachum juscula fusa meum.
Impressa est humeris onerosa cucurbita nostris,
Copia de macrâ carne cruoris ut.
Et diuersa oculis collyria lippus inunxi:
Et rasa est capiti, barba pilusque meo.
Quodque priùs fieri decuit, sunt Numina Diuûm
Per sua quæque meâ templa vocata prece.
Hei mihi, non vllis meus est medicabilis herbis,
Placariue potest thure, vel arte dolor.
Tentandum hoc super est, auidi restinguere Bacchi
Damna, superfusis si valeamus aquis.

Ergò Sequanicis utor nunc sobrius undis,
Et cyathos summo sorbeo mane decem,
Hinc pede inoffenso per bina deambulo xysta,
A sole, & pluuio quæ tegit vmbra Ioue.
Fota salutari coquitur sic potio motu,
Nec cruda est stomacho, nec grauis est capiti.
Non hîc horresco tua frigora, Suecia, non hîc
Ampliùs allidunt ad tua saxa pedes.
Securus pelagi errorum, terraque viarum
Priuatâ residens otia duco domo.
At non hîc Regum, aut populorum jurgia tracto,
Bellive, aut pacis verba sequestra fero.
Quid tum? nullum etiam deinceps certamen inibo
Mundi inter Dominos quis sit honore prior.
Oxenstirna licet per me sua cornua jactet,
Regem & Vandalici se gerat ille sali.
Cæsaribusque ipsis audax se Gothicus æquet,
Et merito Regem censeat esse pari.
Disceptanda alijs ea detur causa patronis,
Vt meus hîc sermo, sic erit ensis hebes.
Quandoquidem ingratæ delusa fauoribus Aulæ
Spes toties, nimiùm credula nostra fuit.
Esto procul nostrâ deinceps tam dissita mente
Gallica, quàm nostro est Aula Sueca situ.
Ad Bibaræ ripam, miseri cum fæce popelli,
Sedem pro misero tempore figo meam.
Vincenna inde nemus prospecto, & nobile castrum
Matrona Sequanicas quod secus intrat aquas.
Villa hinc Iudæûm mihi cernitur, atque Vicestrum
Dirarum quondam mansio fœda strygum.
Quaque ad molliculi cliuum jacet Ivria, montis
Indice me, Veneris pagus, Amoris ager.

AVRORA innumeris prælustris amoribus vnde
Exoriens, homines afficit atque deos.
Hæc valeo è parua miracula cernere cellâ,
Si ferre illa tamen pupula læsa potest.
Parte aliâ, fanum Bernardi cerno propinquum;
Et spatia austeri gymnica Richerij;
Conspicuamque domum Martini diuitis, ex quâ
SPESSÆI antiquis ædibus officitur.
Quinetiam antiquos video, FAVERELLE, *penates,*
Sacrauit Musis quos tuus ante Socer.
Et quos tute nouos habitas, vbi plurima pendet
Ingenij partus, fabula picta, tui.
Hic egere inuisens, soptem incudebo Trionis
Mores, & MEMMI *fortia facta mei.*
Hispanis vt se Legatis, atque Britannis,
Audax inuicto pectore prætulerit.
Gotthorum populum, & proceres quâ flexerit arte:
Reginas & quâ flexerit arte duas.
Vt placuit Cimbris: aliò vt conuersa reduxit
Hinc populi, hinc Regis pectora Sarmatici.
Sed quid ego hæc autem pridem dimissa recordor?
Læditur & memori nostra labore quies?
Quid mihi cũ Regnis nunc est aut Regibus, ex quo
San-Victorinis ciuibus annumeror?
Non aliâ porrò cupiam regione morari,
Dummodo vicino te, FAVERELLE, *fruar.*
Sat felix, reliquos numeras, quos inter amicos,
Et me censeri, si patiaris, ero.

IACOBI FAVERELLI
AD CAR. OGERIVM
Αντίδωρον.

NOn ea, quam de te sperabā, noster OGERI,
Non ea Musa fores pulsat amica meās.
Calliopen rebar; tota est Elegeia, pedemque
Non vnum peregrè perdidit illa modò,
Illa sed & lumen, proh numina! perdidit vnum:
Iamque ita dimidiâ parte minuta sui est.
Quæque, quod est grauius, studijs assueuerat Aulæ,
Thure suo nostris digna litare Dijs,
Nunc inter lixas, & aquati putida ligni
Ad San-Victorem septa, sub vrbe latet.
Alta nec ARMANDI *colit amplius atria, leni*
Cùm datur, vt recrees ora beata lyrâ.
Nec Sennescæis recites vt carmina Nymphis,
Augustam cordi est amplius ire domum.
At lætabar ego, cùm te per Baltica sensi
Principis in causam velificare vada.
Lætabar, quod Apollineæ tibi Palladis arbos
Nobilior tandem, fertiliorque foret.
Quodq; rata post pacis opus, quū MEMMIVS *inter*
Missus erat Geticos conciliare lares.
Postque tuis passim cicuratum cantibus Arcton,
Acciperes merito præmia digna tuo.
O falsas hominum mentes! ô pectora cæca!
O spes, quàm nihil es, quo speciosa magis!

Ergo relegarit Sueca te noctis in antra
Publica res per tot, non tua noxa, dies.
Ergo sub extremo duraueris vsque Boote,
Damnáque brumarum senseris vsque trium.
Inque mero toties animam submerseris, inque
Tabacci fumo merseris inde merum.
Inclinare sua quò proniùs indolè gentis
In Dominum posses barbara corda tuum.
Vnde tibi curâ damnum reparabile nullâ,
Dum remeas vno nempe myops oculo.
Námque acie læuum sensim per lumen hebente,
Excidit officio pupula chara suo.
Seu tanti fuit illa meri fuligine forsan
Obsita, seu tanto, quod magis, vsta gelu.
Quid memorē sparsus per Baltica littora cautes?
Quid Stockholmiaca naufraga saxa plagæ?
Pernocti qua nauigio, qua flante procellâ
Iussus, & illuni radere sæpe polo es.
Scilicet vt reducem solatia nulla manerent,
Adsereréttque Aula te sibi nullus honos.
Ergo habeant sibi regales Pyrrhonius ædes,
Publicáque in nugas vindicet æra suas.
Tu priuatus homo, pacis conuenta Borussæ
Scribe, suburbano luscus in hospitio.
Commodos diploma iuuet, pluat aureus imber
Terpandro, meriti tu satur esto tui.
Munera non aliter procerū, mihi crede, per aulas
Dispensat cæca dextera laua Dea.
Auceps tu quaties dumos, feret ille volucres:
Frugem tu campo seueris, ille metet.
Indigno sic fucus iners vorat ore sub alueis,
Quæ debentur api dulcia mella suæ.

At tu, quem non sponsa grauat, non ambitus vrit,
Si tibi vis tandem viuere, viue tuo.
Non tanti est, durum toties Quæstoris auari
Pro stipe ter jussa ferre supercilium.
Quid tibi, quē Charites norūt, quem diligit omnis
Musa, potest calamo suauius esse tuo?
Hunc amor externa tibi jam non amplius aula,
Aut rerum inuideat publica cura tibi.
Non, si securus Moschi, Thracis-ve, coronas
Vandalici repetat Sarmata rursus aui.
Nec si vel totum sibi Panno subegerit Albin,
Aut Rheno toti, vincla minetur Iber.
Dic modò, quis Domini-ve fauor, vel pensio nūmi,
Par tibi sit Suecæ soluere damna moræ?
Vel mihi dic de tot, quos reges videris, vnum,
Qui tibi defunctum reddere lumen eat.
Debet, crede mihi, lux altera charior esse,
Quæ superest, toto, si sapis, Orbe tibi;
O quàm viuere se contentum præstat, & intra
Priuatos æuum ducere mite lares!
O quàm te vatem sub nostra suburbia malo
Xysta penes curti lusibus apta glebi.
Cimmeria Gotthæ quàm Regnatricis in aula
Pandentem MEMMI *regia sensa tui!*
Non hîc perpetuam noctem, frigus-ve, sed æqui
Perpetuò soles experiare Iouis.
Non hîc ardentis mulsi libamine reges,
Sed saluum mulso te juuet esse citro.
Quod si Sequanicas medica sorbere diæta,
Clarandæ lucis nomine, pergis aquas.
Hinc tibi vicinis aderit COLTELTVS *ab hortis*
Cum toto Phœbi, Pegasidúmque choro.

Hinc ego cum totis Nasonis Amoribus ibo,
Siue facis pictor, siue Poëta mea.
Illic seclusi miscebimus otia chara,
Alternisque suum quisque tonabit opus.
Tu mihi GVSTAVI, *nobis canet ille triumphos*
RICHELIDÆ, *vobis eloquar ipse meos.*
Forsitan & nostris junget sua carmina FAÏVS,
FAÏVS *arguti rex Epigrammatij.*
Vicina si quando domo spatietur in agros,
Victoris-ve sacra tendat ab æde domum.
Vandalicis tecum quin conferet ille Batauа,
Hagam Stockholmæ, MEMMIA *gesta suis.*
Aspera sic vacua fallemus tempora vitæ,
Sic deses nobis leniter hora fluet.
O mihi te nunquam vicano faxit abesse,
Dum suberit signo Sequanis ora meo.
Non quo ciue quidē turbas, atque arma, quod absit,
Amentis vulgi seditiosa vetem.
Sed quo nimirum consolatore, superba
Ora dehinc dominæ, verbáque ferre queam.
Et quo ferre queam nimis infœlicia tali
Fata mihi, scrupeo scripta sub alueolo.
Crede mihi, non est, quod me crudeliùs vrat,
Quæque artus vexet crux magis aspra meos.
Quàm tessellati cornu per mobile ludi
Alea trux, genio Dira dicata meo.
Mille mihi luces aui melioris ademit
Hæc rabies, noctes & malè mille mihi.
Illic me vinctum Iouis heu! tenet arctiùs Ate,
Quàm furem Scythica rupis in arce suum.
Illic sæpe sibi me Sol oriénsque, cadénsque
Vidit ab hesterna nocte, die, vacuum.

Nec natura suos ausa est enitier vsus,
Nec fuit egelido sensilis illa Ioui.
O quantum vini mihi defuit inde vigoris!
Æris & ô quantum defuit inde mihi!
Hoc sine Nestoreos poteram sortirier annos,
Hoc sine nummorum conderet arça nimis.
Sed non hanc à me pestem depellere diris
Addita vota, sacra non valuêre preces.
Atque hoc est, quòd Amoris abhinc, Dominæque repulsas
Passus, Acidaliæ desero castra Deæ.
Cùm neque, qualis eram quondã soluendo, deinceps
Corpore sim, necdum par sit vt ære luam.
Hoc superest vnum, plùs non vixisse cœnis:
Vera quidem, sed enim portio vana mihi.
Nam vitæ partem solam si peruigil hora,
Non vllam nostra somniculosa facit;
Plùs ego sic per lustra nouem jam vixero, quàm qui
Anterior vixit per duodena secùs.
At tu nunc legis medicæ sectator, OGERI,
Syncerique adeò potor ab amne scyphi.
Qui morbos lenire tuos, atque ægra leuare
Pectora Phœbea noueris arte lyra.
Hoc quoque si poteris tu me sanare furore,
Fac sodes, & eris magnus Apollo mihi.

E porticu nostrâ Prid. Kal.
Sext. M. DC. XXXVII.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO D. CLAVDIO DE MESMES

EQVITI TORQVATO, COMITI D'AVAVX, SANCTIORIS CONSILII Christianissimæ Regiæ Majestatis Consiliario:

Olim per Italiam: tum per Daniam, Sueciam, Poloniam, ac præcipuas Anseatici Fœderis Ciuitates: Nunc etiam per Germaniam, ad uniuersam Christiani Orbis procurandam Pacem, extra ordinem Legato.

SI mihi per te liceret, ILLVSTRISSIME DOMINE, vt Ephemeridas meas Septemtrionales ederem in vulgus: & Reipublicæ, cui seruis, vtilitatis aliquid, & tibi ipsi gloriæ non parum, certè auocamenti nonnihil compararem. At ne id faciam, quoniam præclarâ, quam ad N. Borbonium scripsisti, epistolâ omnino prohibes, pareo omnino: tametsi retinendi sexcentas habeo rationes, quæ mihi apud me in pectore concoquendæ sunt: quarum illa præcipua erat, quod tuum panegyricum, sine vllà cujusquam legitimâ inuidiâ, in nudâ rerum à te gestarum hi-

ſtoriâ adornaueram: Altera vt otij mei infamiam vtcunque purgarem: tertia, quâ ſolari me plerumque ſoleo, vt ſaltem aliqua eſſet laborum meorum merces in eorum, qui id à me expectant, approbatione atque plauſu. Denique, vt eorum tandem populorum virtutes bonâ fide prædicem, quorum ſola, ac maria tam ſæpè damnaui. Verumtamen quandoquidem mihi pro tuâ in me auctoritate ſilentium imperas, prorſus obmuteſco. Parum ergo mihi erat oculorum feciſſe diſpendium, niſi etiam planè mutus & elinguis fierem? At enim id vel è tua, vel è re publicâ eſſe exiſtimas, vt ſileam: vltrà non loquar. Neque verò ſim propter te tantummodò Mutius: ero, ſi ita iubes, etiam Scæuola; manumque focis libentiſſimè inferam, vti deinceps nec loqui poſſim, nec ſcribere. Poſtulas aliquid à me præterea? En habes in Ogerio Zopyrum nouum, qui ſe pro tuis vſibus, omnium membrorum jacturâ & mutilatione damnet. Nimis poëtica ſunt iſta, inquis; Enimuerò veritatis habent quoque plurimum. Sed ſint illa poëtica; quid tum? Nunquid vt in Græcis artificibus Aulœdi fiunt, qui Citharœdi eſſe non poſſunt; ita mihi qui Hiſtoricus eſſe nequeo, vtique Poëtam eſſe non licebit? Poëtam verò & agam, & me eſſe profitebor, donec eâ etiam facultate mihi ſit à te interdictum. Calumnientur quantùmuis Poëticam, qui Muſis non litarunt: dicant, ſi velint, hanc meam tam auſteram; morborum, & ægritudinum mearum deliramentum eſſe. Poſſum illis

aliàs sua conuitia regerere. At profectò Poësis vnicum mihi nunc est, in hac fortunæ iniquitate, solatium; his somniis ærumnarum mearum sensus deluditur; his artibus solitudinis meæ tædia leuantur; ex hoc denique penu Excellentiæ tuæ quotannis donaria constitui, deincepsque polliceor. Anno præterito misi tibi Oden ad D. Leodegarium voti nomine conceptam: quam quidem, vt pius es in Sanctos, vt beneuolus in tuos, intelligo tibi non displicuisse. Offero nunc tibi Epitaphia, quæ hoc anno composui. Infelix argumentum, dicet quispiam. Nempe quod homini affectæ valetudinis, qualis ego sum, valde conueniens sit. Quæ enim vel mihi, vel alteri ad has incitas redacto, philosophia potior esse possit, quàm assidua mortis cogitatio? Rectè id quidem: Verumtamen cur ista ad Memmium Auauxium? Nimirum vt dum illi vniuersi Orbis Orchestra adblanditur, ac plaudit; hominem se meminerit, & pro hominibus legatione fungi, atque adeò omnia illa munera fluxa esse, atque caduca. At tutumne est homini istius dignitatis liberè loqui, & res illætabiles obtrudere? Nempe illi, quem politicam prudentiam cum verâ & Christianâ pietate conjunxisse, in vniuerso Orbe peragrando deprehendi. Sed me id vetat enarrare, Vir modestissimus: taceo, loquantur verò iam mortui nostri.

IOANNÆ MONLVCIÆ ILLVSTRISSIMÆ FOEMINÆ EPITAPHIVM.

Hic jacet eximia præstans MONLVCIA *forma,*
Juncta sago pariter quæ fuit, atque togæ.
AMBOSII *primum conjux fuit, & fuit inde*
MEMMIADÆ: *ille sago præstitit, iste toga.*
Vnicus huic suberat primo de conjuge natus:
Illum immaturo funere mœsta tulit.
Plenior hinc ad te, MEMMI, *translatus ab illa est*
Mixtus amoris honos, mixtus honoris amor.
Hanc quoque tam sancto es veneratus amore, maritus
Hæc ut in exemplum posset abire fides.
Tandem bis quinis mortem luctata diebus,
Ad festum functa est, ô Genouefa, tuum.
Dat Patris hinc tumulo corpus, cor & inde Mariti:
Viuus ab exequiis quò suus extet amor.
Natura satis illa facit; facit illa Deoque;
Dum se inter Patrem diuidit, atque Virum.
Scilicet est Patri sua portio reddita corpus:
Est cor dilecto pars data justa Viro.

IACOBI FAVERELLI VIRI CLARISSIMI CENOTAPHIVM IN ECCLESIA D. NICOLAI PONENDVM.

TRANSIIT ad Superos, nequicquam hic quaeritur, ista
Conditus est vrna, nec FAVERELLVS *humo.*
Ille quidem morbo jacuit defixus acerbo:
Et medicaminibus praeda, malisque fuit.
Nec prudens Medicus, lenis aut Empiricus illi
Defuit: & diro cessit vterque malo.
At pius adueniens, animae cui cura juuandae
Pastor, & ipse sua contulit artis opem.
Purgauitque animae sordes, & sacra salutis
Pharmaca firmandis viribus applicuit.
Exin lethiferum aggrediens pugil vnctus agonem,
Objciensque auida mascula corda neci.
Corpus, ait, morbi, aut medici, vel denique vermes
Absumant. Animae sors Deus esto meae.

ADOLESCENTIS ESCVBLEI VMBRA.

DEceptum prima me flore fuisse iuuenta;
Non est tam grauiter sors ea digna gemi.
Nam quid sera mihi peperisset honestius aetas,
Quàm Patriae vitam fundere posse mea?
Fundo libens; & erit vitae mihi Rentia merces
Diruta: & Hispani meta remota soli.
Ordine quisque suo, chari succedite Fratres;
Hinc praeit in vobis Patruus, inde Pater.
Aut seruate satros Regni, aut protendite fines
Et vestri nusquam finis honoris erit.

PIIS MANIBVS STEPHANI DV CHEMIN.

VIATOR ista qui viam carpis via
Perges deinde, siste tantisper gradum.
Haeret sub isto lapide STEPHANVS DE VIA,
Olim viator, vt sumus nos singuli,
Nunc vniuersa carnis ingressus viam.
Vir iste cunctos inter optimus viros
Nec indecora sorte nascendi, neque
Illiberali more viuendi fuit.
Hunc Melda honestis extulit parentibus:
Illum Tholosa liberalium affatim

Scientiarum instruxit omni copia,
Præterque iuris explicandi scrupulos,
Venustiorum quicquid est demum artium,
Nempe & canendi, & rite pulsandi lyra.
Ipsum capaci dein sinu Lutetia
Excepit; ipsum prima Regni Curia
Clarum recepit in Patronorum gregem:
Laborioso deditus ubi muneri,
Vltro fidelem, quàm nimis facilis fuit,
Opem clienti sæpe non grato tulit,
Ipsisque (dira ô sæculi peruersitas)
Nec utique gratis admodum magnatibus.
Fors & viator quæris, an cœlebs fuit?
Vtinam fuisset. Viuus haud dubiè foret:
Possemus illo, posset is nobis frui:
Horatiana caneret etiamnum metra.
Quæ nuper ipse musicis mirè modis
Aptauit; inque tam suauiter datis
Suauis animam Cygnus afflauit sonis.
At ô superno, Christe, qui Cælo vides
Hominumque gressus, quas & insistant vias;
Suam cucurrit rite si Stephanus viam;
Illum corona cinge victorem sua.
Sin & cucurrit ipse legitimè minus;
Huic præmii pleno gratiarum de penu,
O & palæstrarum, & coronarum arbiter,
Culparum, & errorum omnium indulgentiam.

Lutetiæ Paris. ipso ineunte A. M. DC. XXXIX.

AD

AD EMINENTISS. CARD. RETZIVM, ELEGIA.

Ardua captiuum retinent te mœnia Retzi;
Me rigida nexum compede morbus habet.
Prouocat ista meos sortis communio luctus,
Vda tuoque iubet fundere verba sinu.
Si quis erit tamen è tota legione satelles
Sat pius, hæc ad te qui penetrare sinat.
Maximus hunc ex quo despexit Auunculus orbem,
Eximium stellis inseruitque caput.
Tum demum erepto cœpi curare Patrono,
Humanæ mihi lux si qua micaret opis.
Te simul aspexi, quasque assurrexeris in spes,
Quò tua se virtus impete viua ferat.
Non hæsit dubiis; studio feruente voluntas
Se tulit ad tantum prona repente virum.
Ergo tuos adeò postes, cum nempe ruebant
Omnis in amplexus plebs proceresque tuos,
Tempore quo Domina missa est à Principe Roma,
Præcinctura tuas infula rubra comas,
Ad tua cùm castæ properarent limina Musæ,
Doctorum insignes confluerentque chori;
Me quoque permixtum doctis conferre cateruis
Contigit obsequij vota secunda mei.
Crediderant nec solus ego, sine nube serenos

Fausta tibi posthac voluere fata dies.
Auguriumque tuæ descripsi sortis, & illud
Notitiæ venit me referente tuæ.
Heu vatum ignaræ mentes! commotus ab Aulâ
Turbo, meam mersit spemque tuamque ratem.
Nunc mala te diuersa premũt, nunc plurima cura
Sollicitat, tristis denique carcer habet.
Me quoque carcer habet, morbis quem nempe reuinctum
Assiduis, lecti dura catasta tenet.
Roditur hic mox se languens mihi pulmo tenaci,
Permittit minimam nec dolor ille moram.
Spiro dolens, respiro dolens, dolor ægra fatigat
Quamlibet in molli membra repono situ.
Turbantur per tetra leues mihi somnia somni,
Infestum reddit mox vigilata diem.
Vertor in hũc, & in hunc varijs successibus axem,
Comprendi possit sit fugitiua quies.
Sed magis illa fugit, nec se sinit usque prehendi,
Scilicet incautos opprimit illa prior.
Nitor ad hæc animi volucres compescere motus,
Attentumque aliquo figere posse loco.
Nulla subit mentem species mihi gratior illâ,
Quam præbet tacitæ pax mihi Cartusiæ.
Nempe sacri recolo nocturna silentia claustri
Præcensas longis porticibusque casas.
Æris ad impulsi sonitum, cum nocte sub atra,
Ad solitas pergit candida turba preces.
Viderit hos quisquam imprudens incedere, Manes
Credat, & è tumulis exiliisse suis.
Nunc meus ad virides animus diuertere xystos,
Aspectuque cupit liberiore frui.

Hic mihi quis prior occurrat, quam Retzius, inter
Cordatos miscens dulcia verba viros.
Illic per temere sparsas, per & ordine sylvas,
Proluit innocuis pectora delicijs.
Delicijs, sed nunc penitus prohibemur ab istis,
Hunc nisi se memori sors quoque mente refert.
Pinguntur varijs hec dum mihi cuncta figuris,
Hac utcumque meus fallitur arte dolor.
Carmina scribendi studium me denique sumpsit,
Scribamus, dixi, sed cui, quid ve loquar?
Nil mihi cum lætis; nil cum felicibus esto
Infelix aliquis qui mea mœsta legat.
Obvius e templo sit Retzius, ille querelas
Excipiet miserans aure fauente meas.
Ergo lenis paribus se tollat Epistola pennis,
Vincennaque ferat se super illa domum.
Mœnia conclusæ pinnata supervolet arcis,
Intrandi faciles operiensque vias.
Qua data porta ruat, longo vel lapsa camino,
Dum sedet ad primas Retzius, illa cadat.
Scripti summa breuis: toleret mala pectore forti,
Expectet Domini fata vicesque Dei.
Charum se sciat esse bonis, me denique credat
Ex animo, ærumnis indoluisse suis.

FINIS.

EPITAPHE.

IE me suis contenté des choses necessaires :
I'ay souffert constamment l'honneste pauureté,
Quoy que de mon païs i'eusse bien merité,
Par vn illustre employ dans les grandes affaires.
Les Liures ont esté mes plaisirs ordinaires ;
Les Sçauans, mes amis & ma societé ;
Mon plus doux exercice estoit la pieté,
Qui me fit mespriser les choses Sublunaires.
Mon Grec & mon Latin, ma Prose auec mes Vers,
Peuuent faire voller mon nom par l'Vniuers,
Et m'acquerir l'honneur d'vne grande science :
Mais vn plus haut sçauoir m'éleue iusqu'aux Cieux ;
C'est d'auoir sceu souffrir auecque patience
La Douleur & la Mort, neuf mois deuant mes yeux.

F. OGIER.

[illegible]

[illegible]

21 [illegible]

34. [illegible]

52. [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

7[illegible]

83 [illegible]

89. [illegible]

89 [illegible]

91 [illegible]

[illegible]

11[illegible]

11[illegible]

[illegible]

[illegible]

5

Me —





